This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

1. c. 53.



[illegible] [illegible]

COMMENTARIA
IN OMNES
BEATI PAULI
ET SEPTEM CATHOLICAS
APOSTOLORUM
EPISTOLAS,
AUTHORE
JOANNE BENCE
Doctore Sorbonico, ac Congregationis Oratorii JESU CHRISTI *Presbytero.*

Editio poſtrema prioribus multùm auctior & Emendatior.

TOMI SECUNDI.
Pars prima.

LOVANII,
Typis JOAN. FRANC. VAN OVERBEKE,
Sub ſigno Lampadis aureæ 1763.

Cum Approbatione & Privilegio.

BIBLIOTHECA · BODLEIANA

J. BENCE,

DOCTORIS SORBONICI,
Ac Congregationis Oratorii JESU CHRISTI Presbyteri.

COMMENTARIA IN B. PAULI EPISTOLAM Ad Epheſios.

ARGUMENTUM.

EPHESUS *Aſiæ Metropolis, idololatriæ & magicis artibus dedita ex* Hieronymo & Luca, *Act.* 19. *ubi de magna Diana Epheſiorum & de templo ejus toto orbe celeberrimo agit. In hac*

urbe Paulus triennium verſatus & ſeditione factâ periclitatus eſt, & in Macedoniam abiens Timotheum reliquit. Qui erant ex Gentibus, fideles Ananiæ doctrinam à Paulo acceptam firmiter retinebant, quos hortatur ut pergant, de arduis fidei myſteriis ſubobſcurè tamen cum illis diſſerens, ut de redemptione & juſtificatione noſtra per Chriſtum, de vocatione Gentium, de prædeſtinatione gratuita, de glorificatione Chriſti & corporis ejus quod eſt Eccleſia: ac demum cuique ætati ac conditioni hominum rectè vivendi modum præſcribit. Scribit eis ab urbe Roma de carcere per Tichicum Diaconum: ex Chryſ

CAPUT I.

Deo gratias agit de æterna prædeſtinatione in Chriſto, de Epheſiorum fide, & manifeſtat dignitatem hominis à Chriſto aſſumpti.

℣. 1. *Paulus Apoſtolus Jeſu Chriſti per voluntatem Dei, omnibus ſanctis, qui ſunt Epheſi, & fidelibus in Chriſto Jeſu.*

P*er voluntatem Dei*, id eſt, non meis meritis vocatus ad Apoſtolatum, ùt 2. *ad Cor.*, *ad Col.* & 2. *ad Tim.* Eoſdem dicit *Sanctos in Chriſto fideles*, ùt 1. *Cor.* 1. & *Rom.* 1.

℣. 2. *Gratia vobis, & pax à Deo Patre noſtro, & Dominò Jeſu Chriſto.*

Eadem ſalutationis forma quæ in omnibus præcedentibus & pleriſque ſequentibus Epiſtolis. Per gratiam Deus eſt Pater hominum, & per gratiam filius ſemetipſum dedit redemptionem pro nobis, ait *Oecum.*

℣. 3. *Benedictus Deus & Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui benedixit nos in omni benedictione ſpirituali in cœleſtibus in Chriſto,*

Ecce & *Deus* & *Pater* eſt ejuſdem & unius Chriſti, ait *Theoph.* Deus quidem, ùt incarnati. Pater ùt Dei verbi, ùt 2. *Cor.* 1. ℣. 3. Benedictionem ſpiritualem velut novo Teſtamento propriam opponit benedictioni terrenæ quam promittebat vetus Teſtamentum, ùt *Pſ.* 120. & 127. *In Chriſto*, id eſt, qui nos *per Chriſtum*

abundè cumulavit omnibus bonis ſpiritualibus, & *cœleſtibus*, quæ nobis *in cœlo* repoſuit. Quòd ad homines attinet, benedicere Deo laudare eſt, benedicere autem Dei hominibus, eſt illis benefacere, ait *Gaig*.

℣. 4. *Sicut elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem, ut eſſemus ſancti & immaculati in conſpectu ejus in charitate.*

Sicut, id eſt, ſecundùm quod *elegit nos* per ipſum Chriſtum ab æterno, q.d. effectus electioni reſpondet; ſiquidem quæ nobiſcum aguntur hoc tempore, ex alto prædeſtinata ſunt, non nuper tradita, ſed à principio præparata ab ipſo, ait *Theoph.* Hinc colligitur ipſam electionem ſeu prædeſtinationem noſtram & totius Eccleſiæ eſſe per Chriſti meritum. *Ut eſſemus ſancti* &c. exponit effectum ad quem à Deo electi ſumus, non totum quidem illum, ſed quem conſequimur in hac vita. Ubi notandum ex *Hier.* & *Aug.* l. 1. *de prædeſt. Sanct.* c. 17. 18. & 19. non dicere Apoſtolum, Deus elegit nos quia eramus ſancti, aut quia in ejus præſcientia futuri eramus ſancti, ſed *ut eſſemus*; ne quis cum Pelagio ſentiat, homines ex meritis eorum prævilis eligi à Deo. *Sancti* ſumus per remiſſionem peccatorum: *immaculati* ſeu irreprehenſibiles per obſervationem mandatorum. Addit *in conſpectu ejus*, ſignificans ſe de vera ſanctitate & integritate loqui, qualis judicio Dei omnia cernentis probetur. Sunt qui putant notari Simonis ſectatores, q. d. elegit nos Deus, non ut omne laſciviæ genus ſectemur, ut dicebat Simon, ſed ut vitam agamus puram. 1. *Theſ.* 4. ℣. 7. & *Col.* 1. ℣. 22. *In charitate* ſeu per charitatem quâ Deum diligentes ſanctam reddamus noſtram converſationem. Vel per charitatem quâ nos dilexit, prædeſtinavit nos, adoptavit, &c. Hæc ſecunda expoſitio, quam *Hier.* ſecundo

loco adducit, magnam probabilitatem habet, cùm Scriptura paſſim beneficium prædeſtinationis & negotium ſalutis noſtræ adſcribat charitati Dei erga homines, ùt *Joan.* c. 3. ℣. 16. item *ad Rom.* c. 5. ℣. 8. & c. 8. ℣. 29. & *hâc Epiſt.* c. 2. ℣. 4.

℣. 5. *Qui prædeſtinavit nos in adoptionem filiorum per Jeſum Chriſtum in ipſum: ſecundùm propoſitum voluntatis ſuæ,*

Qui æterno conſilio & decreto *prædeſtinavit nos* per meritum Jeſu Chriſti filii ſui naturalis ad illam eximiam dignitatem quâ eſſemus ipſius filii adoptivi, ùt *Joan. in Evang.* c. 1. ℣. 12. & 1. *Epiſt.* c. 3. ℣. 1. Ubi agit de adoptione quam in hac vita conſequimur, vel de perfecta quæ eſt futura vita de qua *Rom.* 8. ℣. 23., vel de utraque. *Secundùm propoſitum*, Græcè *ſecundùm beneplacitum.* Nam cauſa prædeſtinationis noſtræ eſt purus amor ac voluntas Dei, non autem aliquid ex parte voluntatis noſtræ prævíſum à Deo: licèt inter effectus prædeſtinationis ordo ſit, ſecundùm quem unus ad alterum, ùt gratia ad gloriam tanquam meritum ad mercedem referatur: ex *S. Th.*

℣. 6. *In laudem gloriæ gratiæ ſuæ, in qua gratificavit nos in dilecto filio ſuo.*

Jam finalem cauſam prædeſtinationis aperit, ſcilicet *laudem* & *gloriam* divinæ bonitatis, q. d. prædeſtinavit nos ad tantam dignitatem, idquè eo fine ut ipſe laudetur & glorificetur in tantô beneficio gratis nobis collato: Græci non legunt *filiò ſuo*, ſed tantùm *in dilecto ſuo*, ùt *Syrus & Hier.*; quod majorem habet emphaſim, non tam ut ſignificetur is qui ab omnibus ſinè exceptione diligitur: ſed ille quem Pater diligit & dilexit ab æterno, non propter alium aliquem, ſed propter ipſum, utpote filium ſuum

naturalem in quo perfecta eſt ſimilitudo Patris. Verbo *gratificavit*, quædam excellentia gratiæ in omnes electos diffuſæ commendatur; ut ſenſus ſit, per quod gratiæ beneficium nos ſibi vehementer charos & acceptos reddidit propter meritum ejus quem ùt filium ſuum naturalem ſingulariter dilexit: vel plenos gratiæ fecit: ex *Theoph.* Vel in qua gratia gratos fecit nos ſibi in Chriſto, ex *Hier.*

℣.7. *In quo habemus redemptionem per ſanguinem ejus, remiſſionem peccatorum ſecundùm divitias gratiæ ejus,*

In quo, id eſt, per quem dilectum redempti ſumus à captivitate peccati, mortis & diaboli, dato pro nobis in cruce pretio Sanguinis ipſius, q. d. appoſitivè, *habemus redemptionem*, quæ eſt remiſſio peccatorum, non per merita noſtra bona, quæ nulla erant: ſed per abundantem gratiam ejus. Vel hæc per hyperbaton referuntur ad eum de quo ℣. 6. dixit, *gratificavit nos in dilecto*, ita ut verba *in quo habemus redemptionem per ſanguinem ejus*, parentheſim faciant; & hæc fecit nobis Deus juxta *divitias gratiæ ſuæ*, id eſt, pro copioſa & profuſa in nos beneficentia ſua: ex *Chryſ.*

℣. 8. *Quæ ſuperabundavit in nobis in omni ſapientia, & prudentia:*

Quam gratiam nobis elargitus eſt, mirâ ſapientiâ & prudentiâ uſus ea in re, q. d. ſapientiſſimè & prudentiſſimè id fecit. Vel quam gratiam in nos Apoſtolos & primos fideles copioſè effudit unà cum præclaris ſapientiæ & prudentiæ donis, de quibus 1. *Cor.* 12. ex *Hier.*

℣. 9. *Ut notum faceret nobis Sacramentum voluntatis ſuæ, ſecundùm beneplacitum ejus, quod propoſuit in eo,*

Deus ſummâ ſuâ ſapientiâ & prudentiâ ne-

tum fecit *nobis* arcanum *ſuæ voluntatis*, hoc eſt, elucet in hujus myſterii revelatione admirabilis Dei ſapientia & prudentia. Vel patefacto nobis myſterio *voluntatis ſuæ*, quod myſterium eſt in ſapientia & prudentia, id eſt, ſapientiſſimè & prudentiſſimè diſpoſitum à Deo. Et Deus hujus tanti myſterii notitiam Apoſtolis, aliiſque fidelibus Judæis tribuit, non propter ipſorum merita, ſed quia ſic ipſi placuit: *quod beneplacitum*, id eſt, quam rem benignâ ac liberali voluntate propoſuit, & conſtituit apud ſe, & ſecretam tenuit, uſque *ad diſpenſationem plenitudinis temporum*, id eſt, donec completa eſſent tempora quæ ad diſpenſationem ſive executionem illius beneplaciti ac propoſiti fuerunt ab ipſo præfinita; ſeu quando jam omnis diſpenſatio temporum legis & naturæ, prophetarumque tranſacta eſt, ait *Hier.*

℣. 10. *In diſpenſatione plenitudinis temporum, inſtaurare omnia in Chriſto, quæ in cælis, & quæ in terra ſunt, in ipſo:*

In cælis quando id quod indè in Angelis lapſum, ex hominibus redditur per Chriſtum, ait *Aug. Enchir.* 62. Vel *inſtaurare* eſt ex *Chryſ. recapitulare*, ut ſenſus ſit, Deum *in Chriſto* tanquam in ſcopo ad quem omnia referuntur recapitulare, colligere, implere non ſolùm omnes hiſtorias in terra geſtas quas Scripturæ commemorant, ſed etiam quæ in cœleſtibus ante mundum conditum, etſi nobis ſint occultæ. Vel meliùs ſic: Quibus temporibus completis Deus *in Chriſto* recapitulabit utraque cœleſtia & terreſtria, hoc eſt ad Chriſtum tanquam ad unum caput, revocabit Angelos & homines; ſeu clariùs Chriſtum conſtituet Angelorum & hominum caput. Id enim fecit quando conſtituit eum caput totius Eccleſiæ, quæ

ex Angelis & hominibus conſtat, ut *Col.* 1. *In ipſo*; id eſt, per Chriſtum ex *Chryſ.*

℣. 11. *In quo etiam & nos ſorte vocati ſumus prædeſtinati ſecundùm propoſitum ejus, qui operatur omnia ſecundùm conſilium voluntatis ſuæ:*

In quo, id eſt, per quem Chriſtum nos iidem Judæi ſcilicet, ſortem adepti ſumus, hoc eſt, per quem ſors nobis obvenit, intellige vocationis, adoptionis filiorum hæreditatis, aut quid ſimile; ſolebat enim antiquitùs ſorte dividi hæreditas, unde & à ſorte nomen habet & ſortis nomine hæreditas aliquando ſignificatur in Scripturis. Viſum eſt autem Apoſtolo divinam electionem ſeu vocationem ſortitionis vocabulo deſignare, non quòd temerè, & abſque ratione alios præ aliis Deus eligat aut vocet; ſed quia in ipſis electis nulla eſt cauſa cur eligantur præ aliis. Itaque *ſorte* electi ſunt & vocati, ſi ipſorum qualitas & merita conſiderentur: judicio autem electi, ſi Dei ſapientia cogitetur quæ nihil temerè facit, ita *Aug. Conc.* 2. *ſup. Pſ.* 30. & *Thom.*; ideò ſubdit ad beneficia ſuperiùs commemorata *prædeſtinati ex propoſito*, certoque decreto ejus qui non ſolùm hæc gratiæ beneficia, ſed ſimpliciter omnia quæcumque ſunt, vi ſuâ operatur ſecundùm deliberatam ſuam voluntatem: ex *Hier.* & verbum Græcum ἐνεργεῖν ſignificat operationem efficacem. Itaque ſentit Apoſtolus, Deum efficaciter operari ſalutem & totam juſtificationem noſtram, ſicut univerſa operatur nimirum cauſalitate Phyſicâ propriè dictâ, ex *Eſtio*. Ex quo conſequens eſt, non ex meritis, ſed merâ Dei voluntate nos prædeſtinari, ex *Theoph.*; quam rationabilem eſſe non dubium eſt, ait *Hier.*

℣. 12. *Ut ſimus in laudem gloriæ ejus nos, qui ante ſperavimus in Chriſto :*

Significatur electionis ſeu prædeſtinationis cauſa finalis, ſcilicet *laus* & *gloria* Dei : ſenſus eſt, ad tanta bona prædeſtinati ſumus à Deo, ut ipſe in nobis laudetur & glorificetur tanquam in opere ſuo, in quo inſigniter reluceat ejus bonitas & ſapientia ; in nobis, inquam, qui *priùs ſperavimus in Chriſto*, id eſt, Judæis, vel Apoſtolis : dicuntur autem Judæi priùs in Chriſto ſperare ; vel priùs quàm Chriſtus veniret ; erant enim ante Chriſti adventum multi Chriſtum expectantes, ùt Simeon juſtus, Anna Propheteſſa, & ante hos Reges & Prophetæ cupientes videre & audire ea quæ Chriſti Diſcipulis videre & audire contigit, *Luc.* 10. Vel priùs quàm Gentiles in Chriſto ſperarent, id eſt, ſalutem à Chriſto expectarent : ex *Hier.* Non quòd hac in re Judæis ſint inferiores, cùm ab initio ad eum modum præfiguratæ res ſint divinitùs, ait *Chryſ.*

℣. 13. *In quo & vos, cùm audiſſetis verbum veritatis (Evangelium ſalutis veſtræ) in quo & credentes ſignati eſtis Spiritu promiſſionis ſancto,*

Tranſit à Judæis, ad Gentiles vocatione & fide poſteriores, inter quos erant Epheſii. Hos igitur alloquens commemorat divinam etiam erga illos beneficentiam : ſupplendum autem, *In quo* Chriſto *vos* etiam *ſperaſtis*, non quidem olim ùt nos ; eratis enim ſinè lege & prophetis : ſed nuper ſperare cœpiſtis, *cùm* ex nobis miniſtris *audiſſetis verbum veritatis* quod idem eſt *Evangelium ſalutis veſtræ. Signati*, Græcè *obſignati*, & ſenſus eſt : item per quem ſcilicet Chriſtum poſtquam Evangelio credidiſtis, obſignati eſtis *Spiritu ſancto* velut *promiſſionis*

ſigillo, id eſt, Spiritum ſanctum accepiſtis quæ certa nota eſt, certumque teſtimonium, vos eſſe filios Dei, ad quos promiſſa ſpectet hæreditas. Vel *ſpiritum promiſſionis*, id eſt, Spiritum promiſſum credentibus & ex promiſſione datum, extat enim promiſſio apud *Joëlem* prophetam c. 2. quæ à *Petro* Apoſtolo *Act.* 2. ℣. 16. allegatur: ex *Chryſ.* Vel charismata Spiritûs S. ut 2. *Cor.* 1. ℣. 22.

℣. 14. *Qui eſt pignus hæreditatis noſtræ, in redemptionem acquiſitionis, in laudem gloriæ ipſius.*

Ipſum igitur Spiritum ſanctum vocat & ſigillum promiſſionis quo obſignati ſumus, & *pignus* ſive arrham *hæreditatis noſtræ*, id eſt, quâ nobis confirmetur hæreditas promiſſa, quæ eſt vita æterna: hoc autem de Spiritu ſancto dicitur ratione chariſmatum ejus quæ tribuit credentibus: & *ſi arrhabo tantus, quanta erit poſſeſſio?* ait *Hier.* *Redemptionem acquiſitionis.* Alii intelligunt eam quæ continuè agitur in hoc ſæculo, ut ſenſus ſit, in quo Chriſto ſignati eſtis Spiritu ſancto, variis donis ejus acceptis, per quod paulatim completur redemptio populi, quem Chriſtus acquiſivit ſemel in cruce: fit autem & completur quotidie dum poſſeſſio ſemel empta paulatim in ſingulis vendicatur. Alii referunt ad ſæculi conſummationem, hoc ſenſu: Qui ſpiritus eſt nobis arrha hæreditatis, hoc eſt vitæ æternæ, idque in *redemptionem acquiſitionis*, hoc eſt quouſque veniat tempus perfectæ redemptionis Eccleſiæ, quam ſanguine ſuo acquiſivit nempe ſæculo hoc finito, quando plenam adepturi ſumus hæreditatem, dico perfectam redemptionem, ſic ut nihil remaneat ſervitutis, nec peccati, nec miſeriæ, morte penitùs aſſumptâ. *In laudem gloriæ ipſius*,

vel Chriſti, vel Spiritûs ſancti, vel Dei Patris. In quibus indeſinenter cauſam ponit, quâ iſta non aliter fiant; ut notat *Chryſ.*

℣. 15. *Propterea & ego audiens fidem veſtram, quæ eſt in Domino Jeſu, & dilectionem in omnes ſanctos,*

Cùm igitur conſtet ex iis quæ dixi, etiam ad vos pertinere beneficium electionis & vocationis divinæ, idcircò *& ego* veſter Apoſtolus auditâ *fide veſtrâ* in Chriſto & *dilectione in omnes Sanctos*, id eſt, cùm audiſſem fidem veſtram quâ me prædicante in Chriſtum credidiſtis, integram eſſe, nec corruptam per falſos magiſtros, nec turbatam per mea vincula; cùmque etiam audiviſſem quanta dilectionis opera exerceatis erga omnes fideles.

℣. 16. *Non ceſſo gratias agens pro vobis, memoriam veſtri faciens in orationibus meis:*

Qui fidem hanc & dilectionem vobis contulit, gratias ago pro his quæ jam accepiſtis, & orationes facio, ut quæ necdum habetis habere poſſitis, ſic *Anſel.*

℣. 17. *Ut Deus, Domini noſtri Jeſu Chriſti Pater gloriæ, det vobis ſpiritum ſapientiæ & revelationis, in agnitione ejus:*

Hic verſus ita connectitur cum ſuperiori, *in orationibus meis*, quibus peto, *ut Deus* &c. quod veteres tam græci quàm latini ſic intelligunt: *ut Deus Chriſti* hominis, qui idem eſt *Pater gloriæ*, id eſt author totius glorificationis. Neoterici verò quidam verba per hyperbaton ſic tranſponunt, *ut Deus gloriæ*, qui eſt *Domini noſtri Jeſu Chriſti Pater*, phraſi Hebræâ,

A 6

eſt, *Deus glorioſus*; Vel meliùs *ut Deus*, qui eſt Domini noſtri Jeſu Chriſti Pater glorioſus idemque gloriam ſuam communicans filio, ſecundùm illud quod dicit *ad Phil.* c. 2. ꝟ. 11., noſtrorum chariſmatum vos etiam Epheſios participes faciat, largiens & adaugens *vobis ſapientiam* quâ ipſum ejúſque myſteria quæ humanâ ratione percipi nequeunt, ſed ſolâ diſcuntur revelatione divinâ, cognoſcatis. Solus ſpiritus novit qui & profunda ſcrutatur, ait *Chryſ.*

ꝟ. 18. *Illuminatos oculos cordis veſtri, ut ſciatis quæ ſit ſpes vocationis ejus, & quæ divitiæ gloriæ hæreditatis ejus in ſanctis*,

Det inquam vobis habere *oculos* intellectûs veſtri *illuminatos* ad hoc ut magis ac magis cognoſcatis quæ & quanta ſint bona ad quæ ipſe vos vocat, & quæ vos jubet ſperare, & quàm opulenta & magnifica ſit gloria cœleſtis quæ eſt hæreditas ſanctis, hoc eſt, fidelibus in Chriſto ſanctificatis tamquam filiis adoptionis ab ipſo promiſſa.

ꝟ. 19. *Et quæ ſit ſupereminens magnitudo virtutis ejus in nos, qui credimus ſecundùm operationem potentiæ virtutis ejus*,

Ut cognoſcatis excellentem magnitudinem potentiæ Dei quam oſtendit erga nos, *qui credimus* Evangelio, ſcilicet reſuſcitando nos ad vitam & gloriam ſicut Chriſtum reſuſcitavit; ex *Oecum.* & *Thom.*: Vel *virtutem* ſeu potentiam Dei quâ utitur in vocandis infidelibus ad fidem ex *Theoph.*; quæ major eſt quàm mortuum excitare ex *Chryſ.*, vel *virtutem* ejus *in nos* Apoſtolos, id eſt, quàm larga & copioſa *virtus* ejus

in nos provenit, ut ſpirituali ſcientiâ illuſtrati & virtute Spiritûs ſancti nihil timeremus, ſed magnâ authoritate regibus & tyrannis contradicentes Evangelium, ubique prædicaremus, & miracula potenter operaremur; & hæc *magnitudo virtutis* quæ data eſt nobis, eſt *ſupereminens*, id eſt, ſuper alios manens; quia nobis excellentiora ſunt data quàm aliis, & quia intenſiùs & firmiùs credimus quàm alii, ex *Anſelm.*

℣. 20. *Quam operatus eſt in Chriſto, ſuſcitans illum à mortuis, & conſtituens ad dexteram ſuam in cœleſtibus:*

Quam virtutem erga nos declarabit efficaci operatione potentiſſimæ virtutis ſeu fortitudinis ſuæ quam & *in Chriſto* exercuit, q. d. Non minùs erit potens Deus in reſuſcitandis nobis, atque fuit *in Chriſto, ſuſcitans illum à morte* ad vitam immortalem. Cùm dicit Apoſtolus quòd Deus ſuſcitavit illum; non negat Chriſtum à ſe ipſo reſuſcitatum eſſe, ùt de ſeipſo fatetur *Joan.* c. 2. ℣. 18. & c. 10. ℣. 19. Sed de Chriſto ſecundùm naturam aſſumptam *Paulus* loquitur: Chriſtus verò in Evangelio inſinuat naturam quam habet cum Patre communem. *Et conſtituens ad dexteram*, ubi Chriſtus dicitur à Deo Patre collocatus ſive ſedere juſſus ad dexteram ipſius *in* locis *cœleſtibus*: quia corporaliter & ſecundùm humanam naturam elevatus in cælum, proximam illic à Deo Patre dignitatem, authoritatem & gloriam quietus poſſidet, juxta illud *ad Rom.* c. 8. *qui eſt ad dexteram Dei*: proximam dico, quatenùs homo eſt; nam ùt Deus ab æterno omnia habet eadem cum Patre; ita *Græci.*

℣. 21. *Supra omnem principatum & poteſtatem, & virtutem, & dominationem, & omne nomen, quod nominatur non ſolùm in hoc ſæculo, ſed etiam in futuro.*

Ut per hoc oſtendatur eſſe majoris dignitatis & amplioris felicitatis quàm aliquis ſpiritus in his ordinibus, quia excelſior cœlis, id eſt, ſpiritibus Angelicis *factus* eſt; *omne nomen*, pro re, vel perſona poſuit, ut ſit ſenſus, Chriſtum à Patre evectum & collocatum ſupra omne quod in creaturis habet, aut habere poteſt nominis celebritatem ſine exceptione, ſive *in hoc ſæculo* quod eſt hominum mortalium; ſive *in futuro*, quod eſt Angelorum immortalium, non tam ſitu corporis, quàm poteſtatis excellentiâ. Quàm reverà ſtupenda res eſt, homini ſerva facta eſt univerſa creata poteſtas propter inhabitationem Dei verbi, ait *Chryſ.*

℣. 22. *Et omnia ſubjecit ſub pedibus ejus; & ipſum dedit caput ſupra omnem Eccleſiam,*

Omnia, id eſt, omnem intellectualem creaturam Angelicam & humanam, etiam dæmones & homines impios, & ex conſequenti omnem creaturam rationis expertem quæ propter intellectualem facta eſt. Quod ait *ſub pedibus ejus*, notat omnimodam ſubjectionem, ſcilicet quòd nec audeant, nec poſſint contraire imperio ejus; ait *Anſel.* ut 1. *Cor.* 15. & *Heb.* 2; quod perfectè implendum in futuro ſæculo, & hoc de Chriſto homine intelligendum: Chriſtus enim ut Deus ſemper omnia cum Patre ſubjecta habet: & dicendo *omnia* Apoſtolus declarat, eum eſſe omnium Dominum. *Et ipſum dedit* non ex merito noſtro, ſed ſolâ

ſuâ gratiâ, *caput ſuper omnem Eccleſiam*, Græcè *ſuper omnia Eccleſiæ*, ſcilicet bona virtutum ut ipſe eſſet caput & fons omnium bonorum Eccleſiæ; vel *ſuper omnia* membra *Eccleſiæ*, ut majorum & minorum fidelium caput eſſet; vel Judæorum & gentium, ex *Anſel.* Et ſicut caput non ſolùm præeſt corpori, ſed etiam influit ac diffundit in membra virtutem operandi, & cùm illis ejuſdem eſt naturæ: ſic & homo Chriſtus non ſolùm præeſt toti Eccleſiæ, ſed etiam influit in eam occultò quodam modo gratiæ ſuæ donis, & denique cum ea humanam naturam participat. ex *S. Thom.* Ex quo infertur non per omnia eſſe caput Angelorum quo modo eſt caput Eccleſiæ: ex *Eſtia.*

℣. 23. *Quæ eſt corpus ipſius, & plenitudo ejus, qui omnia in omnibus adimpletur.*

Eccleſia tota vocatur *corpus* Chriſti, ùt capitis, quia inſtar corporis naturalis veritate membrorum diſtinctâ, à Chriſto ſibi per naturam humanam unito, regitur & influxum accipit ſuarum operationum: quo fit ut ſinguli fideles boni & mali, quamdiu Eccleſiæ adhæreſcunt, non ſolùm membra dicantur Eccleſiæ tamquam corporis, ſed etiam Chriſti tanquam capitis, ex *Hier.* Eccleſia eſt *plenitudo ejus*, id eſt, plenarium corpus ejus; nullum enim membrum deeſt ibi quod ſoleat eſſe in humano corpore, ſed ſunt qui provident aliis, ùt oculi; ſunt qui miniſtrant, ùt manus: ſunt qui loquuntur verbum ſalutis, ùt os. *Qui* Chriſtus *adimpletur*, non in ſe, quia ſic plenus, ſed *in omnibus* fidelibus ſuis. Et quid Chriſtus eſt in electis ſuis? *Omnia* bona, quæ ſunt in eis, id eſt, Charitas, humilitas, patientia, caſtitas, &c. Dum

igitur hæc augentur in eis & multiplicantur uſque ad plenitudinem, ipſe *adimpletur* in eis qui & in futuro feliciter adimplebitur; *ut ſit Deus omnia in omnibus* 1. *Cor.* 15. Vel *adimpletur* ipſe nunc *omnia in omnibus*, dum membra ejus quotidie ſecundum quantitatem proficiunt, & dum defunctis his, qui ſunt oculi, os, ſuccedunt alii pro eis: ex *Anſel.*

CAPUT II.

Nos naturâ iræ filios, gratia Chriſti per fidem ſalvari docet: & gentes factas eſſe participes promiſſionum Dei, per Chriſtum lapidem angularem.

℣. 1. *Et vos, cùm eſſetis mortui delictis, & peccatis veſtris,*

SUperius dixit, quid Deus in Chriſto operatus ſit, hic jam declarat, quid in nobis, qui membra Chriſti ſumus, per gratiam ſuam operetur. Suſcitavit Jeſum à mortuis, & *vos* ſpiritualiter cum eo reſuſcitavit ab interna morte, *cùm eſſetis mortui* in anima *delictis* & *peccatis veſtris*: ſicut enim juſtitia eſt vita animæ, ſic peccatum mors ejus eſt. Hoc intereſt inter delicta & peccata, quòd delicta ſint quaſi initia peccatorum, ut dum agitatio ſubrepit; peccata dum pervenit ad opus: ex *Hier.*; vel peccatum eſt perpetratio mali, delictum deſertio boni: ex *Aug.*; ſenſus eſt: & *vos* qui jam eſtis *mortui peccatis & delictis veſtris*; id eſt non ampliùs viventes iis, nihilque commercii cum illis ampliùs habentes, ut *Rom.* 6.

℣. 2. *In quibus aliquando ambulaſtis ſecundùm ſæculum mundi hujus, ſecundùm principem poteſtatis aëris hujus, ſpiritûs, qui nunc operatur in filios diffidentiæ,*

In quibus peccatis & delictis vitam præteritam egiſtis, tantùm ſectantes hujus ſæculi bona, ſcilicet temporalia & carnalia, ſecundùm inſtinctum, ſuggeſtionem, voluntatem diaboli, qui eſt *princepsi poteſtatum aëris hujus* caliginoſi, nobis proximi, qui aëris eſt *ſpiritus*; ſiquidem venti ſpiritus vocantur: vel meliùs aër *ſpiritûs* ſeu ſpirituum dicitur, quòd in eo degant ſpiritus maligni. *Qui nunc operantur in filios diffidentiæ*, hoc eſt efficaces ſunt, magnum habent ſucceſſum ſuarum tentationum ac ſuggeſtionum ad omne peccatorum genus in hominibus incredulis, qui fidei contumaciter reſiſtunt, nec perſuaſionem ejus admittunt. *In filiis contumacibus*, legit *Cypr.*

℣. 3. *In quibus & nos omnes aliquando converſati ſumus in deſideriis carnis noſtræ, facientes voluntatem carnis, & cogitationum, & eramus naturâ filii iræ, ſicut & ceteri:*

In quibus verti poteſt inter quos filios diffidentiæ, *nos omnes* fuimus *aliquando converſati*, nempe quotquot etiam ex Judæis ad fidem Chriſti converſi ſumus, q. d. nos aliquando ex eorum numero fuimus. Vel *in quibus* ſcilicet *delictis & peccatis*, non ſolùm vos qui non habetis carnales obſervantias, ſed & *nos* qui iſtas obſervabamus, & illi qui modò ſunt tanti Apoſtoli, *nos*, inquam converſati ſumus, id eſt per omnia genera vitiorum verſati ſumus aliquando. id eſt ante converſionem noſtram, *in deſi-*

d'riis carnis noſtræ, id eſt, in concupiſcentiis ejus, & eramus *facientes voluntatem carnis*, id eſt, opere complebamus, quod carnalitas noſtra exigebat ſecundùm libidinem, & crapulam &c.

℣. 4. *Deus autem, qui dives eſt in miſericordia, propter nimiam charitatem ſuam, quâ dilexit nos,*

Non utcumque miſericors, ſed *dives in miſericordia*, ut clariùs ſignificetur cauſa beneficii præſtiti non ex parte noſtra, ſed Dei, hoc autem à multa miſericordia pervenit, quod ſicut *Rom.* 5. docet Apoſtolus, cùm eſſemus filii iræ, id eſt peccatores & inimici, nos ſibi per mortem filii ſui reconciliaverit. Idem docet verbis ſequentibus.

℣. 5. *Et cùm eſſemus mortui peccatis, convivificavit nos in Chriſto, (cujus gratiâ eſtis ſalvati)*

Mortui quantùm ad boni alicujus operationem, hoc autem factum eſt propter noſtra delicta, *vivificavit nos* cum *Chriſto*, ut *Col.* 2. ex *Hier.*, id eſt, unà cum Chriſto vivere fecit, quod intellige de vita juſtitiæ, quæ nobis peccato mortuis datur in baptiſmo, quæque per Chriſtum ex morte redivivum fuit quodammodo repræſentata *Rom.* 6.; vel de vita gloriæ quam in ſpe jam habemus. *Cujus gratiâ ſalvati eſtis*, non labore, non propriis bonis operibus. Nam cùm oportuiſſet punire eos qui facti erant filii iræ, hos ſolâ gratiâ ſervavit, ait *Oecum.*

℣. 6. *Et conreſuſcitavit, & conſedere fecit in cœleſtibus in Chriſto Jeſu:*

Unà cum Chriſto nos reſuſcitavit & ſimul cum eo *ſedere fecit in cæleſtibus* locis, idque per Chriſtum Jeſum: vel reſuſcitatione & ſeſ-

ſione ſpirituali quam conſequimur in hac vita à morte peccati ad vitam juſtitiæ, & fecit ut converſatio noſtra in cœlis ſit: vel reſurrectione corporum & habitatione cœleſti quam in conſummatione ſæculi expectamus, ùt *Rom.* 8. ℣. 11. ex *Hier.*

℣. 7. *Ut oſtenderet in ſæculis ſupervenientibus abundantes divitias gratiæ ſuæ in bonitate ſuper nos in Chriſto Jeſu.*

Ut oſtenderet in ſæculis ſupervenientibus, id eſt, toto ſequenti tempore *divitias gratiæ ſuæ in bonitate*, id eſt benignitate quâ erga nos uſus eſt per Chriſtum Jeſum, ùt *Col.* 1. ℣. 26., utque eâ manifeſtatâ ipſe glorificetur. Et declarat quo opere Deus voluerit oſtendere ſupereminentes divitias gratiæ ſuæ, nimirum opere bonitatis ſeu benignitatis ſuæ, nobis impenſo per Chriſtum. Quo breviter comprehenditur univerſa juſtificatio, redemptio, & ſalus noſtra, quæ tota & omni parte eſt à Deo per Chriſtum: ex *Eſtio*.

℣. 8. *Gratiâ enim eſtis ſalvati per fidem, & hoc non ex vobis: Dei enim donum eſt,*

Tota ſalus veſtra ab initio uſque ad finem eſt ex beneficentia Dei, quam gratis omninò impendit; & fides quâ in Chriſtum creditur, eſt hujus ſalutis initium & fundamentum, & per eam tota reliqua ſalus impetratur, idque ex ordinatione divina quâ conſtitutum eſt, neminem ſalvum fieri, niſi primùm omnium credat in Chriſtum: & eâ fide per modum cujuſdam meriti ſalutem conſequatur. Et hoc, inquit, quod dixi *per fidem*, non ita volo accipi quaſi ipſam fidem à gratia excipiam, nam *& hoc* ipſum ſcilicet credere, *non eſt ex vobis*, hoc eſt, ex viri-

bus naturæ ſeu liberi veſtri arbitrii, *Dei enim donum eſt*, ita *Aug. lib. de dono perſev. Epiſt.* 107. *Proſper.* l. 1. *de voc.* c. 23., & *Conc. Arauſ. can. ult.*; quæ Doctrina non tantùm de habitu fidei, ſed etiam de actu intelligitur, ùt *Joan.* 6. ℣. 29. *Philip.* 1. ℣. 29.

℣. 9. *Non ex operibus, ut nequis glorietur.*

Quod ad totam ſalvationem noſtram fide etiam comprehenſâ referendum eſt, quæ tota *non ex operibus*, id eſt, non ex meritis, ſed tantùm ex gratia, ſcilicet ad eum ſenſum quo ſecundùm ſcripturas Eccleſia docet homines non prædeſtinari ex meritis, ſed ex ſolo Dei beneplacito. Dicit in verſu præcedenti *ſalvati eſtis*, tum quia inchoata per juſtificationem erat eorum ſalus; tum quia certâ ſpe perficienda expectabatur, ùt ad *Rom.* 8. ℣. 24. *Spe enim ſalvi facti ſumus. Ne quis glorietur*, in ſeipſo, in viribus naturæ ac liberi arbitrii, ſed ut tota gloria referatur in Deum, ait *S. Thom.*

℣. 10. *Ipſius enim ſumus factura, creati in Chriſto Jeſu in operibus bonis, quæ præparavit Deus ut in illis ambulemus.*

Vocat Apoſtolus nos *facturam*, non quatenùs homines ſumus, de hoc enim hìc non agitur, ſed quatenùs Chriſtiani: ùt patet ex his verbis, *creati in Chriſto.* Priorem partem ita explicat *S. Thomas*, *Ipſius factura ſumus*, quia quidquid boni nos habemus, non eſt ex nobis ipſis, ſed ex Deo faciente; ſecundùm illud *Pſalmi* 99. *Ipſe fecit nos, & non ipſi nos.* Quem verſiculum etiam in hunc ſenſum adducit *S. Aug. Serm.* 11. *de verbis Apoſt.* & *Enchir.* 31. Similiter *Creati* dicimur *in Chriſto Jeſu in operibus bonis* tamquam effectibus Dei creantis. Nec tamen per hoc ſubtrahuntur opera noſtra

bona libero arbitrio; quia reſtitutione liberi arbitrii data eſt nobis libertas bene operandi, id eſt facti ſumus habiles ad bene operandum. Et hoc factum eſt *in Chriſto*, id eſt in gratia ejus, non in merito noſtro, *qua* opera bona *Deus* prædeſtinando *præparavit*, præveniens arbitrium noſtrum; omne enim bonum à gratia Dei ſumit originem: & ita *præparavit ut in illis ambulemus*, id eſt promoveamur & proficiamus de bono ad melius, hæc *Anſel.* Refert ergo noſtra bona ad efficaciam divinæ prædeſtinationis, quam vocat præparationem, ut *Matt.* 25. ℣. 34. Dicitur autem Deus, nobis illa præparaſſe, in quantum diſpoſuit, ſe nobis ea daturum, & ne quis exiſtimet, bona opera ſic nobis à Deo præparari, ut ipſi per liberum arbitrium nihil agamus, ideo addidit, *ut in illis ambulemus*, ùt *Ezech.* 36. ℣. 27.

℣. 11. *Propter quod memores eſtote, quòd aliquando vos gentes in carne, qui dicimini præputium ab ea, quæ dicitur circumciſio in carne, manu facta:*

℣. 12. *Quia eratis illo in tempore ſinè Chriſto, ...*

Revocat Apoſtolus Epheſios ad conſiderationem priſtini ſtatûs ſui, ut ejus comparatione intelligant & agnoſcant magnitudinem gratiæ præſentis, per Chriſtum ſibi præſtitæ; tanquam breviter eis dicat. Semper meminiſſe debetis, & quid aliquando fueritis, & quid nunc facti ſitis, verborum vera explicatio eſt hæc: Quoniam ad tantam gratiam ſinè ullis meritis veſtris vocati eſtis, ideò *memores eſtote*, & gratis animis recolite, *quòd vos aliquando, qui* eſtis, *ſive eratis gentes in carne*, id eſt ſecundùm carnalem generationem Gentiles, utpote ex Gentilibus progeniti; quique, quòd car-

ne incircumciſi ſitis, non ſinè contemptu vocamini, ſive vocabamini *præputium*, idque à Judæis qui vocantur aut vocabantur circumciſio, nimirum ob circumciſionem *manibus factam* quam geſtant in carne, quòd inquam vos *illo tempore eratis ſinè Chriſto*, ſinè notitia Chriſti redemptoris, quem Judæi expectabant, ita *Eſtius.*

℣. 12. . . . . *alienati à converſatione Iſraël, & hoſpites teſtamentorum, promiſſionis ſpem non habentes, & ſinè Deo in hoc mundo.*

Alienati, id eſt, alium vivendi ritum habentes: illi unum Deum adorabant, vos ſimulacra muta colebatis; eratis quoque alieni à teſtamentis & extranei, hoc eſt ad quod nihil ſpectabant teſtamenta & pacta Judæis facta. Et *hoſpites promiſſionis*, id eſt, extranei, nec partem habentes in promiſſis teſtamentis & pactis, neque *ſpem habentes* reſurrectionis, vel non ſperantes in promiſſionibus Judæorum. Et eratis *ſinè Deo*, quia etſi plures Deos colebant, nullus tamen erat illis verus Deus, ita *Hier.* & *Guig.*

℣. 13. *Nunc autem in Chriſto Jeſu vos, qui aliquando eratis longè, facti eſtis propè in ſanguine Chriſti.*

Nunc autem, cùm in Chriſtum credidiſtis, *vos qui* per idololatriam *procul eratis* à Deo, ad eum per Chriſti ſanguinem appropinquaſtis, utpote adducti ad Dei notitiam, & populo ejus in unum corpus Eccleſiæ conjuncti: vel vos in Chriſto Jeſu, id eſt, vos Chriſtiani.

℣. 14. *Ipſe enim eſt pax noſtra, qui fecit utraque unum, & medium parietem maceriæ ſolvens, inimicitias in carne ſua :*

℣. 15. *Legem mandatorum decretis evacuans, ...*

Ipſe enim ſcilicet Chriſtus, *eſt pax noſtra*, id eſt, pacificator; non ſolùm quia pacificavit nos Deo; ſed (quod hic Apoſtolus præcipuè conſiderat) quia duos populos Judæorum & Gentium, diverſis ritibus diſcordantes, fecit in fide concordes, unamque Eccleſiam; juxta prophetiam *Ezech.* 37. ℣. 22. & juxta Chriſti promiſſionem *Joan.* 10. ℣. 16. Hanc unionem fecit *medium parietem maceriæ ſolvens*, id eſt, ſolvens illud quod obſtruebat acceſſum unius ad alterum, nempe *inimicitias*, vel potiùs harum cauſam: quæ cauſa erat quaſi paries medius dividens utrumque populum. Quæſtio eſt quæ ſit illa cauſa, ſeu quid per parietem hic intelligat Apoſtolus. Author horum commentariorum inſinuat duplicem parietem, alterum ex parte Judæorum, ſcilicet circumciſionem, totamque legem moſaïcam; alterum ex parte gentium ſcilicet idololatriam: tam enim idololatria gentium offendebat judæos, quàm legis jugum gentiles, ne coïrent in unum populum. Verùm hæc imaginatio gemini parietis (ait *Eſtius*) teſte *S. Thomâ* videtur præter intentionem Apoſtoli, qui unius tantùm meminit, nempe *Legis mandatorum*, quæ Judæos à gentilibus etiam ad fidem converſis ita dividebat, ut illâ ſtante, non poſſet ex utroque populo unum Eccleſiæ corpus conſtitui: Unde juxta *Eſtii* expoſitionem, quæ menti Apoſtoli conformior apparet, Lex mandatorum eſt cauſa inimicitiarum, ſive medius ille

paries, de quo agit Apoſtolus. Chriſtus ſolvit hunc parietem, & *inimicitias* indè ortas *in carne ſua*, hoc eſt, juxta auctorem per incarnationem ſuam: ſed meliùs juxta *Eſtium in carne ſua* explicatur hoc modo: per paſſionem & crucem quam *in carne ſua* ſuſtinuit. *Legem mandatorum*, id eſt, legem moſaïcam, quâ parte comprehendebat multitudinem præceptorum cæremonialium, *decretis evacuans*, ſeu abrogans: Decreta autem, teſte *Eſtio*, commentatores tam græci quàm latini hìc magno conſenſu interpretantur præcepta novi teſtamenti, quæ ſunt de fide, charitate & moribus, quæ Chriſtus in Evangelio tradidit. Hanc expoſitionem valde probabilem faciunt alia loca in quibus Apoſtolus docet, nos per Chriſti legem Veteri mortuos eſſe: ùt *Rom.* 7. ℣. 4. & *Gal.* 2. ℣. 19.

℣. 15. *ut duos condat in ſemetipſo in unum novum hominem, faciens pacem,*

Idcirco, inquit, medium parietem ſolvit, hoc eſt, legem evacuavit *ut duos* ſcilicet populos tamquam duos homines *condat*, ſeu creet, *in unum novum hominem*, *faciens* inter eos *pacem* diſſidii causâ ſublatâ. *In ſeipſo*, hoc eſt per ſeipſum, ex *Chryſ.*

℣. 16. *Et reconciliet ambos in uno corpore, Deo per crucem, interficiens inimicitias in ſemetipſo.*

Et ut *ambos* homines unum corpus effectos reconciliaret *Deo per crucem*, id eſt, reſtitueret in gratiam & amicitiam Dei Patris ſui per meritum ſuæ paſſionis, videlicet peremptâ & extinctâ *in ſemetipſo*, hoc eſt, in carne ſua, ſive per carnem ſuam paſſioni expoſitam, etiam illâ *inimicitiâ*, quæ ex peccato erat inter Deum & homines.

℣. 17.

℣. 17. *Et veniens evangelizavit pacem vobis, qui longè fuiſtis, & pacem iis, qui propè.*

Et cùm veniſſet in mundum per incarnationem, etiam verbo ſeu doctrinâ annunciavit *pacem* futuram *vobis* Gentilibus *qui longè* eratis à Deo; *& iis qui propè* erant, id eſt, Judæis Deo propinquis per ejus notitiam & legem ab eo acceptam, quâ in Dei cultu continebantur. *Pacem* intellige reconciliationem cum Deo, & conſenſum mutuum inter ipſos Judæos & Gentiles. Priorem pacem Chriſtus ipſemet annunciavit Gentilibus *Matth.* c. 8. ℣. 11., c. 24. ℣. 14. *Joan.* c. 12. ℣. 32.; denique *Matth. Marci & Lucæ ultimo*, ubi præcepit Apoſtolis docere omnes Gentes. Poſteriorem autem pacem annunciavit utrique populo *Joan.* c. 10. ℣. 16. & *Matth.* c. 21. ℣. 43. Porrò alii interpretantur, Chriſtum iis qui longè erant, evangelizaſſe non in ſua perſona, ſed per Apoſtolos: ita *S. Thom.* illud tamen quod prius dixi (ait *Eſtius*) quodque ab *Anſelmo* bene explicatum reperio, probabilius apparet.

℣. 18. *Quoniam per ipſum habemus acceſſum ambo in uno Spiritu ad Patrem.*

Exponit modum reconciliationis, quia *per ipſum* tanquam mediatorem noſtrum & pacificatorem, *ambo* ſcilicèt populi, *habemus* facultatem accedendi *ad Patrem*: & hoc *in uno ſpiritu* in unanimi voluntate fidei & religionis atque charitate: vel *in uno ſpiritu*, id eſt, in Spiritu ſancto qui unus & idem eſt, licèt varia dona diſtribuat; vel *in uno ſpiritu* adoptionis filiorum, quo Deo ùt Patri conjungitur. *In* hìc idem eſt quod *per*, hoc eſt, per ſeipſum & ſpiritum adduxit nos ad Patrem: ex *Chryſ.*

℣. 19. *Ergo jam non eſtis hoſpites, & advenæ: ſed eſtis cives Sanctorum, & domeſtici Dei:*

Quandoquidem vos Gentiles unum cum Judæis in Chriſto facti eſtis, & Deo pariter reconciliati, *ergo jam* à tempore fidei *non eſtis hoſpites* teſtamentorum, ùt olim ſcilicet peregrini ſive extranei à promiſſis, populo, civitate, ac domo Dei, neque *advenæ*, quod alii vertunt accolæ vel incolæ, id eſt juxta vel inter cives domicilium habentes, ſed ita ut ad eorum numerum non pertineant: quomodo plures Gentes inter Judæos, & viciſſim plures Judæi inter Gentes habitaverunt: aliqui per *advenas* intelligunt proſelytos qui per circumciſionem tranſibant in rempublicam & legem Judæorum; quod *Eſtius* menti Apoſtoli contrarium putat, quia proſelyti nullo pariete medio dividebantur à Judæis. *Sed eſtis cives Sanctorum*, per hos plerique intelligunt cœleſtis patriæ cives; ſive Angelos, ſive Patriarchas & Prophetas, ùt locus hic ſimilis ſit illi *Heb.* 12. ℣. 22. Verùm contextus magìs exigit, ut *Sancti* in genere intelligantur quicumque per Baptiſmum mundati ſunt à peccatis: ùt ſunt omnes fideles, qui paſſim in Epiſtolis Paulinis *Sancti vocantur*: ita *Eſtius*.

℣. 20. *Superædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum, & Prophetarum, ipſo ſummo angulari lapide Chriſto Jeſu:*

Fundamentum quod ſunt Apoſtoli & Prophetæ ùt *Apoc.* 21. ℣. 14. Chriſtus primarium 1. *Cor.* 3. ℣. 11., Apoſtoli & Prophetæ ſecundarium; quatenùs ſalutis doctrinam quæ in ſolo Chriſto eſt, divinitùs acceptam hominibus annunciarunt, *Prophetæ* obſcuriùs; *Apoſtoli* clariùs: & dicuntur *fundamentum*, non fundamenta, ut per hoc conſenſus doctrinæ ſig-

nificetur, id eſt, ita ſuperædificati eſtis ſuper Apoſtolos & Prophetas tanquam fundamentum, ut tamen ſummus ſive extremus *angularis lapis* qui illi ipſi fundamento firmitatem præſtat, ſit ipſe *Chriſtus* & non alius; vel ita eſt lapis angularis, ut ſit etiam ſummus in ipſo ædificio, angularis ſecundùm fidem, ſummus ſecundùm fidei conſummationem, ex *Anſel.* Reſpicit haud dubiè Paulus ad illud *Pſalm.* 117. *Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli:* quem locum Chriſtus ipſe citat *Matth.* 21. ℣. 42. & *Petrus* 1. *Ep.* 2. ℣. 7.

℣. 21 *In quo omnis ædificatio conſtructa creſcit in templum ſanctum in Domino,*

In quo lapide ſummo *omnis ædificatio*, tam Gentilium quàm Judæorum, *conſtructa* ſecundùm fidem & ſacramentorum perceptionem atque ſecundùm innocentiam & juſtitiam *creſcit* in virtutibus proficiens; quia nemo tam perfectus eſt qui non poſſit creſcere *in templum ſanctum*, id eſt, ut fiat ſanctum & mundum Dei Templum, & hoc totum *in Domino*, id eſt in operatione Domini, quia Dominus hoc agit, non alia carnalis obſervantia: ita *Anſel.*

℣. 22. *In quo & vos coædificamini in habitaculum Dei in Spiritu.*

In, vel ſuper *quo* lapide angulari tamquam diverſos parietes conjungente *etiam vos* Epheſii qui Gentiles eſtis, unà cum fidelibus qui ex Judæis ſunt, *ædificamini*, ipsâque ædificatione efficiamini *habitaculum Dei*, id eſt Templum, *in quo* Deus habitet, idque per operationem *Spiritûs ſancti* (contra Simonis Magi ſcholam) & non per carnales obſervantias, ùt notat *Anſel.*

CAPUT III.

Myſterium vocationis gentium ſibi revelatum docet, ſeque ad illud prædicandum à Deo delegatum, ob cujus prædicationem in carcere detentus Epheſios corroborat in fide, charitate, & ſcientia Dei.

℣. 1. *Hujus rei gratiâ, ego Paulus vinctus Chriſti Jeſu, pro vobis Gentibus,*

Ratio *Pauli* in hoc verſu vel imperfecta, ut ſupplendum aliquid ſit, vel hyperbato ſuſpenſa eſt; nam verbum quod reddatur illi nomini *Ego Paulus vinctus*, nuſquam apparet. Quidam perficiunt orationem addendo verbum *ſum*, ut hic ſit ſenſus. *Hujus rei gratiâ*, id eſt, pro hac re grata mihi, vel pro gratia Dei implenda in hac re, ſcilicet *ut vos coædificemini*, *Ego Paulus vinctus ſum pro vobis* &c. ita *Anſelm.* & *Gaign.*; ſed huic ſupplemento Græca obſtare videntur. Ideò alii ſupplent, *Ego Paulus*..... legatione fungor *pro vobis:* ſumptum hoc eſt ex *ult. cap. hujus Epiſt.* ℣. 20, *Hieronymus* hanc partem *Ego Paulus*.... refert ad id quod eſt ℣. 3. *notum mihi factum eſt ſacramentum*, pro eo quod diceret; *ego Paulus*.... cognovi *ſacramentum*, vel mihi *Paulo* . .. *notum factum eſt*. Huic conſtructioni obſtat vocula *quoniam* ℣. 3 Alii verò longius hyperbaton faciunt, nimirùm uſque ad illa verba ℣. 14. *Hujus rei gratiâ flecto genua*; ita *Theod.* & quidam recen-

tiores ; quod quidem & nobis præ cæteris placet, ait *Eſtius*. Et ſenſus eſt : *Hujus rei gratiâ*, quia videlicet eſtis cives ſanctorum & domeſtici Dei, ſuperædificati &c. *Ego Paulus vinctus* pro nomine *Jeſu Chriſti* & quidem *pro vobis gentibus*, id. eſt, veſtri causâ eo quòd Evangelium gentibus annunciaverim, *flecto genua mea*.

℣. 2. *Si tamen audiſtis diſpenſationem gratiæ Dei, quæ data eſt mihi in vobis :*

Si intellexiſtis, ùt vos audiſſe conſtat, quemadmodùm diſpenſatione ac providentiâ divinâ mihi concreditum ſit Apoſtolicum munus Evangelii, vobis Gentilibus annunciandi : *gratiam* vocat, quia gratuitò collatum ei fuerat à Deo, non aliquo merito, neque carnalibus obſervantiis, ex *Anſel.*

℣. 3. *Quoniam ſecundùm revelationem notum mihi factum eſt ſacramentum, ſicut ſuprà ſcripſi in brevi :*

Per *revelationem* mihi Deus patefecit myſterium, ſive arcanum : quodnam fuerit hoc arcanum aperit in ſequentibus, & maximè ℣. 6. Per revelationem autem intelligit eamdem quam refert ad *Gal.* 1. ℣. 12. ; quæ videtur potiſſimùm fuiſſe de tribus, 1. de myſterio redemptionis & juſtificationis hominum per Chriſtum, 2. de vocatione Gentium, 3. de legatione ipſius Pauli ad Gentes. *In brevi*, Græcè *ſicut ſcripſi in modico*, paucis verbis, ùt *Act.* 26. vel meliùs *in modico*, id eſt, *ſicut ſcripſi* paulò antè in fine *cap.* 2. ita *Oecum.*

℣. 4. *Prout poteſtis legentes intelligere prudentiam meam in myſterio Chriſti :*

Prout poteſtis ex iis quæ ſuprà ſcripſi, perlectis *intelligere* ac percipere ; quam ſcientiam

habeam de *myſterio Chriſti*, quod dico per revelationem me didiciſſe : vel ſcripſi vobis non ſecundùm rei magnitudinem, ſed juxta quod *poteſtis legentes* capere intelligentiam meam, id eſt, id quod ego intelligo & capio de myſterio Chriſti, ita *Græci*.

℣. 5. *Quod aliis generationibus non eſt agnitum filiis hominum, ſicuti nunc revelatum eſt ſanctis Apoſtolis ejus, & Prophetis in Spiritu.*

Quod myſterium *aliis* retrò ſæculis non fuit notum factum hominibus, non ſimpliciter, ſed certâ comparatione; id eſt, ita plenariè *ſicuti nunc* tempore gratiæ, quando gentes cœperunt Apoſtolorum prædicatione converti ad fidem; ita *Hier.* & *Chryſ.* Nam ſancti Patriarchæ & Prophetæ non ita clarè & perfectè cognoverunt, ſicut Apoſtoli Chriſti; utpotè quibus multæ circumſtantiæ hujus myſterii vocationis Gentium, partim à Chriſto cum ipſis adhuc converſante, partim à Spiritu ſancto poſt Chriſti aſcenſionem revelatæ ſunt, quas vel obſcurè tantùm & ſub velamine cognoverunt olim Prophetæ, vel omninò non cognoverunt, ùt 1. *Pet.* 1. ℣. 11. Apoſtolis autem factæ ſunt revelationes de particularibus illius myſterii circumſtantiis, quoad modum, tempus, locum, perſonas, &c. ùt patet exemplis Petri & Pauli, & Philippi Diaconi, *Act.* 8. 10. 13. 16. 18. & 23. ita *S. Thomas*. *Sicuti nunc revelatum eſt Sanctis Apoſtolis ejus & Prophetis*, qui ſunt in Eccleſia. Manifeſtè enim hìc loquitur de *Apoſtolis* & *Prophetis* novi Teſtamenti, de quibus c. *ſeq.* & 1. *Cor.* 1. quales Agabus & alii qui nominantur *Act.* 13. Veriſimile eſt autem hos Prophetas, non ſolùm novas accepiſſe revelationes ad hoc Chriſti myſterium pertinentes,

ſed etiam in exponendis Scripturis antiquorum Prophetarum inſtructos fuiſſe à ſpiritu divino, ut ea clariùs explicarent quæ ab illis dicta, vel etiam intellecta fuerant obſcuriùs. Jam ſequitur quid ſit hoc myſterium.

℣. 6. *Gentes eſſe cohæredes, & concorporales, & comparticipes promiſſionis ejus in Chriſto Jeſu per Evangelium :*

Gentes ſimul cum Judæis, unam hæreditatem in cœlo habituras, tanquam Dei filios, & ejuſdem corporis membra ſub uno capite Chriſto, & *comparticipes* promiſſæ benedictionis *ejus* ſcilicet Dei vel Spiritûs ſancti, idque *in Chriſto*, id eſt, per meritum Chriſti, & *per Evangelium* Gentibus annunciandum. Promiſſa autem benedictio intelligitur, de qua dictum eſt ad Abraham : *In ſemine tuo benedicentur omnes Gentes.* Quæ benedictio comprehendit omnia bona novi Teſtamenti nomine gratiæ & gloriæ breviter ſignificata, ex *Eſtio.*

℣. 7. *Cujus factus ſum miniſter ſecundùm donum gratiæ Dei, quæ data eſt mihi ſecundùm operationem virtutis ejus.*

Cujus Evangelii Gentibus annunciandi *factus* ego *miniſter* & præco non meis meritis, ſed ex liberali & gratuito dono Dei, quod gratuitum donum Apoſtolici muneris ita mihi à Deo datum eſt, ut etiam ad ejuſdem doni adminiſtrationem efficax ſit in me divinæ virtutis operatio, ùt *Gal.* 2. ℣. 8.; non ſolùm quoad interiorem mentium converſionem eorum quibus prædicabat, ùt *Matth.* 3. ℣. 9. ſed etiam quoad miracula pro confirmatione Evangelii foris exhibita, ùt *Marc. ult.* ℣. 20. & *Rom.* 15. ℣. 18. & 19.

℣. 8. *Mihi omnium Sanctorum minimo data eſt gratia hæc, in Gentibus evangelizare inveſtigabiles divitias Chriſti,*

Quæ *gratia data eſt mihi*, inquam, *Sanctorum minimo:* præ nimia humilitate dicit ſe minimum omnium Apoſtolorum 1. *Cor.* 15. ℣. 9.; hìc verò *omnium Sanctorum*, id eſt, Chriſtianorum; eâdem ratione ſe vocat primum inter peccatores, 1. *Tim.* 1. ℣. 15.; quia nullus perſecutus fuerat tanto animo & ſtudio Eccleſiam Dei; ſic veritate ſermo nitebatur non mendacio: vel *minimum* ſe ait tempore non labore, & ſic ſe humiliando fecit gratum, ait *Hieronymus:* vel quia magìs humiliatum & afflictum. Erat autem & hoc gratiæ, quòd exiguo majora illa concredebantur, ut eſſet eorum Evangeliſta. Qui enim majorum fit Evangeliſta hoc ipſo magnus eſt, inquit *Chryſoſt.* Per *inveſtigabiles*, ùt legit *Hier.* vel incomprehenſibiles *divitias*, intelligit immenſitatem beneficiorum Chriſti; vel quòd ſuperent naturalem inquiſitionem, quia aliis dantur, aliis non dantur, & cur hoc fuit, inveſtigare non poſſumus, ait *Anſel.*

℣. 9. *Et illuminare omnes, quæ ſit diſpenſatio Sacramenti abſconditi à ſæculis in Deo, qui omnia creavit.*

Omnes, nam non ſolùm iſtis evangelizare miſſus ſum, ſed & *illuminare*, id eſt clarè, & dilucidè docere *omnes*; unde *Dionyſius* cœleſtem & eccleſiaſticam Hierarchiam deſcribens, docet tam Angelos quàm homines Eccleſiæ miniſtros alios purgare, alios illuminare, alios perficere: *quæ*, id eſt quàm mirabilis, & ex quanta dilectione procedens, *ſit diſpenſatio*, Græcè *œconomia Sacramenti*, quàm mirabiliter ſit diſpoſitum à Deo Patre *Sacra*

mentum Incarnationis, Paſſionis, & Reſurre-
ctionis Chriſti, per quod Gentes fierent co-
hæredes & concorporales, & comparticipes:
quod Sacramentum erat *abſconditum* in divina
mente *à ſæculo*, id eſt à primo tempore ſæcu-
lorum quando cum ſæculis cœperunt creatu-
ræ, quia ex quo ſæcula ſumpſerunt princi-
pium, nulli fuit ita patefactum, ùt nunc Apo-
ſtolis. *Qui omnia creavit* per ipſum, is & hoc
myſterium per ipſum revelat, ait *Chryſoſt.* Hoc
adjectum putant propter ſcholam Simonis Ma-
gi, quæ docebat mundum corporeum factum
eſſe ab Angelis; ex *Eſtio.*

℣. 10. *Ut innoteſcat principatibus & poteſtatibus in cœleſtibus per Eccleſiam, multiformis ſapientia Dei,*

Principatus & Poteſtates ſunt nomina ordi-
num Angelicorum, & ſub iis cæteros Angelo-
rum ordines comprehendit, qui ante Incarna-
tionem Chriſti tantam erga Gentes Dei bonita-
tem ac tam variam illius ſapientiam, ignora-
bant ut eam demùm planè compertam habe-
rent *per Eccleſiam*, id eſt, per tanta bona Ec-
cleſiæ Gentium conceſſa, & tam diverſos ac
tam bene diſpoſitos in ea gradus & ordines:
nam per Principes & Poteſtates *in cœleſtibus*,
nequaquam malignos ſpiritus oportet intellige-
re, ùt putavit *Ambroſiaſter*, qui hunc verſum
eodem modo de malis exponit, uti de malis in-
telligi debet Apoſtolus 1. *Cor.* 15. ℣. 24. & *Col.*
2. ℣. 10. & *in Ult. Cap. hujus Epiſt.* ℣. 12. quem
Ambroſ. commentarium in hoc loco abſolutè
Hieronymus rejicit. Sed cum Scholis Græcis
cum Photio & Gregorio intelligimus hic An-
gelos & Archangelos, ex *Gaig.* ùt 1. *Tim.* 3.
℣. 16. & 1. *Pet.* 1. ℣. 12. *in quæ deſiderant An-
geli proſpicere*, id eſt, quorum myſteriorum
cognitione Angeli mirificè delectantur, cum

deſiderio quo adhuc ampliùs & pleniùs ea cognoſcere cupiant: quod ſanè ad malos Angelos, qui ob illa cognita dolent & cruciantur, non poteſt referri. Quærendum quomodo *multiformis ſapientia Dei* bonis Angelis innotuerit demùm tempore Apoſtolorum, cùm dubitari non poſſit, Angelos omnia cognoviſſe quæcumque de myſterio Chriſti fuerunt antiquis Patribus revelata, & quidem eo tempore quo revelabantur ex *Dion.* l. *cæl. Hier. cap.* 4. & 7. *Aug.* l. 7. *de Civit. cap.* 32.; nam non aliter quàm per Angelos divina myſteria hominibus innoteſcunt. Sunt qui putant Incarnationis myſterium Angelos in univerſum latuiſſe, donec reipſâ compleretur. Alii Angelos ignoraſſe myſterium gloriæ gentium, *Gentes eſſe cohæredes*, ùt Græci, &c. Alii Angelos ſuperiores hæc cognoviſſe quatenùs per eos erant revelanda, inferioribus autem prorsùs incognita; ùt *Haimo*. Alii meliùs putant, omnes Angelos ab initio quo beati facti ſunt, cognoviſſe myſterium Incarnationis Chriſti, quoad ejus ſubſtantiam, ac deinde progreſſu temporis accepiſſe cognitionem multorum myſteriorum ad Chriſtum & Eccleſiam pertinentium (nominatim ejus quod de vocatione Gentium) prout ea per ipſorum miniſterium innoteſcere debebant hominibus. Itaque quòd vocatæ eſſent, ſciebant: quod verò ad eandem Iſraëlis ſortem vocatæ eſſent, & ad hoc, ut juxta Thronum Dei collocarentur, iſtud ſanè quis expectaſſet, quiſnam credidiſſet, inquit *Chryſoſtomus*. Quod de quibuſdam Angelis negari non poteſt, ſcilicet iis per quos revelationes fiebant: licèt & de omnibus valde probabile ſit. Non enim homines quamvis Prophetæ, myſteriorum ſcientiâ ſuperabant Angelos. At verò quoad particulares rationes & circumſtantias, multa de

myſteriis Chriſti neſcierunt Angeli tam ſuperiores quàm inferiores, donec ea rebus ipſis jam compleri inciperent: eiſque ſic *innoteſcerent per Eccleſiam* dum in ea quotidie complentur, tot & tanta tamque multiplicia divinæ Sapientiæ opera priùs in Dei mente recondita. Particula *ut* igitur initio hujus verſiculi non cauſa, ſed conſequentia eſt, ita *S. Thom.*

℣. 11. *Secundùm præfinitionem ſæculorum, quam fecit in Chriſto Jeſu Domino noſtro:*

Senſus eſt innoteſcere, & aperiri myſteria ſuis temporibus quibus implentur, idque *ſecundùm* propoſitum Dei quo ab æterno conſtituit, ac præfinivit *in Chriſto* certa ſæcula ſeu tempora quibus illa myſteria exequeretur, ex *Eſtio.*

℣. 12. *In quo habemus fiduciam, & acceſſum in confidentia per fidem ejus.*

Per quem Chriſtum nos fideles *habemus* audaciam accedendi, ſeu liberum ac intrepidum *acceſſum* ad Deum cum fiducia impetrandi, quam fides nobis parit. Parit autem fides Chriſti fiduciam impetrandi, quia per fidem cognoſcimus Chriſtum nobis à Patre datum, ùt mediatorem ac propitiatorem noſtrum, quæ res fiduciam in nobis excitat divinæ propitiationis: vel *fiduciam*, id eſt libertatem, & audaciam prædicandi Evangelii apud quoſcumque, ùt *Act.* 4. ℣. 13. cum fiducia hoc eſt cum confidentia, ex *Chryſ.*

℣. 13. *Propter quod peto ne deficiatis in tribulationibus meis pro vobis: quæ eſt gloria veſtra.*

Cùm igitur ad tantam dignitatem vocati ſitis, ejuſque conſequendæ fiduciam habeatis per

Chriſtum, rogo vos ne animo deficiatis propter afflictiones meas, & vincula quæ patior veſtri causâ, ſcilicet ut pro munere mihi delegato vos Gentiles adducam ad participationem tantorum bonorum in Chriſto, quæ tribulationes cedunt ad gloriam veſtram, quia inde apparet quanti Deus vos faciat, qui non modò filium ſuum, ſed & Apoſtolos ſuos pro ſalute veſtra patitur affligi, & huc uſque hyperbaton, nunc redit ad abſolvendam ſententiam quam initio capitis ſuſpenſam reliquit; *ex Eſtio*.

℣. 14. *Hujus rei gratiâ flecto genua mea ad Patrem Domini noſtri Jeſu Chriſti*,

Quia ſcilicet eſtis cives ſanctorum & domeſtici Dei, & cohæredes, & concorporei, & comparticipes promiſſionum, ego Paulus vinctus Jeſu Chriſti pro vobis Gentibus, *flecto genua mea ad Patrem*, id eſt, humiliter oro Deum Patrem, quomodo ſolent qui rebus afflictis anxii precantur, ait *Chryſ.*

℣. 15. *Ex quo omnis paternitas in cœlis & in terra nominatur*,

Ex quo Patre *omnis* familia, ſive Angelorum *in cœlis*, ſive hominum *in terra* quantumcùmque ea magna ſit ac celebris, exiſtit, & originem accipit. Ad quem ùt Patrem & caput omnes familiæ etiam nominatiſſimæ revocandæ ſunt; ſive *ex quo* omnis res Pater nominatur, ait *Hier.*

℣. 16. *Ut det vobis ſecundùm divitias gloriæ ſuæ, virtute corroborari per Spiritum ejus in interiorem hominem*,

Secundùm divitias gloriæ ſuæ, id eſt, ſecundùm immenſam largitatem ac bonitatem ſuam in qua glorificatur, *virtute corroborari*, id eſt, conſtantiâ fidei, quæ in internis & externis

vos faciat robuſtos & fortes contra omnes tribulationes per operationem Spiritûs ſancti, *in interiori homine*, id eſt in anima quæ ab hoſtibus non poteſt attingi, non ubi exterior fatigatur, ait *Hier.*

℣. 17. *Chriſtum habitare per fidem in cordibus veſtris : in charitate radicati, & fundati,*

Item oro, ut *Chriſtus habitet per fidem in cordibus veſtris*, & in eis maneat, ut ſitis habitaculum & Templum Chriſti, idque per fidem quâ in eum creditis: non quòd fides ſinè cæteris virtutibus ſufficiat hominem conſtituere Templum Dei, ſed quia fides fundamentum eſt cæterarum, & profeſſionem habet totius juſtitiæ; ut ſitis *in charitate radicati*, id eſt, ut charitas veſtra firma ſit & conſtans; ex *Eſtio.*

℣. 18. *Ut poſſitis comprehendere cum omnibus Sanctis, quæ ſit latitudo, & longitudo, & ſublimitas, & profundum :*

Hoc etiam oro *ut poſſitis comprehendere, quæ ſit* & quanta myſterii vocationis Gentium, quod vobis prædicavi, magnitudo, dignitas & majeſtas; vel *ut poſſitis* cognoſcere omni dimenſione immenſa Chriſti erga vos beneficia: vel *quæ ſit latitudo*, id eſt, immenſitas potentiæ divinæ; *longitudo*, id eſt, æternitas; *ſublimitas*, & *profundum*, id eſt altitudo & profunditas ſcientiæ. Cæterùm fortè *Paulus* hic, ſicut ad *Rom.* 6. & ad *Col.* 2. & 3. myſterium baptiſmi, mortis, ſepulturæ, ac reſurrectionis voluit ſignificare quâdam allegoriâ fundatâ in figura Crucis, ut *longitudo* crucis ſignificet longitudinem temporum, *latitudo* latitudinem locorum, *altitudo* ſublimitatem gloriæ, *profundum* denique, ſeu illa pars crucis quæ

terræ infixa erat, profunditatem myſterii diſcretionis hominum è maſſa communi. Comprehendit ergo longitudinem Crucis, qui didicit ab initio mundi uſque ad finem neminem juſtificari aut ſalvari niſi per crucem: latitudinem, qui cogitat Eccleſiam toto orbe diffuſam proceſſiſſe ex latere Chriſti: altitudinem, qui cogitat quanta ſit cœleſtis gloriæ ſublimitas ad quam nos provehit humilitas crucis Chriſti: profundum comprehendit, conſiderans arcanum divinæ electionis ac diſcretionis hominum è maſſa communi, & ſignum tam paucorum frontibus inſcriptum. Vel in *latitudine* intelliguntur bona opera charitatis, in *longitudine* perſeverantia in bonis uſque in finem, in *altitudine* ſpes cœleſtium præmiorum: in *profundo*, inſcrutabilia judicia Dei, unde iſta gratia in homine venit: ita *Aug. Epiſt.* 112. *de videndo Deo* c. 14. & *Ep.* 120. *cap.* 26. & 36., *de doct.* l. 2. *cap.* 41. & *in Joan. tract.* 118. quam Auguſtini interpretationem ſequuntur *Anſelmus* & *Thomas in comment.* licet apud hos & *Hier.* ac alios aliis modis non improbandis hujus loci myſterium explicetur: ita *Eſtius*.

℣. 19. *Scire etiam ſupereminentem ſcientiæ charitatem Chriſti, ut impleamini in omnem plenitudinem Dei.*

Et hoc etiam oro, ut poſſitis *ſcire charitatem Chriſti*, quam erga vos habuit & habet, quæ tanta eſt, ut *ſupereemineat* omni *ſcientiæ*, *ut* perfectè ſitis *pleni* Deo, ut ſit Deus omnia in omnibus; ita *Anſel.* Vel *ut* omnium donorum Dei perfectione *repleamini*: vel ut omnibus Dei donis abundetis, ita *Græci*.

℣. 20. *Ei autem, qui potens eſt omnia facere ſuperabundanter quàm petimus, aut intelligimus, ſecundùm virtutem, quæ operatur in nobis:*

Qui potens eſt abundantiùs ſui cognitionem, bonaque omnia largiri, *quàm* petere vel cogitare poſſimus. Græcè *ſecundùm potentiam operatam in nobis*, id eſt quam Deus operatur in nobis ex *Chryſ.*

℣. 21. *Ipſi gloria in Eccleſia, & in Chriſto Jeſu in omnes generationes ſæculi ſæculorum. Amen.*

Ipſi qui potens eſt, &c. *ſit gloria in Eccleſia*, id eſt, ipſum glorificet univerſa Eccleſia tantis beneficiis ab eo affecta, idque per *Chriſtum Jeſum*, & in omnes ætates omnium ſæculorum uſque in æternum. Vel nullum tempus tranſit, vel tranſibit ſinè electis, in quibus per Chriſtum glorificabitur Pater. *Amen*, id eſt, verè vel fideliter, ita *Anſel.*

CAPUT IV.

Hortatur ad pacem: diverſa dona Spiritûs enumerat: veterem hominem exuere, & novum induere monet.

℣. 1. *Obſecro itaque vos ego vinctus in Domino, ut dignè ambuletis vocatione, quâ vocati eſtis,*

USque ad finem Epiſtolæ doctrina moralis eſt: quanta ſit dignitas vinctum eſſe propter Chriſtum & propter Evangelium, oſtendit *Chryſoſt.* *Obſecro*, inquit, *ut ambuletis dignè*, fide, *quâ* per gratiam *vocati eſtis*, q. d. obſecro ut

mores & ſtudia vocationi conformetis, an bi-letis, perſeveretis operando ea quæ convenniunt fidei ducenti ad ſalutem, quia una dignitas eſt quâ agnoſcuntur propria inſtituta, ait *Hier*.

℣. 2. *Cum omni humilitate, & manſuetudine, cum patientia, ſupportantes invicem in charitate,*

Cum omni humilitate interiùs in corde habitâ, & exteriùs exhibitâ; ut nullatenùs vel in corde, vel in verbo, vel in opere præſumatis de vobis, aut vos aliis præferatis: *cum manſuetudine*, ut ſitis familiares & affabiles, nec facilè aliorum infirmitatibus offendamini, & ad indignationem provocemini: *cum patientia* Græcè cum longanimitate, id eſt, ſuſtinentes cum bonitate animi ſi quid in aliorum moribus aſperum aut vitioſum eſt, tolerantes per charitatem, ùt 1. *Cor*. 13. ℣. 4.

℣. 3. *Soliciti ſervare unitatem Spiritûs in vinculo pacis.*

Soliciti, operam dantes, ut ſervetis *unitatem ſpiritûs*, id eſt, animorum inter vos conjunctionem, ut ſit cor unum & anima una, & hoc *in vinculo pacis*, id eſt, ut pax & concordia exterior ſit velut nexus interioris unitatis ſpiritûs, ita *Anſel*. Spiritum intelligimus humanum, id eſt, animos hominum inter ſe conſentientium ex *S. Thoma*: non autem ùt Græci Spiritum Sanctum; quia quod mox ſequitur *Unus Spiritus*, de ſpiritu humano convenientiùs accipi putamus.

℣. 4. *Unum corpus, & unus Spiritus, ſicut vocati eſtis in una ſpe vocationis veſtræ.*

Unum ſit *corpus* ſecundùm fidem & dilectionem & ſacramentorum perceptionem, &

Spiritus Chriſti qui hoc corpus ejus vivificat, eſt *unus*: vel meliùs *unus ſpiritus*, id eſt, animo ac ſpiritu inter vos conſentientes tanquam ſi eſſetis *unus ſpiritus*; loquitur enim de unitate Eccleſiæ tanquam unius hominis conſtantis corpore & ſpiritu: rogatque, ut ſicut unum corpus conſtituebant externâ profeſſione, ſic & animis conjuncti ſint, & uniti, ùt 1. *Cor*. 6. ℣. 17. & *Act*. 4. ℣. 32. *Sicut fide vocati eſtis in una ſpe* æternæ gloriæ, q. d. meritò à vobis exigitur unitas ſpiritûs qui ad eumdem finem æternæ felicitatis ſperando tenditis; ex *Hieron*.

℣. 5. *Unus Dominus, una fides, unum baptiſma.*

Vobis omnibus *unus eſt Dominus* Chriſtus qui vos manumiſit & vivificavit, unde juſtum eſt, ut illi in unitate ſpiritûs ſerviatis; *una fides* objecti ratione, quatenùs unùm & idem omnes credunt. Et hoc modo unam eſſe fidem non modò Chriſtianorum inter ſe, ſed etiam antiquorum qui Chriſtum venturum expectabant, & noſtram, qui eum veniſſe credimus, rectè tradunt Theologi. Quòd ſi *una* eſt *fides*, debet & unus eſſe ſpiritus, & propter hoc etiam ſervanda unitas, quia *unum eſt Baptiſma*. Non enim poteſt iterari à quocumque & ubicumque collatum fuerit; *unum* eſt, quia ſicut eadem credunt fideles omnes, & iiſdem utuntur Sacramentis velut externis fidei ſymbolis, inter quæ primum eſt *baptiſma*. Sic 1. *ad Cor*. 10. ℣. 17. ab unitate Sacramenti Euchariſtiæ quod Sanctiſſimum eſt, *Paulus* argumentatur. Quomodo autem Donatiſtæ hoc loco abutantur, videri poteſt in *Eſtio*.

℣. 6. *Unus Deus & Pater omnium, qui eſt ſuper omnes, & per omnia, & in omnibus nobis.*

Unus Deus exigit cultores unanimes. Idem *Pater* filios fraterno amore conjunctos ut *Malac.* 2. ℣. 2. *Qui eſt ſuper omnes* dominio, *per omnia* providentiâ, *in omnibus*, juſtificatione; vel qui præcellit omnibus creaturis, & *per omnia* diffuſus eſt, quia ubique, & ideò timendus, cùm nuſquam poſſit evitari: & *in omnibus nobis* eſt per gratiam, qui unitatem ſervamus: vel *ſuper omnes eſt* regendo; & eſt *per omnia* ſubminiſtrando omnia bona quæ habent; & *in omnibus nobis* collata beneficia ſervando: vel tres præpoſitiones quibus hìc utitur Apoſtolus ad tres perſonas in Deo, per appropriationem referri poſſunt, ut *ſuper omnes*, vel *ſuper omnia* patri congruat, qui eſt auctor omnium & fontale principium divinitatis; *per omnes*, vel *per omnia filio* per quem omnia facta ſunt, quique eſt ſapientia attingens à fine uſque ad finem fortiter. *Sap.* 8. *In omnibus* autem Spiritui ſancto cujus habitaculum ac templum ſunt fideles, quique replevit orbem terrarum. *Sap.* 1. ex *Thom.*

℣. 7. *Unicuique autem noſtrûm data eſt gratia ſecundùm menſuram donationis Chriſti.*

Hoc quoque pertinet ad commendandam unitatem inter fideles, *unicuique noſtrûm*, inquit, gratiam aliquam habenti, *data eſt gratia* à Deo, non pro ratione dignitatis aut meritorum cujuſque, ſed prout Chriſto placuit unicuique liberaliter elargiri. Non eſt igitur, ut quis inſoleſcat adversùs alterum quòd plus aliquid habeat: totum enim quod habet, donum eſt, non pro meritis datum, ſed ſecun-

dùm menſuram, quam ei gratuitò admenſus eſt donator Chriſtus. Sermo hic eſt de gratia gratis data, ùt notat *Eſtius*.

℣. 8. *Propter quod dicit: aſcendens in altum captivam duxit captivitatem: dedit dona hominibus.*

Propter quod, id eſt, ad ſignificandam hanc gratuitam donationem Chriſti, *dicit* Propheta *Pſalm.* 67. cùm aſcendiſſet *in altum*, *duxit* captivos: quod apud Pſalmiſtam in ſecunda perſona dicitur, *aſcendiſti in altum, cepiſti captivitatem*; quâ in re nulla diſcrepantia eſt, cùm ſit alterum ex altero conſequens. Et ſenſus eſt poſtquam elevatus eſt in crucem, captivos cepit ac ſibi proprios fecit omnes quos redemit, ùt *Joan.* 12. ℣. 32. Vel meliùs, Chriſtus cùm aſcenderet in cœlum, unà ſecum adduxit & in cœlum ſubvexit inferni ſpolia, id eſt, animas juſtorum quæ priùs ad inferos velut captivæ tenebantur. Alii per *captivitatem* intelligunt ſatanam & mala per eum invecta, peccatum, mortem, maledictionem, ùt *Theoph.* Alii ſic, Chriſtus poſtquam glorioſus in cœlos aſcendit multos homines ex omni gente cepit captivos, idque per Apoſtolos ſuos felici captivitate, ita *Thom.* Vel corruptionem noſtram virtute ſuæ incorruptionis abſorbuit: vel vicit mortem quæ captivos tenebat, in quibus regnabat. *Dedit dona hominibus*, in *Pſal.* juxta verſionem LXX. legitur, *accepiſti dona in hominibus*. Qam diſcrepantiam conciliare videtur Hieronym. hoc modo; *accepit* dona danda ſeu diſtribuenda *hominibus*: quod confirmatur *Act.* 2. ℣. 33. Vel *Paulus* fortè hic mutavit *accepit* in verbum *dedit*, quòd ſignificare voluerit, Deum non accipere dona in hominibus, niſi ſua priùs illis det, imò non aliud accipere

quàm hoc ipſum quod dat, ita ut Deum accipere, non ſit diverſum ab eo quod eſt Deum dare : ita *Janſ. in Pſal.* Verùm explicatio *Hieronymi* præplacet.

℣. 9. *Quòd autem aſcendit, quid eſt, niſi quia & deſcendit primùm in inferiores partes terræ?*

In inferiores partes terræ, id eſt, in terram ipſam ad quam deſcendit per Incarnationem : vel in ſepulchrum, ùt *Matth.* 12. ℣. 40.; vel infernum, ad quem Chriſtus ſecundùm animam deſcendit, ut Sanctorum animas, quæ ibi tenebantur incluſæ, ſecum ad cœlos victor abduceret, ùt *Pſ.* 62. ℣. 9. *Eccl.* 24. ℣. 45. Et quidem ad Purgatorii locum non autem uſque ad infernum gehennæ, ùt 1. *Pet.* 3. & 4. Ubi dicitur Chriſtus etiam *mortuis qui in carcere erant, Evangelium prædicaſſe.*

℣. 10. *Qui deſcendit, ipſe eſt & qui aſcendit ſuper omnes cœlos, ut impleret omnia.*

Qui tam profundè *deſcendit*, ut non potuerit profundiùs (quia non decebat) idem *ipſe* merito tantæ humilitatis ac demiſſionis ſui quam utique in voluntate habuit, antequam daret effectui, tam altè *aſcendit*, ut non potuerit altiùs. Locus notandus contra Calvinum qui negat Chriſtum quidquam ſibi meruiſſe; *aſcendit* autem *ſuper omnes cœlos* corporales, & ſuper omnem creaturam ſpiritualem, ùt ſuprà c. 1. ℣. 21. Sic ut extra totam continentiam cœleſtium corporum corpus Chriſti locatum ſit, ex *Th.* ùt *Heb.* c. 4. ℣. 14., c. 7. ℣. 26. & c. 8. ℣. 1. Vel in altum, id eſt, in cœlum aſcendiſſe dicit, quia nihil altius cœlo, ait *Aug.* l. *de fid.* c. 6. Ita denique factum eſt, ut idem ipſe Chriſtus homo potentiâ dominationis ſuæ *repleat omnia*, terram, inferos, cœlum, poſt-

quam omnia ea loca ipſe adivit: vel ut compleat *omnia* quæ deſcripta ſunt, vel ut *omnia* perficiat, vel *omnia* regna mundi adimpleat ſuo cultu, vel rationalem creaturam, hoc eſt humanum genus, & numerum Angelorum, ex *Anſel.*

℣. 11. *Et ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios verò Evangeliſtas, alios autem Paſtores, & Doctores,*

Et idem *ipſe* tamquam rex inauguratus regno ſuo, jamque poteſtate implens omnia diſtribuit liberaliter in homines dona ſua. Nam alios poſuit in Eccleſia *Apoſtolos*, ut 1. *Cor.* 12. ℣. 28., non eos eligendo, quod fecerat ante paſſionem, nec præcipiendo ut Evangelium prædicarent per omnes Gentes, quod fecit antequam in cœlum abiret, ſed per Spiritum ſanctum quem poſt aſcenſionem ſuam miſit, docendo eos & aliis gratiæ muneribus Apoſtolatui neceſſariis cumulando: inſuper eos impellendo ad opus Apoſtolicum, cui jam ante deſtinati erant, exequendum. *Prophetas*, intelligit, de quibus c. *præced.* & 1. *Cor.* 11. 12. & 14. *Evangeliſtas*, id eſt, eos qui ſingulari dono prædicandi Evangelii præditi erant, quales *Stephanus & Philippus* Diaconi, *Act.* 21. & *Apollo* Alexandrinus & *Priſcilla & Aquila*; ex *Chryſ.*; quales etiam qui ſcripſerunt Evangelium, ex *Oecum. Paſtores* quorum officium eſt regere populos Dei, quales ſunt Epiſcopi, *Act.* 20. ℣. 28. *Doctores* qui gratiam habent docendi populum Dei, ea quæ ſunt Chriſtianæ religionis; ex *Hier.* & *Aug. Ep.* 59.; quales Parochi qui ſub Epiſcopis tanquam opitulatores animarum curant, & Presbyteri; ex *Theoph.* Non eſt autem neceſſe, eos omnes eſſe Prophetas qui ſublimiora & ſecretiora queant tradere, ſed Doctores eſſe oportet magis minuſvè juxta conditionem ple-

bis ſibi commiſſæ. Hinc eſt quòd Timotheum, quamvis jam Epiſcopum & in ſacris litteris verſatum adhuc hortetur Apoſtolus, *ut attendat lectioni* 1. *Tim.* c. 4. & 2. *Tim.* c. 3.

℣. 12. *Ad conſummationem Sanctorum in opus miniſterii, in ædificationem Corporis Chriſti :*

Ad hoc, ut eos qui jam ſancti ſunt, conſumment & perficiant in ſanctitate, ſcilicet, ut eos qui ſancti ſunt ſecundùm remiſſionem peccatorum & innocentiam atque bonorum operum inchoationem, promoveant atque conſumment ſecundùm augmentum virtutis & perſeverantiam; ex *Anſel.* In quo docet cujus rei gratiâ dona fidelibus data ſint, ſcilicet non ad privatum commodum, ſed ad publicam utilitatem, ad ædificationem, id eſt, ſpiritualem profectum corporis Chriſti quod eſt Eccleſia: ut omnes ad perfectionem fidei perducant; ait *Hier.*

℣. 13. *Donec occurramus omnes in unitatem fidei, & agnitionis filii Dei, in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti :*

Explicat perfectionem ad quam ordinantur prædicta miniſteria, & quamdiu hi gradus & ordines futuri ſint in Eccleſia; ſcilicet, *donec* omnes in Chriſtum credant & agnoſcant filium Dei, atque ita fiat unum ovile & unus Paſtor, & *donec occurramus in virum perfectum, & menſuram ætatis plenitudinis Chriſti.* Quidam hæc exponunt uſque ad reſurrectionem in qua ad perfectam ætatem 33. annorum, quæ eſt Chriſti ætas, reſurgemus. Alii meliùs de Dei & Chriſti cognitione intelligunt; ex *Gaig.*, cum eo profectu ut evadamus *in virum perfectum*,

id eſt, ut virile robur & conſtantiam in fide, & cognitione Chriſti aſſequamur, tanquam *menſuram plenæ* & perfectæ *ætatis* Chriſti, in corpore ſuo myſtico, ita *Chryſ.* & *Theoph.* Et hæc verba poſſe intelligi de fructu ultimo præſentis vitæ, in qua ſuo modo perficitur corpus Chriſti myſticum ſpirituali perfectione ad ſimilitudinem corporis Chriſti veri, ait *Thom.* & *Aug. l.22. de Civit.* c. 18.

℣. 14. *Ut jam non ſimus parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, in aſtutia ad circumventionem erroris.*

Ad hoc enim nobis dati ſunt Apoſtoli, Doctores & Paſtores, *ut jam* poſt tempus gratiæ, poſt acceptam ſpiritualem doctrinam *non ſimus parvuli* ſenſibus quibus inſtabile judicium eſt, *fluctuantes* in diverſas opinionum partes, utpote neſcientes dijudicare, quæ doctrina vera ſit, quæ falſa, ſed tantùm probabilitate quâdam & apparentiâ, velut flatu quodam, modò in hanc, modò in illam ſententiam leviter impulſi: *in nequitia*, quia *nequitia hominum* eſt ſedes perverſæ doctrinæ, ſive philoſophorum, ſive judaïzantium, ſive hæreticorum, & doloſa ſcientia ipſius cauſa eſt & ſuſtentaculum, ait *Anſel.*

℣. 15. *Veritatem autem facientes in charitate, creſcamus in illo per omnia, qui eſt caput Chriſtus:*

Verſuti, inquit, & verbis fallentes adulterina cuncta & falſa prætendunt, nihilque illis ineſt vel ſanum vel ſtabile: Nos verò qui veram tum in Deum tum in proximum charitatem ſectamur, neq; dogmata ulla habemus quæ falſa ſunt aut ſubdola, nec vitam ducimus ſimu-

latam, augebimus certè in Chriſto quæ noſtra ſunt, tum vitam ipſam atque doctrinam, ita *Theoph.* Vel meliùs, veram doctrinam amplexi, quam Apoſtoli, Paſtores & Doctores Eccleſiæ prædicant, per omnia membra *in charitate creſcamus* & augeamur in *ipſum* Chriſtum *qui eſt caput* totius corporis, ut ſic proficientes aſſimilemur capiti noſtro; ex *Eſtio.*

℣. 16. *Ex quo totum corpus compactum, & connexum per omnem juncturam ſubminiſtrationis, ſecundùm operationem in menſuram uniuſcujuſque membri, augmentum corporis facit in ædificationem ſui in charitate.*

Ex quo, ſcilicet, Chriſto capite dependens *totum corpus*, (quod nos ſumus) per connexionem inter ſe membrorum ex quibus conſtituitur, aptè compoſitum per efficacem ejuſdem capitis operationem, pro menſura ac ratione cujuſque membri augeſcit, ædificatur, & proficit *in charitate*, id eſt, per charitatem: quod ultimum addidit Apoſtolus, cùm ſinè charitate nihil ſint omnia cætera: 1. *Cor.* c. 13. Sentit ergo Apoſtolus, ſicut in corpore naturali caput influens in membra non eaſdem omnibus operationes communicat, ſed alias aliis, & his quidem plures, aliis pauciores, pro natura cujuſque: ſic & in Eccleſia, Chriſtum qui caput ejus eſt, non eadem nec æqualia chariſmata membris omnibus infundere, ſed ſingulis diſtribuere prout locus cujuſque quem in corpore habet, poſtulat: & hàc ratione totum Eccleſiæ corpus creſcere, dum membra variis donis inſtructa, in communem utilitatem ea conferunt, quod non fit niſi per charitatem; ita *Eſtius* poſt *Chryſ.* Alius huic loco ſimilis habetur ad *Col.* 2. ℣. 19.

℣. 17.

℣. 17. *Hoc igitur dico, & teſtificor in Domino, ut jam non ambuletis, ſicut & Gentes ambulant in vanitate ſenſûs ſui,*

Hoc ergo eſt quod dicere cœperam, quod & obteſtor vos per Chriſtum, quem volo exhortationis meæ eſſe teſtem, ne poſthac vivatis & converſemini quomodo Gentiles adhuc alieni à Chriſto vivunt & converſantur, nimirùm ſequentes judicium mentis ſuæ pravum & erroneum, ùt *Sap.* 13. ℣. 1.

℣. 18. *Tenebris obſcuratum habentes intellectum, alienati à vita Dei per ignorantiam, quæ eſt in illis, propter cæcitatem cordis ipſorum,*

Senſus eſt, Gentiles à vita Dei quæ ſecundùm Deum eſt, quam Dei leges præſcribunt, & quæ immaculata eſt, abalienatos fuiſſe *propter ignorantiam* veritatis quâ laborant, & *propter cæcitatem* ſeu excæcationem *cordis ipſorum*, id eſt, propter ignorantiæ tenebras, in quas merito ſuorum peccatorum incidere permiſſi ſunt, *Rom.* c. 1. ℣. 24. & c. 11. ℣. 8. & *ſeq.* Illud enim *tradidit* idem eſt, quod permiſit, ex *Chryſ.*

℣. 19. *Qui deſperantes, ſemetipſos tradiderunt impudicitiæ, in operationem immunditiæ omnis, in avaritiam.*

Qui ſpe futurorum bonorum quæ nos per Chriſtum credimus, deſtituti, utpote animarum immortalitatem, & corporum reſurrectionem non credentes, totos *ſeſe tradiderunt* præſentis vitæ voluptatibus, etiam turpiſſimis. Non hìc *avaritia* ſignificat cupiditatem pecuniarum, ſed in genere vitium, quo quis eo quod habet, non contentus ampliùs ſemper expetit, ſive in pecuniis, ſive in honoribus,

ſive in voluptatibus corporis id accidat. Hic autem ſermo eſt de *avaritia* turpium voluptatum; ex *S. Thom.*

℣. 20. *Vos autem non ita didiciſtis Chriſtum.*

q. d. Talia non docet ſchola Chriſti, ſed Simonis & Gnoſticorum qui hâc parte cum Gentibus conveniunt.

℣. 21. *Si tamen illum audiſtis, & in ipſo edocti eſtis, ſicut eſt veritas in Jeſu.*

Didiciſtis dico, ſed tamen hâc conditione: *ſi illum audiſtis*, id eſt, ſi prædicationem quæ de eo fit, intellexiſtis, vel eum interiùs loquentem *audiſtis*. Loquitur enim Chriſtus homini cùm rationem ejus intrinſecùs illuminat & excitat: Homo verò audit cùm intelligit ad quid ratio ejus excitetur, & facit quod ſibi divinitùs ſuadetur; & iterùm dico, ſi *in ipſo edocti eſtis*, ut ſciatis ea quæ ſcire & quæ agere in ejus religione debetis; ſi in ipſo edocti eſtis, *ſicut eſt veritas in Jeſu*, id eſt, in ipſo *eſt* perfecta & integra *v ritas* ſinè ulla admixtione falſitatis, *veritas* fidei, & bonæ operationis, ideòque veraciter bona debent eſſe opera eorum qui in eis ſcholis diſcere cœperunt veritatem æternæ ſalutis & in eo adipiſci cupiunt, ita *Anſel.*

℣. 22. *Deponere vos ſecundùm priſtinam converſationem veterem hominem, qui corrumpitur ſecundùm deſideria erroris.*

Et quæ ſit illa *veritas in Jeſu*, ſubjungitur ſcilicet deponere atque exuere *veterem hominem* qui intelligitur in *priſtina converſatione*, nempe eâ quâ vivebatis priuſquam crederitis in Chriſtum, ùt *Rom.* 6. ℣. 6. & *Col.* 3. ℣. 9. *Qui corrumpitur*, id eſt, qui in vetuſtate &

corruptela proficit, obſequendo pravis ac turpibus deſideriis; quod fit ex mentis errore & cæcitate, ùt ſuprà dictum eſt.

℣. 23. *Renovamini autem ſpiritu mentis veſtræ*,

Non ſolùm deponere debetis veterem hominem, ſed etiam *renovari ſpiritu mentis veſtræ*; id eſt, ſecundùm mentem, ſecundùm interiorem hominem, ùt 2. *Cor.* 4. ℣. 16.; ut idem ſit mens, & ſpiritus; ex *Aug. lib.* 14. *de Trin.* c. 16.

℣. 24. *Et induite novum hominem, qui ſecundùm Deum creatus eſt in juſtitia, & ſanctitate veritatis.*

Novum hominem Chriſtum intelligunt *qui ſecundùm Deum creatus eſt in juſtitia & ſanctitate veritatis*, id eſt vera juſtitia & ſanctitate, ùt *Rom.* 13. ℣. 14. *Gal.* 3. ℣. 27. Vel primum hominem Adam, qualis à Deo creatus eſt, nimirùm rectus & integer. Vel meliùs unumquemque hominem, quatenùs renovatùs eſt per gratiam Dei, quæ renovatio hìc & alibi nomine creationis intelligitur, ùt ſuprà *Cap.* 2. ℣. 10., *ad Rom.* c. 6. ℣. 4. & 6. & *ad Col.* 3. ℣. 9. & 10. *Secundùm Deum*, id eſt divinæ legi conformatus; *creatus*, inquam, in vera *juſtitia* quoad proximos, & in vera *ſanctitate* ſeu in munditia quoad ſeipſum, quæ coram Deo ſit talis, ùt *Luc.* 1. ℣. 75. ex *Chryſ.*

℣. 25. *Propter quod deponentes mendacium, loquimini veritatem unuſquiſque cum proximo ſuo: quoniam ſumus invicem membra.*

Superiùs jam aliqua præcepta ſanctitatem ſeu munditiam concernentia dederat Apoſtolus, nunc aliqua tradit quibus juſtitia erga proximum ordinetur; ad priora paulò poſt rediturus:

primò igitur hortatur ut depoſito mendacio loquantur veritatem *cum proximo:* utitur autem verbis Prophetæ *Zach.* c. 8. ℣. 16. *Proximi* nomine juxta Chriſti Doctrinam *Luc.* 10. omnis homo intelligi debet: ſic tamen ut certus ordo inter proximiores obſervari oporteat; quod hic Apoſtolus ſaltem implicitè docet, inſinuando Epheſios veritatem loqui debere præſertim cum chriſtianis, *quoniam*, inquit, *ſumus invicem membra* ſub capite Chriſto. Nimis autem abſurdum eſt, ſi membra ejuſdem corporis (mentiendo ac fallendo) ſe invicem lædant; cùm nihil tale contingat in corpore naturali, niſi per inſaniam. Num lingua ſtomachum ſeducit? Ait *Chryſ.*

℣. 26. *Iraſcimini, & nolite peccare: ſol non occidat ſuper iracundiam veſtram.*

Si contingat iraſci, cavete ne in opus ira erumpat, nec ſinite progredi uſque ad injuriam, ſumpſit hoc præceptum Apoſtolus ex *Pſalm.* 4. ℣. 5.; quem verſiculum aliqui cum *Genebrardo* ex Hebræo vertunt: *contremiſcite*, ſcilicet Dominum, *& ne peccetis:* quaſi dicat, Timor Domini vos à peccato retrahat. *Hieronymus* tamen tam ex Hebræo, quàm ex græco, vertit *iraſcimini. Sol non occidat*, &c. id eſt, non diu apud vos reſideat ira, ne ſi diutiùs duret, in actum vindictæ exeat, aut in odium vertatur. Neque vobis nondum conciliatis, *Sol* ipſe è terris abſcedat, ne fortè indignis appareat illuxiſſe: neve nox ignem mente acriùs agitando incendat & inſidias paret vel mortem, ita *Theop.* & *Aug. con.* 2. *in Pſalm.* 30.

℣. 27. *Nolite locum dare diabolo:*

Qui ſinit iram diutiùs apud ſe morari, dat *locum Diabolo*; ex *Chryſ.*; quia parit odium aut vindictæ conſenſum. Vel *nolite dare locum dia-*

bolo tamquam accuſatori, ſemper enim quærit de quo nos apud Deum poſſit accuſare, & locum faciunt accuſationi ejus qui peccatum mortale committunt, *Apoc.* 12. ℣. 10. Porta enim diaboli eſt peccatum, ſicut homo juſtus Spiritûs ſancti porta eſt, ait *Hier.*

℣. 28. *Qui furabatur, jam non furetur: magis autem laboret, operando manibus ſuis quod bonum eſt, ut habeat unde tribuat neceſſitatem patienti.*

Vide qualia ſint veteris hominis membra, mendacium ſcilicet, odium, furta. Furari generaliter poſitum videtur pro fraudare, ſubtrahere, & quocumque titulo injuſtè auferre vel detinere rem alienam. Et opus manuum poſuit pro omni opere utili ad victum parandum: ſic ut artes victum quærendi inhoneſtas excludat. Nec ſolùm ablata reſtituat, aut ut ſibi neceſſaria comparet ne cogatur adhuc furari, ſed etiam ob hoc ut largiatur indigentibus, per quod innuit quamdam actionem pœnitentiæ pro furto commiſſo, ex *Theoph.*

℣. 29. *Omnis ſermo malus ex ore veſtro non procedat: ſed ſi quis bonus ad ædificationem fidei, ut det gratiam audientibus.*

Malus, Græcè putris, fœtidus, ſpurcus; aut quomodocumque vitioſus, ut convicium, detractio, ſcurrilitas, obſcœnum verbum, dicacitas: oportet enim virum ſpiritualem, omnem propoſitam diſceptationem convertere *ad ædificationem* eorum qui conveniunt, *ut det*, inquit, Dei *gratiam audientibus*; aut *ut Dei gratiam* tibi referant ob ea quæ loqueris; aut ut ſpiritualiter gratus illis fias, erit autem hoc ſi de temperantia, de juſtitia, eleëmoſyna loquaris, ait *Oecum.*

℣. 30. *Et nolite contriſtare ſpiritum ſanctum Dei: in quo ſignati eſtis in diem redemptionis.*

Pavendum quiddam dicit; oſtendit enim quod omnis qui ſpurcum ſermonem loquitur, *Spiritum ſanctum contriſtat*: deinde etiam ex beneficio *ſpiritûs S.* ſermonem magis tremendum reddit, ait enim per quem *obſignati eſtis*; in baptiſmate namque nos obſignavit tanquam manifeſtum efficiens quod Dei populus ſimus: ſiquidem *hic dies redemptionis* fuit, & quia ſolitum olim adultis baptizatis ſtatim eo die ſi præſens eſſet Epiſcopus, conferri Sacramentum conſignationis, ſicut & factum legimus à *Paulo Act.* 19. Vel quem accepiſtis velut ſigillum ſervandum uſque *in diem redemptionis*, id eſt, reſurrectionis & retributionis, ut tunc per illud agnoſcamini & redemptionis fiatis participes, ùt *Luc.* 21. ℣. 28.; in quo deterret à contriſtando Spiritu ſancto magnitudine peccati velut ſacrilegii cujuſdam, quod eſt violare ſacratiſſimum ſigillum, ùt *cap.* 1. ℣. 13. & 14. item 2. *Cor.* 1. ℣. 22. Qui peccat, offendit & contriſtat quantum in ſe eſt, Spiritum ſanctum, ſic ut recedat velut offenſus & contriſtatus. Vel *nolite* per obſcœna verba *Spiritum ſanctum* è cordibus audientium expellere, ùt *Rom.* 14. ℣. 15. Vel *contriſtari* dicitur, quando contriſtantur homines pii, in quibus eſt Spiritus Sanctus, ùt 2. *Cor.* 11. ℣. 29.

℣. 31. *Omnis amaritudo, & ira, & indignatio, & clamor, & blaſphemia tollatur à vobis, cum omni malitia.*

Amarulentiam vocat vehementiam in dicendo & præparationem ad iram: tumor autem iræ generativus eſt, ex ira verò procedit vociferatio, ex hac maledicentia ſive convitium;

ita. *Oecum. Blaſphemia* dicitur cùm aliqua mala dicuntur de bonis : *cum omni malitia* quâ proximus læditur, ùt *Col.* 3.

℣. 32. *Eſtote autem invicem benigni, miſericordes, donantes invicem ſicut & Deus in Chriſto donavit vobis.*

Poſtquam prava abſtulit, ad bonorum operationem hortatur. *Comes*, tanquam ad oppoſitam iræ diſtinctionem, *Miſericordes*, veluti ad diſtinctionem oppoſitam amarulentiæ : poſuit autem *donantes invicem*, hoc eſt, clementes & faciles eſtote quod opponitur malitiæ & maledicentiæ, ùt notat *Occum.*; vel *donantes vobiſmetipſis*, tanquam ſignificetur, eum qui benefacit alteri, ipſo bono opere in ſeipſum eſſe beneficium ; ex *Hier.* vel meliùs *donantes invicem* injurias & offenſas ùt *Col.* 3.℣. 13. *ſicut & Deus* per Chriſti filii ſui meritum *vobis* condonavit omnia veſtra delicta, ùt *Matth.* 18. ℣. 35.; quâ enim menſurâ metimini, eâdem remetientur vobis, *Matth.* 7. ℣. 2. ùt notat *Chryſ.*

CAPUT V.

Avocat à peccato, & ad bona opera hortatur, mutuam viro & uxori amicitiam exemplo Chriſti & Eccleſiæ perſuadet.

℣. 1. *Eſtote ergò imitatores Dei, ſicut filii chariſſimi:*

Satis eſt ad mercedem ei qui donat, ut ſit Dei imitator. Ecce & alia ad condonandum exhortatio, magìs autem neceſſitas, q. d. cum accepta remiſſione peccatorum facti ſitis filii Dei, Deoque dilecti, debetis Deum Patrem veſtrum imitari, ut ſicut ille in Chriſto vobis peccata condonavit, ita & vos invicem offenſas condonetis.

℣. 2. *Et ambulate in dilectione, ſicut & Chriſtus dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem, & hoſtiam Deo in odorem ſuavitatis.*

Ecce bonorum omnium radix. Nam ſi *dilectio* adſit & fuga malorum, & operatio bonorum facilè attinguntur ac ſubſequuntur: nulla autem eſt ſimilitudo inter Chriſti dilectionem, & noſtram; ille namque cùm inimici eſſemus, dilexit nos, non tantùm ùt Deus dilectione communi cum Patre, ſed etiam ùt homo charitate creatâ & infusâ; tu verò hoc ſaltem erga proximum exhibe, Chriſtus quidem ſeip-

ſum in mortem tradidit, tibi verò abſque periculo & damno erit erga proximum dilectio: quod ſi inimicos ad Chriſti imitationem dilexeris, eris tu Deo victima, & oblatio *in odorem* bonæ fragrantiæ reputata. Ita Chriſtus factus eſt, ita & nos erimus, ſi voluerimus, ait *Oecum.*

℣. 3. *Fornicatio autem, & omnis immunditia, aut avaritia nec nominetur in vobis, ſicut decet ſanctos;*

De iracundiæ affectu dixit, de excandeſcentia, & ira, ac amarulentia: venit deinceps ad concupiſcentiæ affectionem, nempe ſcortationem, adulterium, immunditiam, *avaritiam*; quid *avaritia* hic ſignificet, intelligi poteſt ex jam dictis ad ℣. 19. præcedentis capitis; ſcilicet cupiditas quâ quis inſatiabilis & inexpletus per omnia turpitudinum genera, laſciviaque diſcurrit, ex *Th. Nec nominetur inter vos*, q. d. Tam alienos eſſe vos volo ab iis vitiis, ut ſi fieri poſſet, ne quidem audiantur nominari ex ore veſtro, ne fortè ex ipſo auditu concepta cogitatio carnem commoveat ad concupiſcendum, ùt 1. *Cor.* 6. ℣. 18. *Sicut decet* eos qui Chriſtiani & *ſancti* ſunt verâ ſanctitate, quæ eſt munditia Deo oblata.

℣. 4. *Aut turpitudo, aut ſtultiloquium, aut ſcurrilitas, quæ ad rem non pertinet; ſed magis gratiarum actio.*

Quemadmodùm anteà vociferationem abſtulit tanquam vehiculum ad iram; ita & nunc prohibet *turpitudinem* ſive obſcænitatem, *ſtultiloquium* & *ſcurrilitatem*, quod fomites ſint ad ſcortationem, ait *Oecum. Stultiloquium* teſte *Hieronymo* pertinet ad fatuas & ineptas fabulas præſertim ſi iis aliquid obſcæni inſit. Pro *ſcurrilitate* vox Græca propriè ſignificat

comitatem, quæ hìc in malam partem ſumitur, ſcilicet pro jocoſa, nimis blanda & pericuIoſa converſatione. *Quæ ad rem non pertinent*, Græcè, *quæ non conveniunt*, id eſt, quæ omnia dedecent Chriſtianos, & ſanctum eorum nomen dehoneſtant: difficile eſt certantes à diabolo liberari, quantò magis ludentes, loquentes. *Sed magis gratiarum actio*, ſcilicet audiatur, ſonet ex ore veſtro, memores beneficiorum Dei, potiùs ea loquimini quæ ſonent gratiarùm actionem; & talibus colloquiis vos oblectate, quibus Deo & actu & cogitatione placeatis, ait *Hier.*

℣. 5. *Hoc enim ſcitote intelligentes: quod omnis fornicator, aut immundus, aut avarus, quod eſt idolorum ſervitus, non habet hæreditatem in regno Chriſti, & Dei.*

Erant ùt apparet, nonnulli apud Epheſios qui dicerent Deum ingerendæ formidinis gratiâ, tenuia & exigua interdixiſſe, ideò dicit Apoſtolus *ſcitote intelligentes: quod omnis fornicator, aut immundus, aut avarus* &c. Quæſtio eſt quem hìc *avarum* dicat Apoſtolus, & quo ſenſu avarus ſit *idolorum ſervitus*, ſive ut Græcè & Syriacè legitur, *idololatra*: eadem quæſtio eſt ad *Col.* 3. ℣. 5. Et quidem plerique *avarum* intelligunt uſitato modo eum qui per fas & nefas ſtudet opibus acquirendis: & hunc *idololatram* dici putant, quia unam eamdemque rem colunt avarus & idololatra, ſcilicet aurum & argentum, alter in ſimulacris alter in nummis: unde *Theoph.* opinatur *Paulum* alludere ad *Pſ.* 113. ℣. 12. *Simulacra gentium argentum & aurum.* Avarus itaque idololatra dicitur quâdam ſimilitudine, quia ſicut paganus idolum veneratur ùt Deum, ita avarus nummos

quaſi rem ſacram diligenter cuſtodit & accumulat, formâ delectatur & uſu conſumere non audet. Fortè rectiùs cum S. Thoma dixerimus, avaritiam vocari *idolorum ſervitum* quia ſicut paganus in idolo ſic avarus in idoli materia quæ eſt aurum vel argentum, ſuam fiduciam collocat, ejuſque gratiâ omnia facit; quâ ratione Dominus *Matth.* 6. avaros dicit ſervire *Mammonæ*. At verò *Hieronymus* licèt hanc avari expoſitionem vulgatam fateatur, opinatur eamdem hìc avaritiam ſignificari de qua ſemel & iterùm ſuperiùs Apoſtolum expoſuimus; dicit *Paulum* hìc reſpicere ad infandas libidines quas teſte *Epiph. hæreſi* 26. & *Theod. lib.* 1. *Hær. fab.* c. 2. in Dei honorem offerre non horrebant, quem cultum meritò *idolorum* execrabilem *ſervitum* nominat Apoſtolus. *Non habet hæreditatem* &c. Ubi *habet* pro *habebit*: loquitur enim in futuro ùt 1. *Cor.* 6. ℣. 9. & 10. *Gal.* 5. ℣. 21. Poteſt tamen rectè intelligi etiam in præſenti, *Non habet hæreditatem*, id eſt, jus hæreditatis aliquando percipiendæ, quod jus habetur in hac vita per gratiam adoptionis, quæ Dei filiis non diaboli præparatur, ait *Hier.*

℣. 6. *Nemo vos ſeducat inanibus verbis: propter hæc enim venit ira Dei in filios diffidentiæ.*

Ne ſinite vos decipi quorumdam vanis & fallacibus ſermonibus, quaſi hoc quod dixi, non ita ſe habeat: Nam *propter hæc*, & hujuſmodi peccata ſuperventura eſt *ira*, id eſt, vindicta *Dei* in eos qui talia committunt, ùt 2. *Theſ.* 1. ℣. 8.; *In filios diffidentiæ* vel ùt *Col.* 3. ℣. 6. *ſuper filios incredulitatis*, contumaces, non admittentes ſuaſionem rationabilem vel; *in filios* inobedientes Heb. phraſi, id eſt, homines imperſuaſibiles; ex *Hier.*

℣.7. *Nolite ergo effici participes eorum.*

Scilicet filiorum diffidentiæ, id eſt, ſimiliter vel agere, vel loqui; ex *Anſel.*

℣.8. *Eratis enim aliquando tenebræ; nunc autem lux in Domino. Ut filii lucis ambulate:*

Recolite quid fueritis & quid nunc ſitis, *fuiſtis aliquando tenebræ* propter ignorantiam Dei & rerum agendarum, perinde ùt illi filii diffidentiæ: *Nunc autem* eſtis *lux in Domino*; igitur oſtendite moribus & converſatione, vos eſſe filios lucis, id eſt, vos ad lucem pertinere, quæ lux eſt gratiæ in fide & ſanctitate conſiſtens, & bonis operibus declaratur, juxta quod ſequitur.

℣.9. *Fructus enim lucis eſt in omni bonitate, & juſtitia, & veritate:*

Fructus quem profert lux gratiæ, ſicut eſt in omni genere virtutum ac bonorum operum, ſive pertineant ab beneficentiam proximis impendendam, ſive ad *juſtitiam* erga proximos ſervandam: *veritas* ad *bonitatem*, & *juſtitiam* refertur, quòd utriuſque generis opera oportet eſſe vera, recta, ſincera, quæque Dei judicio probentur, Græci legunt, *fructus enim ſpiritûs*, ùt *Gal.* 5. ℣.22.

℣.10. *Probantes quid ſit beneplacitum Deo:*

Quid Deus multùm velit, ut illud faciatis, quod ei optimè placere probaveritis, ùt *Rom.* 12. ℣. 2.

℣.11. *Et nolite communicare operibus infructuoſis tenebrarum, magis autem redarguite.*

Opera *tenebrarum* generali vocabulo vocat

omne peccatum, vel quæ ex ignorantia Dei, & veræ juſtitiæ procedunt, ùt ſuprà; communicat autem hujuſmodi operibus qui ea facientibus conſortem ſe præbet, ſimilia faciendo. *Redarguite*, Græcè, *& arguite*; q. d. quin potiùs vos quia lux eſtis, illa tenebrarum opera lumine operum veſtrorum prodite, detegite, manifeſtate, ut omnibus appareat illorum turpitudo: q. d. Nec vobis ſatis ſit ſimilia non facere, niſi & dum ab aliis fiunt, reprehendatis, ac doceatis non eſſe facienda; ex *Eſtio*.

℣ 12. *Quæ enim in occulto fiunt ab ipſis, turpe eſt & dicere.*

Hic notat familiam Simonis Magi, quæ erat infandarum libidinum magiſtra, quamvis ad *filios diffidentiæ* de quibus antè locutus fuerat, id eſt, ad infideles referri poſſit, ùt c. 4.

℣. 13. *Omnia autem, quæ arguuntur, à lumine manifeſtantur: omne enim, quod manifeſtatur, lumen eſt.*

Dixi vos qui eſtis filii lucis, arguere debere opera tenebrarum, ſic enim habet rei natura, ut quæcumque tenebroſa *arguuntur*, id eſt, produntur, ea *manifeſtentur à lumine* redargutionis ejuſdem; plerùmque ignoratur culpa ab ipſo, qui perpetravit eam, ſed dum increpatur, manifeſtatur ei. Nam *omne* peccatum *quod manifeſtatur*, *eſt lumen*, id eſt, evidens & non ambiguum, nec poteſt excuſatione tegi, quod palàm dictum eſt: vel *omne* malum opus quod per confeſſionem *manifeſtatur*, *lumen eſt*, id eſt, illuminans conſcientiam; quia ex conſideratione malorum quæ facit, illuminatur pœnitentis animus ad agenda bona, ut videat quantùm in pœnitentia ſe debeat affligere, & quanto ſtudio bonis operibus inſudare,

ita *Anſelm.*; vel *omne* manifeſtans *lumen eſt*, id eſt, nulla res poteſt manifeſtare, & in apertum proferre aliquid obſcurum, niſi ſit lux, aut lucis particeps; quod veritatem habet univerſalem, tam de luce ſpirituali quàm corporali. Incipit enim lumen eſſe, cùm crediderit, & vobis adjungitur, ait *Hier.*

℣. 14. *Propter quod dicit: ſurge, qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Chriſtus.*

Propter quod, id eſt, quia omne quod manifeſtatur ſit lumen, ideò *ſurge*, Græcè. *Expergiſcere qui dormis*: ſomnus animæ eſt oblivisci Deum ſuum, ſicut qui corpore dormit, etiamſi dies jam fuerit, tanquam in nocte eſt, quia non vigilat ut videat jam ortum diem: ſic quibuſdam jam præſente Chriſto, jam prædicatâ veritate adhuc ineſt ſomnus animæ, ideò clamat Propheta, vel Apoſtolus: *Surge, illuminare, quia venit lumen tuum*, id eſt Chriſtus; vel *Surge qui dormis*, qui torpes in obſcuritate cordis, non recogitans Deum, nec advertens peccata tua, ſed in terrenis deſideriis oculos mentis habens: *Surge* ab illa pigritia per recordationem Dei, & intelligentiam culparum tuarum: vel ſurge *per confeſſionem*, & exurge per ſatisfactionem *à mortuis*, id eſt à peccatis; & *Chriſtus*, qui illuminator eſt mentium, *illuminabit tibi*, id eſt, lumen veritatis & gratiæ ſic infundet cordi tuo, ut maneat tibi, id eſt, ut ultrà non amittas illud: ita *Anſel.* Quibus verbis excitatur quidem liberum arbitrium peccatoris, ut à peccatis reſurgat: verùm certè hoc ipſum habet liberum arbitrium à gratia præveniente ſicut & poſtea meritoriè operatur à gratia ſubſequente: ait *Thomas*, qui hunc locum refert ad *Iſaïæ Cap. 60.* ℣. 1.

℣. 15. *Videte itaque fratres, quomodo cautè ambuletis: non quaſi inſipientes,*

Vos, inquit, qui eſtis filii lucis, ideòque errare quaſi in tenebris, non debetis, *videte*, id eſt, utimini luce veſtrâ ad videndum quomodo benè & circumſpectè converſemini, maximè cum iis qui foris ſunt id eſt, infidelibus, ut *Col.* 4. Inſipientes enim incautè ambulant, ſapientes cautè & prudenter: ex *Eſtio.*

℣. 16. *Sed ut ſapientes: redimentes tempus, quoniam dies mali ſunt.*

Quoniam dies mali ſunt, id eſt, quia tempus hujus vitæ plenum eſt tentationibus & laqueis peccatorum, *Job.* 7. ℣. 1.; ideò hortor ut *redimatis tempus*, id eſt ut quovis pretio tempus hoc ſalutare faciatis vobis liberum ad ſerviendum Deo, potiùs patimini bonorum temporalium diſpendia, quàm ut ea cum aliquo ſalutis aut Evangelii diſpendio velitis retinere. Vel *dies mali ſunt*, hoc eſt, viget adversùm Chriſtianos perſecutio: ideò *tempus redimite*: id eſt, potiùs aliquod rerum veſtrarum diſpendium patimini, quàm ut adverſariis relinquatur occaſio perſequendi fidem Chriſti, ut *Col.* 4. ℣. 5. Vel *tempus redimunt*, qui moras trahunt ad evadendum, ut *Dan.* 2. ℣. 8.; Vel qui vitam quam laſciviendo perdidit, flendo reparat; ex *Greg. l.* 5. *Mor. c.* 28. *Dies mali ſunt*, non à temporis vitio, ſed hominum qui in tempore vivunt: vel propter afflictionem & miſeriam, quæ hominibus in tempore accidunt ut *Gen.* 47. ℣. 9.

℣. 17. *Propterea nolite fieri imprudentes: ſed intelligentes quæ ſit voluntas Dei.*

Cùm dies mali ſint, & omnia peccandi periculo plena, ne ſitis *imprudentes* & incauti in

converſatione veſtra, ne tempus bene agendi vobis effluat; *ſed* date operam, ut intelligatis quid Deus à vobis velit fieri. Scrutamini legem in qua ejus voluntas agnoſcitur: ait *Hier.*

℣. 18. *Et nolite inebriari vino, in quo eſt luxuria: ſed implemini Spiritu ſancto,*

Non prohibeo quin vinum moderatè bibatis, ſed modum non excedatis, ebrietatem enim interdico, *in vino* immoderatè hauſto, *eſt luxuria*, id eſt, quidvis genus intemperantiæ, vel peculiariter libido venerea. Nam venter mero æſtuans facilè deſpumat in libidinem; ait *Hier.* Sed ſtudete *impleri Spiritu ſancto*, qui vos laudabiliter inebriet, ut *Act.* 2. ℣. 15. & *ſeq.* mutando mentes veſtras, & amore æternorum calefacientes, ait *Anſ.*, & gratiâ, & lætitiâ ſpirituali. Notat *Thomas* Spiritum ſanctum non eſſe in noſtra poteſtate, niſi quatenus per Dei gratiam liberè exercemus opera bona quæ ſunt Spiritûs ſancti dona, & per quæ Spiritu ſancto magis magiſque replemur, ut explicat *Chryſ.*

℣. 19. *Loquentes vobiſmetipſis in pſalmis, & hymnis, & canticis ſpiritualibus, cantantes & pſallentes in cordibus veſtris Domino,*

Præcipit Epheſiis *Paulus*, ut impleantur Spiritu ſancto, idque futurum docet, ſi pro laſcivis & amatoriis cantionibus, quas in ſuis ſympoſiis cantare ſolent ebrioſi, recitent & canant inter ſe mutuò Pſalmos, ſeu ſacras cantiones quæ ad bonam operationem commovent, & Hymnos qui Dei laudes continent, & cantica ſpiritualia quæ de æterno gaudio reſonant; ait *Anſel.* Videtur autem ſignificari modus alternatim cantandi qui uſque hodie per univerſam Eccleſiam frequentatur, & in domibus priva-

tis, aliiſque locis, ut in carcere *Act.* 16. ℣. 25. Vel *vobiſmetipſis*, id eſt meditantes intra voſ-ipſos internâ ac tacitâ locutione, *cantantes in cordibus veſtris.* Id eſt, ſicut in ore veſtro laudes reſonant Domino, ſic reſonent in cordibus veſtris, audiant hæc illi quibus pſallendi in Eccleſia officium eſt, ne ore tantùm verba Dei reſonemus; ait *Hier.*

℣. 20. *Gratias agentes ſemper pro omnibus, in nomine Domine noſtri Jeſu Chriſti Deo & Patri.*

Cunctis namque ex rebus vel proſperis vel adverſis, afficit ſemper nos beneficiis Deus, etiamſi idipſum nos lateat: ſunt igitur Patri gratiæ agendæ *in Chriſti nomine* per quem omnia nobis contingunt: ait *Theoph.* & *Oec.* Conſequitur omne bonum noſtrum quod ſumus, quod habemus, quod agimus, quod patimur, eſſe à Deo: nam & adverſa electis in bonum coöperantur ex *Hier.* & *Lyr.* Etiamſi ſit morbus, vel paupertas, ait *Chryſ.*

℣. 21. *Subjecti invicem in timore Chriſti.*

Humiliter curam agendo alter alterius, & piè viciſſim miniſtrando; & hoc facite *in timore Chriſti* caſto qui hujus vitæ ſubjectionis humilitatem præcepit, *Matth.* 20. ℣. 26. & *ſeq.*; ita *Anſel.* Vel inferiores ſuperioribus obedientiam præſtent *in timore* qui convenit Chriſtianis, quorum eſt non ad oculum obedire, ſed ex animo, & propter Deum ex *Oecum.*

℣. 22. *Mulieres viris ſuis ſubditæ ſint, ſicut Domino:*

Ad familiaria præcepta ſe transfert Apoſtolus, & unicuique gradui quid debeat, præcipit, *mulieres* propriis *viris ſint ſubditæ* reve-

rendo, obediendo, *ſicut Domino* Chriſto; id eſt, in viris ſuis conſiderantes Dominum Chriſtum, qui eſt caput & ſponſus Eccleſiæ. Quomodo Sara ſubdita erat Abrahæ, *Dominum* eum vocans, *Gen.* c. 18. ℣. 12. ut notat *Hier.*

℣. 23. *Quoniam vir caput eſt mulieris: ſicut Chriſtus caput eſt Eccleſiæ: ipſe, ſalvator corporis ejus.*

Sicut enim *Chriſtus* præeſt *Eccleſiæ* ſuæ, eamque gubernat ac protegit ad ipſius Eccleſiæ utilitatem; ita maritus uxori ſuæ præeſſe debet, eamque regere ad bonum ejus, ac totius familiæ. *Ipſe ſalvator corporis ejus*, quam ſententiam græci de marito exponunt hoc modo, & *ipſe* vir ſalutem dat *corpori*, hoc eſt, uxori cujus eſt caput. Latini verò illam rectiùs de Chriſto interpretantur: *Chriſtus* enim *qui caput* eſt *Eccleſiæ*, idem & *Salvator ejus* eſt tanquam *corporis* ſui, quia derivans in eam omne genus bonorum ſpiritualium, certiſſimè & efficaciſſimè eam ad ſalutem æternam perducit: Hinc inſinuat extra Eccleſiam fruſtrà ſperari ſalutem, ex *Eſtio.*

℣. 24. *Sed ſicut Eccleſia ſubjecta eſt Chriſto, ita & mulieres viris ſuis in omnibus.*

Subaudi ſubjectæ *ſint in omnibus*, ad quæ viri poteſtas ſive ſuperioritas ſeſe extendit: ea autem ſunt, quæ ad gubernationem domeſticam pertinent.

℣. 25. *Viri diligite uxores veſtras, ſicut & Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſeipſum tradidit pro ea,*

Viros viciſſim admonet officii erga uxores, ſcilicet ut benignos erga eas ſeſe exhibeant, amorem oſtendant, ſtudeant earum ſaluti, nec

ullis immunditiis eas polluant, aut pollui ſinant: Sic enim *Paulus* Theſſalonicenſes admonet 1. *Ep.* c. 4. ℣. 4.... *vas ſuum poſſidere in ſanctificatione & honore. Sicut* non æqualitatem dilectionis exigit, ſed imitationem : tam ſanctâ & venerabili charitate, inquit *Hier.*

℣. 26. *Ut illam ſanctificaret, mundans lavacro aquæ in verbo vitæ,*

Erat ergo immunda Eccleſia & deformis, nil tamen hanc vel ſqualentem aſpernatus eſt Dominus, ſic velim ipſe nec tuam habeas uxorem contemptui etſi indecora ſit admodùm & abjecta, ſic *Theoph.* Per *lavacrum aquæ* omnes baptiſmi Sacramentum intelligunt; per *verbum vitæ* verba myſtica baptizantis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti; ſic *Chryſ.* Vel *verbum* doctrinæ Evangelicæ quatenùs fide ſuſcipitur, ùt *Aug. tract.* 80. *in Joan.* ex *Rom.* 10. ℣. 8. *Act.* 15. ℣. 9. 1. *Pet.* 3. ℣. 21. Imò & effectum baptiſmi ſcilicet regenerationem, mundationem, ſalutem, perinde ùt *Paulus* hìc, etiam alii Apoſtoli tribuunt *verbo fidei*, ut *Petrus* loco jam citato & c. 1. ℣. 23. *& ſeq.* & *Jacobus cap.* 1. ℣. 18. ita *Hier.*

℣. 27. *Ut exhiberet ipſe ſibi glorioſam Eccleſiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid hujuſmodi, ſed ut ſit ſancta, & immaculata.*

Non puram ſimpliciter, ſed *glorioſam*, ſenſus eſt, ùt igitur Chriſtus cunctorum eſt cauſa bonorum, ita & tu juxta vires tuas, eſto uxori tuæ: & ſicut ipſe non corporis requirit pulchritudinem, ſed animæ, ita & tu: nam ſi pulchritudinem animæ requiris & ipſam ad hoc dilexeris, & Deo & tibi ipſi pulchram reddes; ita *Oecum.* Græci hoc referunt ad tempus vitæ præſentis in quo Chriſtus Eccleſiam ſuam ab

omnibus peccatorum maculis baptiſmi Sacramento mundatam ſibi exhibet pulchram, & omni genere virtutum ornatam; ideò credimus Eccleſiam non modò triumphantem, ſed etiam hanc militantem eſſe ſanctam. Sciendum ex hoc loco Pelagianos quæſiviſſe patrocinium ſui dogmatis, quod erat, hominem poſſe vivere ſinè peccatis, idque à multis etiam præſtari. Contra quos *S. Aug.* docet Apoſtoli verba non ad Eccleſiam qualis nunc eſt, ſed qualis in conſummatione ſeculi ac beatâ reſurrectione futura eſt, pertinere: tùnc enim & *glorioſa* erit, & prorsùs omni ex parte *ſancta & immaculata*, *lib. de perf. juſt.* 1.; *lib.* 1. *retr. cap.* 7.; *lib.* 1. *de nupt. cap.* 34. *lib.* 4. *cont.* 2. *Epiſt. Pelag.* c. 7. & *lib. de pecc. orig.* c. 40. Eadem expoſitio eſt apud *Hier. lib.* 3. *dial. cont. Pel.*, & apud *Primaſium* & *S. Thomam in comment.*; quam probabilem reddit alius Apoſtoli locus 2. *ad cor.* c. 11. ℣. 2.; item quod Chriſtus *Matth.* 25. loquatur de ſpiritualibus nuptiis inter ipſum & Eccleſiam in futuro ſeculo celebrandis: de quibus etiam agit *Joan.* in *Apoc.* c. 19. ℣. 7. & 8. Ut autem in hoc loco *Macula* & *Ruga* diſtinguantur, poteſt in *macula* intelligi deformitas operis, & in *ruga* duplicitas intentionis. In eo quod additur, *aut aliquid hujuſmodi* poſſunt intelligi reliquiæ peccatorum, ùt pravæ inclinationes & motus involuntarii, & multiplices ignorantiæ, quæ omnia ceſſabunt in Eccleſia glorificata: ita *Thom.* & *Anſel.*

℣. 28. *Ita & viri debent diligere uxores ſuas ut corpora ſua. Qui ſuam uxorem diligit, ſeipſum diligit.*

Ut igitur Chriſtus Eccleſiam ſuam, ùt corpus ſuum dilexit, *ita & viri debent uxores ſuas diligere* tanquam *corpora ſua*; hoc eſt exemplo Chriſti ea quæ ſalutaria ſunt, illis providere,

ſicut caput providet corpori. *Qui enim diligit uxorem ſuam*, corpus ſuum *diligit* & proinde *ſeipſum*: in quantùm caput & corpus unum quid conſtituunt. Qualem itaque uxorem cupit invenire, talem exhibeat ſe uxori, ait *Hier.*

℣. 29. *Nemò enim umquam carnem ſuam odio habuit: ſed nutrit, & fovet eam, ſicut & Chriſtus Eccleſiam:*

Sicut enim *nemo* poteſt ſeipſum ſimpliciter *odio habere*, ita nec corpus aut *carnem ſuam*, quæ aliquid ipſius eſt. At ſicut quis ſeipſum odiſſe poteſt ſecundùm quid ſcilicet ùt peccatorem, miſerum, imbecillem, ita & carnem ſuam multi oderunt ùt vitioſam, morbidam, ſpiritui rebellem. Quidam etiam occidunt, non odio carnis, nec odio ſui, ſed odio miſeriarum quas ſic ſtolidè & falsò putant effugere. Vel ſic intelligitur, *Nemo* ſanæ mentis *carnem ſuam odio habuit*, *ſed nutrit & fovet* quoad uſque poteſt: hoc enim dictat lex naturæ. *Sicut & Chriſtus Eccleſiam*, ſcilicet ùt carnem ſuam nutrit, fovet omnia ſuppeditando quæ ad ejus ſalutem pertinent; ex *S. Thoma.*

℣. 30. *Quia membra ſumus corporis ejus, de carne ejus, & de oſſibus ejus.*

Ejus, id eſt, Eccleſiæ; *de carne*, id eſt, de imbecillitate ejus, & *de oſſibus*, id eſt, de fortitudine ejus: hoc eſt, alii ſunt infirmi, alii fortes in hoc corpore ejus quod eſt Eccleſia. Sicut enim corpus humanum ex carne & oſſibus conſtat, & caro ejus ſuſtentatur ab oſſibus: ſic Eccleſia de minùs perfectis & magis perfectis conſtat; & perfectiores exemplo ſuo & exhortatione ſuſtentant imperfectos: ita & mulier quæ eſt quaſi caro fragilis, debet à viro ſuſtentari qui eſt velut firmitas oſſis; ita *Anſel.* Sunt qui referunt Apoſtoli verba ad for-

mationem Eccleſiæ ex carne Chriſti, & oſſibus ejus in cruce, in qua nimirùm Chriſtus ſecundùm humanam naturam carne & oſſibus conſtantem, patiens ac moriens Eccleſiam vivificavit, ita *Cajet*. Vel meliùs nos *de carne & oſſibus ejus* ſumus in quantum ejuſdem cum illo naturæ participes ſumus, quia in hac natura ipſe caput eſt, nos membra; *ex Hier. & Thom. & Iren. lib. 5. cont. Hær.*; vel quia carnem ejus in miniſterio ſumentes carni noſtræ conjungimus, & virtute ſpiritûs ejus confortamur velut internis *oſſibus*, ait *Anſel.* poſt *Iren.*

℣. 31. *Propter hoc relinquet homo patrem, & matrem ſuam, & adhærebit uxori ſuæ: & erunt duo in carne una.*

Propter hoc, id eſt, quia mulier formata eſt ex oſſibus & carne viri, *relinquet vir patrem ſuum, & matrem* quoad cohabitationem & converſationem domeſticam, & *adhærebit uxori ſuæ*, Græcè, agglutinabitur ad uxorem ſuam, id eſt, firmiſſimo vinculo uxori ſuæ conjungetur: *eruntque duo in carne una*, vel in carnem unam: hoc eſt duo erunt velut una caro, unum corpus, unus homo: deſignat præterea, & aliud quiddam: erunt ſcilicet duo, ut carnem unam conficiant, hoc eſt, ut filios pariant, ita *Theoph.*

℣. 32. *Sacramentum hoc magnum eſt, ego autem dico in Chriſto & in Eccleſia.*

Quomodo *magnum*? Quia, cùm *Chriſto* in propria gloria manere licuiſſet, ſeipſum aſſumptâ humanitate demiſit ut adhæreret ac adjungeretur *Eccleſiæ*. Senſus eſt; arcta illa conjunctio viri & mulieris magnæ alicujus ſacræ ac arcanæ rei ſignum eſt. *Ego autem dico*, id eſt, myſterium hoc explico & intelligendum doceo *de Chriſto & Eccleſia*. Per hoc enim quòd homo

relictis parentibus adhæret uxori & cum ea una caro efficitur; myſticè ſignificatur filium Dei è ſinu Patris, & quaſi patre relicto, matre etiam, id eſt, ſynagogâ vel cœleſti Hieruſalem, derelictâ in terras deſcendiſſe, & per aſſumptam carnem humanam Eccleſiæ, quæ ex hominibus conſtat, conjunctum eſſe, unumque cum ea corpus effectum, & per hoc indiſſolubili amoris vinculo conglutinatum; ita *Hier.* & *Aug.* Chriſtus reliquiſſe dicitur matrem ſynagogam vel cœleſtem Hieruſalem, non quòd abſens ab illis eſſe cœpit, ſed figurato ſermone, & quâdam ſimilitudine noſtri, quia apud nos quæ alibi eſſe incipiunt, priorem locum relinquunt, q. d. allegoria iſta conjugalem dilectionem non evertit, ait *Chryſ.*

℣. 33. *Verumtamen & vos ſinguli, unuſquiſque uxorem ſuam ſicut ſeipſum diligat: uxor autem timeat virum ſuum.*

Ego quidem allegoricè interpretor hæc verba *Geneſis* de conjugio Chriſti & Eccleſiæ; ſed *tamen vos* moraliter & ad literam ea intelligite, *unuſquiſque uxorem ſuam ſicut ſeipſum diligat*, ſicut Chriſtus Eccleſiam diligit ùt corpus ſuum. Uxorem autem monemus, *ut timeat virum ſuum*, id eſt, caſto timore diligat eum & obediat ei in omni bono, & revereatur eum, ait *Anſel.*

CAPUT VI.

Docet filios & parentes, ſervos & dominos, quomodo erga ſe reciprocè debeant ſe gerere. Armat militem Chriſti contra ſpiritus nequam. Rogat pro ſe orari.

℣. 1. *Filii, obedite parentibus veſtris in Domino: hoc enim juſtum eſt.*

Præcipit *filiis obedire parentibus* ſuis *in Domino*, id eſt, in iis quæ ad Deum pertinent. Non enim ſuadet obediendum eſſe in eis quæ ſunt contra Deum *Act.* 5. ℣. 29. *Quia hoc juſtum eſt*, ut à quibus vitam acceperimus, obedientiam iis reddamus, id naturale jus habet. *In Domino*; id eſt ſecundùm Dominum, ex *Chryſ.*

℣. 2. *Honora patrem tuum, & matrem tuam. Quod eſt mandatum primum in promiſſione:*

Licèt enim hoc *mandatum* ſit quartum in Decalogo, tamen *primum eſt in promiſſione* ſeu cum *promiſſione*; quia hoc primum eſt cui addita eſt promiſſio ſpecialis: ex *Hier. Honora* reverentiâ ùt majores, obedientiâ, ùt inſtructores: & ſuppeditatione rerum neceſſariarum. Nam & Chriſtus *Matth.* 15. ℣. 5. & 6. & *Marc.* 7. ℣. 11. & 12. de ſuſtentatione Parentibus debita præceptum hoc interpretatur. Et notum eſt, ait *Eſtius*, etiam alibi honorem in ſubminiſtratione victûs intelligi, ùt 1. *Tim.* 5. ℣. 3. & 17.

℣. 3.

℣. 3. *Ut benè ſit tibi, & ſis longævus ſuper terram.*

Verba ſunt promiſſionis, *Deut.* 5., quæ magna eſt: honora inquit, parentes, *ut bene*, inquit *ſit tibi*, id eſt, ut feliciter & diù vivas *ſuper terram*: ut carnalia & ſpiritualia bona per hoc à Deo conſequaris & longævitatem æternitatis habeas ſuper ſtabilem manſionem cœleſtis patriæ; ex *Anſel.* & *Thom.*

℣. 4. *Et vos patres nolite ad iracundiam provocare filios veſtros: ſed educate illos in diſciplina & correptione Domini.*

Rationem præcepti adjecit, *Col.* 3. ℣. 21. *Ne puſillo animo fiant*, id eſt, ne per impatientiam animum deſpondeant, aut jugum obedientiæ prorsùs abjiciant, aut etiam religionem deſerant: extendi poteſt ad principes & præfectos ſæculares & Eccleſiaſticos; ex *Greg. p.* 3. *curæ paſt. admon.* 5.

℣. 5. *Servi obedite dominis carnalibus cum timore, & tremore, in ſimplicitate cordis veſtri, ſicut Chriſto:*

Græcè, *Dominis ſecundùm carnem*, id eſt, quibus ſecundùm corpus ac temporalia miniſteria obnoxii eſtis & ſervitutem debetis; *cum timore & tremore*, id eſt, cùm magna ſollicitudine, ùt 1. *Cor.* 2. ℣. 3. & 2. *Cor.* 7. ℣. 15. *Philip.* 2. ℣. 12. recto & ſimplici corde tanquam ſerviatis *Chriſto*, qui omnia videt: vèl *ſicut Chriſto*, in dominis veſtris quibus ſervitis, Chriſtum Dominum per illos repræſentatum præ oculis habentes, ùt *cap.* 5. ℣. 22.

℣. 6. *Non ad oculum ſervientes, quaſi hominibus placentes, ſed ùt ſervi Chriſti, facientes voluntatem Dei ex animo,*

Hoc eſt, non modò dominis ipſis præſentibus

atque ſpectantibus, quin etiam cùm abſunt, hujuſmodi ſervitutem præſtate, ita *Theop. Sed ùt* decet ſervos Chriſti ſincerè, & *ex animo* facite ea, quæ Deus præcipit: eſt autem præceptum Dei, ut ſervi dominis obediant.

℣. 7. *Cum bona voluntate ſervientes, ſicut Domino, & non hominibus:*

Non coactè, ſed libenter, ac propensâ erga dominos veſtros *voluntat*., iis ſervite, perinde ac ſi Chriſto *domino* ſerviretis, & *non hominibus*. Oſtendit hic locus præcepta parentum, dominorum, Principum, Magiſtratuum ſubditos obligare in conſcientia: iiſque parendum ùt Dei præceptis; ideò nimirùm, quia omnis poteſtas à Deo ſit *Rom.* 13. ℣. 1.

℣. 8. *Scientes quoniam unuſquiſque quodcumque fecerit bonum, hoc recipiet à Domino, ſive ſervus, ſive liber.*

Scientes, hoc eſt, cùm ſcire debeatis quòd *unuſquiſque*, tam ſervus quàm liber pro omni bono quod fecerit, recepturus ſit mercedem ab omnium judice Chriſto *Domino.*

℣. 9. *Et vos Domini eadem facite illis, remittentes minas: ſcientes quia & illorum, & veſter Dominus eſt in cœlis: & perſonarum acceptio non eſt apud eum.*

Eadem dicit non opere & officio, ſed proportione: & ſenſus eſt, ſicut oportet ſervos ex animo ſervire Dominis ſuis; ita *vos Domini* viciſſim humaniter & benignè vos erga illos gerite, illiſque neceſſaria procurate; & ſi offendant ut punitione digni ſint, *remittite* pœnas quas comminati eſtis: Pœnæ ſervorum erant flagra, carcer, piſtrinum &c. ad quas remittendas *Leo* Pontifex identidem hortatur Dominos

Ser. de Paſſ. Scientes . . quòd veſter Dominus ſit in cœlis: convenit hoc cum eo quod *Eccleſiaſtes* dicit c. 5. ℣. 7. Item quod *Paulus* dicit ad *Col.* c. 4. ℣. 1. & ſenſus eſt. Habetis Dominum communem vobis omnibus ſuperiorem in cœlis; ſicut igitur vos ab illo miſericordiam exſpectatis, ita & vos ſervis veſtris pœnas comminatas remittite ſecundùm illud ipſius Domini præceptum, *Dimittite & dimittetur vobis. Luc. 6.* Nam *perſonarum acceptio non eſt apud eum*, ſcilicet Chriſtum Dominum omnibus ſuperiorem, & judicem omnium.

℣. 10. *De cætero fratres confortamini in Domino, & in potentia virtutis ejus.*

Cùm multa injunxiſſet quæ factu difficiliora videbantur, ut hos conſoletur, *confortamini* inquit *in Domino*, nil veriti quominus quæ ejus ſunt, exequi poſſitis, quin & *in* Dei *potentia* confidite. Vel hortatur ad pugnandum cum diabolo ſuggerens arma opportuna, q. d. curam adhibite ut ad pugnandum fortes ſitis *in Domino*, id eſt, per Chriſtum, per potentiam & fortitudinem ejus: ſive quam ille ſuppeditat: vel quâ ille vos adjuvat, & hæc eſt virtus divina; vel exemplo & virtute Domini, ex *Hier.*

℣. 11. *Induite vos armaturam Dei, ut poſſitis ſtare adversùs inſidias diaboli.*

Omnia arma Dei legit *Hier.*; quia per hæc arma tanquam manu Dei fabricata pugnamus; imò Deus ipſe in nobis pugnat. *Ut poſſitis* in fide & rectitudine vitæ Chriſtianæ *ſtare adverſùs inſidias* ſeu machinationes *diaboli*, quas ille ſtruit per miniſtros ſuos hæreticos, Philoſophos, Judæos & cæteros impios; quod interpres hoc loco vertit *inſidias*, *cap.* 4. verterat *circumventionem*, & *Hieron. verſutias* legit.

℣. 12. *Quoniam non eſt nobis colluctatio adversùs carnem & ſanguinem: ſed adversùs principes & poteſtates, adversùs mundi rectores tenebrarum harum, contra ſpiritualia nequitiæ, in cœleſtibus.*

Per *carnem & ſanguinem* aliqui intelligunt carnalem concupiſcentiam: quâ tamen ſignificatione *Caro* & *ſanguis* in Scripturis non accipiuntur, ait *Eſtius*, ſed tantùm *Caro* ſolitariè poſita. Nam carnis & ſanguinis nomine ſignificari ſolet in Scripturis homo mortalis & corruptibilis: ita *Theop.* qui hunc ſenſum reddit: *Non eſt nobis colluctatio* cum hominibus qui mortales ſunt & infirmi: id eſt, bellum nobis non eſt cum hoſtibus corporeis ut arma corporea requirenda ſint; ſed cum hoſtibus incorporeis & immortalibus, iiſque valde potentibus ſcilicet dæmonibus quos vocat *Principes & poteſtates* &c. ad quod proinde pugnæ genus opus eſt armis ſpiritualibus, quæ *verſu ſeq.* dicuntur *Armatura Dei*. Nec facit quòd *caro & ſanguis*, ſeu homines mali bonos oppugnent & ad malum pervertere tentant: quia hæc *colluctatio* non tam *carni & ſanguini* quàm ipſi diabolo qui hominibus velut inſtrumento utitur, adſcribenda eſt. Unde & illa ſolvitur quæſtio, quare ſolos ſpirituales hoſtes nominaverit Apoſtolus, cùm tamen non à dæmonibus ſolùm, ſed etiam à *mundo* & *carne* oppugnemur. Quia nempè Diabolus non ſolùm per ſe, ſuoſque miniſtros Angelos Apoſtatas tentat homines, verùm etiam per mundum & carnem quibus velut inſtrumentis & auxiliis utitur: ita *S. Aug. in Serm.* 8. *de verbis Domini*, ubi quidem hunc Apoſtoli locum allegat: & hâc ratione omnis peccati tentatio in diabolum à S. Patribus referri ſolet.

Sunt qui paulò aliter hanc difficultatem exponunt, ſupplendo ſcilicet particulam *tantùm*, hoc modo; *Non eſt colluctatio* tantùm *adverſùs carnem & ſanguinem*, ſed etiam *adverſùs Principes* &c. ita S. Thom. Alii poſt *S. Hier.* etiam hunc indicant ſenſum: Pugna quæ nobis eſt *adverſùs principes* &c., adeò gravis & periculoſa eſt, ut ea quæ *adverſùs carnem & ſanguinem* ſuſcipitur cum hac collata, facilis ac nullius momenti videatur. Explicatio tamen, quæ ex *Theophylacto* allegata eſt, planior apparet & *Eſtio* præplacet. Vocat Apoſtolus dæmones nominibus ordinum Angelicorum è quibus ceciderunt: & quidem in quantum inducunt ad rebellandum Deo, dicuntur *Principes*; in quantum verò habent poteſtatem puniendi illos qui eis ſubjiciuntur, *Poteſtates*: & quia poteſtatem hanc exercent in mundum hunc inferiorem, ſive ad tentandum, ſive ad nocendum hominibus per creaturas humanis uſibus ſervientes, vocantur *Mundi Rectores & tenebrarum harum* ſeu hujus ſeculi, id eſt, mundi caliginoſi: ſic enim vocatur mundus inferior comparatione ſuperioris; non hìc ſolùm, ſed etiam 2. *Pet.* c. 2. ℣. 4. in græca lectione, & *Epiſt. Judæ* ℣. 7. Facit hic commentarius ad illuſtrandum alia ſcripturæ loca, ùt *Joan.* cap. 12. 14. & 16. ubi diabolus *princeps hujus mundi* vocatur: item 1. *Cor.* 2. ℣. 8. & 2. *Cor.* 4. ℣. 4. *Contra ſpiritualia nequitiæ*, id eſt, contra ſpirituales nequitias, quo intelligitur plenitudo *nequitiæ*: dicit autem *ſpiritualia nequitiæ*, quia quantò eſt altior ſecundùm naturam, tantò eſt pejor & nequior quando convertitur ad malum, unde Philoſophus dicit quòd homo malus eſt peſſimus animalium. Dicit *in cœleſtibus*: vel ut oſtendat virtutem ad ſuperandum nos, quia nos in terra, ipſi in alto, ſcilicet in aëre caliginoſo, ùt *Luc.* 8. ℣. 5.

deſignantur per *volucres cæli* ùt patet ex ℣. 12. ejuſdem *cap*: vel quia pro cœleſtibus eſt iſta pugna: hæc *Thom.* & Græci.

℣. 13. *Propterea accipite armaturam Dei, ut poſſitis reſiſtere in die malo, & in omnibus perfecti ſtare.*

Quia cum hoſtibus incorporeis & immortalibus iiſque potentibus ad quod proinde pugnæ genus opus èſt armis ſpiritualibus, *propterea* aſſumite *armaturam Dei* quam vobis hic ſubminiſtro, eâque vos induite, *ut poſſitis reſiſtere in die malo* ſive periculoſo & tentationis, præſertim ejus quæ movetur ab hoſtibus fidei: eodem modo dies malus accipitur *Pſal.* 40. ℣. 1. Non videtur intelligendus dies extremi judicii, nam juſtis non erit malus, ſed exoptatus, juxta *Luc.* 21. ℣. 28. & quia tunc tempus reſiſtendi non erit: & *in omnibus perfecti ſtare*, id eſt, juxta plures inter quos Cyprianus, *ut cùm omnia perfeceritis*, ſtetis, ſeu ſtare & ſubſiſtere poſſitis, ne partâ ſemel victoriâ vobis effluat è manibus. Vel ut omni armaturâ ſufficienter inſtructi ac præparati, *perfectè ſtare* poſſitis in pugna contra hoſtes, & non cadatis, & loco cedere cogamini. Qui ultimus ſenſus optimè quadrat ſcopo Apoſtoli, & reſpondet ℣. 11. *hujus capitis*. Notandum quòd omnes hortatur ad perfectionem, ex *Hier.*

℣. 14. *State ergo ſuccincti lumbos veſtros in veritate, & induti loricam juſtitiæ,*

Univerſam armaturam militis Chriſtiani partibus exponit, incipiens à cingulo ſeu baltheo militari: *ſtate* igitur in prælio *ſuccincti lumbos veſtros* ſpirituales, *in veritate*, ſeu fide ac ſinceritate in verbis & promiſſis tanquam baltheo, ùt *Iſa.* 11. ℣. 5. Et *juſtitia* ſit vobis pro lorica ſeu thorace

militari. Similis metaphora eſt 1. ad *Theſ.* 5. ℣. 8., *Iſaiæ* 59. ℣. 17. & *Sap.* 5. ℣. 19. Sed juſtitia peccatorum vindex *Sap.* 5. intelligitur; quæ ſignificatio non convenit huic loco.

℣. 15. *Et calceati pedes in præparatione Evangelii pacis :*

Et pedes ſint calceis ſpiritualibus muniti; ut parati ſitis ad perferendum *Evangelium pacis* ad infideles, quod pacem & reconciliationem cum Deo adfert hominibus; alludit Apoſtolus ad locum *Iſa.* 52. quem citat ad *Rom.* 10. *Quàm ſpecioſi pedes evangelizantium pacem!*

℣. 16. *In omnibus ſumentes ſcutum fidei, in quo poſſitis omnia tela nequiſſimi ignea extinguere :*

In omnibus prædictis, ſcilicet veritate, juſtitia & præparatione Evangelii, pro ſcuto aſſumite fidem Chriſtianam; ita *Theoph.* Vel in omni tentatione *ſcutum fidei* opponite adverſariis. Vel *ſuper omnia* ac præcipuè *ſcutum fidei ſumite* in hac pugna, ut *Col.* 3. ℣. 14., *quo* excipere, repellere, & *extinguere poſſitis omnia* ignita jacula variarum tentationum à diabolo immiſſa, quibus ille corda hominum incendit, & inflammat ad peccandum; nihil enim efficacius quàm ſi quis fidem ſuam diligenter exerceat, ac frequenter ante mentis oculos ponat, bona nobis in futurum promiſſa; quod qui ſeriò facit, facilè contemnit omnia præſentia, ſeu bona ſeu mala, per quæ diabolus blanditur, aut terret, hoc modo ſancti per fidem fecerunt ea, quæ multa & magna commemorantur *Heb.* 11. Similis ferè admonitio habetur 1. *Petri* 5. ℣. 9. ex *Hier.*

℣. 17. *Et galeam ſalutis aſſumite; & gladium ſpiritûs, (quod eſt verbum Dei)*

Galea ſalutis eſt Chriſtus, qui eſt *ſalutare* noſtrum, *Luc.* 2. ℣. 30.; quique meritò pro defenſione capitis aſſumitur, quia omnis viri caput Chriſtus eſt, 1. *Cor.* 11. Verùm alii probabiliùs ex ipſo Apoſtolo 1. ad *Theſ.* 5. ℣. 8. *Galeam ſpem ſalutis*, petunt hujus partis interpretationem, ita ut *Galea ſit ſpes* futurorum bonorum. Hactenùs de armis defenſivis. Nunc gladium porrigit quo hoſtem poſſit percutere, nempe *gladium S. Spiritûs*, id eſt à Spiritu S. ſubminiſtratum, quem gladium interpretor *verbum Dei*, quo non præcisè intelligit Scripturam Sacram; (ne quis putet omnibus Chriſti militibus neceſſariam) ſed ea quæ ſunt divinitùs revelata ad ſalutem, quæ potiſſimùm in ſymbolo continentur, quatenùs ea creduntur à nobis: nam eo perſuaſi certiſſimè quæ præmia bonos, quæ ſupplicia malos in futuro ſæculo maneant, in pugna fortes efficimur exemplo Chriſti, *Mat.* 4.

℣. 18. *Per omnem orationem & obſecrationem orantes omni tempore in ſpiritu: & in ipſo vigilantes in omni inſtantia, & obſecratione pro omnibus ſanctis:*

Et hæc facite multis orationibus & obſecrationibus Deum precantes, ut vos pugnantes adjuvet, & victores faciat, idque non ſolùm voce, ſed quod præcipuum eſt ac per ſe neceſſarium *in ſpiritu*; hoc eſt, cum devoto cordis affectu, ut 1. *Cor.* 14. ℣. 14. & 15. *Rom.* 1. ℣. 10. *Luc.* 18. ℣. 1. *Obſecratio* eſt oratio cum obteſtatione per aliquid ſacrum, ùt *Phil.* 4. ℣. 6. 1. *Tim.* 2. ℣. 1. Et ad hoc ipſum ut aſſiduè Deum oretis *in ſpiritu vigilantes* magna cum *inſtantia*, perſeverantia, ùt *Matth.* 26. ℣. 41.

℣. 19. *Et pro me, ut detur mihi ſermo in apertione oris mei cum fiducia, notum facere myſterium Evangelii :*

Sanctos ℣. 18. intelligit fideles, & declarat quid pro ſe orare velit, ut, inquit, dum os meum aperio cauſâ Evangelii, *detur mihi ſermo*, quo liberè, confidenter, & intrepidè annunciem & *notum faciam Evangelium Chriſti*, quod eſt *myſterium* olim abſconditum, maximè quoad vocationem Gentium, ex *Eſtio*.

℣. 20. *Pro quo legatione fungor in catena, ita ut in ipſo audeam, prout oportet me, loqui.*

Cujus Evangelii gratiâ *fungor* hâc Apoſtolicâ *legatione*, ſed in vinculis propter eandem legationem jam conſtitutus, ideòque mihi veſtris precibus opus eſt, ut pro munere meæ legationis audacter, & liberè agam; unde & Eſther Deum oraſſe dicitur ut tribueret *ſermonem compoſitum in ore* ipſius *Eſther* c. 14. ℣. 13.

℣. 21. *Ut autem & vos ſciatis quæ circa me ſunt, quid agam : omnia vobis nota faciet Tychicus, chariſſimus frater, & fidelis miniſter in Domino :*

Dixi ut oretis pro me, & quia pro Evangelio vinctus ſum: ſed quibus tribulationibus afficiar, non dixi: vel quo modo res meæ habeant in his quæ ad Chriſtum pertinent, referet vobis *Tychicus*, *miniſter* fortè Diaconus.

℣. 22. *Quem miſi ad vos in hoc ipſum, ut cognoſcatis quæ circa nos ſunt, & conſoletur corda veſtra.*

Quæ *circa nos ſunt*, id eſt, quis rerum noſtrarum ſit ſtatus, & dolorem qui pro auditu tribulationum mearum increverat, temperet,

vel *conſoletur.*, pro quo etiam verti poteſt, *e*
hortetur. Eadem habentur in fine ad *Col.* und
colligitur eodem loco & tempore ſcriptam fu
ſe, ex *Hier.*

℣. 23. *Pax fratribus, & charitas cu*
fide à Deo Patre, & domino Je
Chriſto.

Precatur eis *pacem* & *charitatem cum fid*
ne erga eos pacem habeant qui aliis adhære
opinionibus, ſed erga ſolos credentes: qu
ait *à Patre*, intelligit, ùt authore & largito
& à *Domino Jeſu Chriſto*, ùt mediatore.

℣. 24. *Gratia cum omnibus, qui*
ligunt Dominum noſtrum Jeſum Ch
ſtum in incorruptione. Amen.

Gratia continet omne genus beneficentiæ
vinæ pertinens ad ſalutem vitæ æternæ, e
precatur iis *qui Chriſtum diligunt* purè & c
vitæ caſtimonia, in quo notat Simonis ſc
lam: Chriſtum *in incorruptione* non diligu
vel quorum fides in aliquo eſt corrupta;
qui eum pro temporalibus & corruptibili
bonis diligunt, non pro æternis & incorru
bilibus; ſed qui Chriſtum propter ſolum C
ſtum & propter ſpem perpetuæ incorruptib
tatis amant: illi enim *in incorruptione d*
gunt, quia ſic eum diligunt, ut neque n
mores eorum, neque tunc caro corrumpi p
ſit, ait *Anſel.*

J. BENCE IN EPISTOLAM B. PAULI APOSTOLI Ad Philippenſes.

ARGUMENTUM.

PHilippenſes ſunt Macedones, qui accepto verbo veritatis perſtiterunt in fide, nec receperunt pſeudoapoſtolos. Qui cùm ſecundò vinctum Paulum audiſſent, per Epaphroditum neceſſaria illi ſuppeditarunt, ſicut & antè fecerant Theſſalonicæ agenti. Horum fidem laudat, ad mutuam charitatem hortatur; ſcribens eis ex urbe Roma de carcere per Epaphroditum.

CAPUT I.

Declarat ſuum erga Philippenſes affectum : nihil ex ſuis vinculis Evangelio deceſſiſſe, etſi verò cum Chriſto eſſe cupiat, ſe tamen permanſurum in carne ad ipſorum utilitatem : hortatur ad ferendas afflictiones pro Chriſto.

℣. 1. *Paulus & Timotheus ſervi Jeſu Chriſti, omnibus ſanctis in Chriſto Jeſu, qui ſunt Philippis, cum Epiſcopis, & Diaconibus.*

TImotheum ſibi ſocium jungit non ſcribendæ Epiſtolæ, ſed ſalutationis; ideòque uti voluit epitheto quod eſſet utrique commune, nullam de ſui Apoſtolatûs dignitate mentionem faciens; ſed *ſervos* ſe & Timotheum Jeſu Chriſti ſubſcribit, non tam quòd empti & redempti eſſent pretio ſanguinis ejus, quæ ratio eſt omnibus Chriſtianis communis, quàm quòd in miniſterio prædicandi Evangelii Chriſto Domino ſubſervirent. *Sanctos* vocat fideles quorum congregatio ſancta eſt, licèt non ſinguli ſancti; *in Chriſto Jeſu*, quia non eſt vera ſanctitas niſi Chriſtianorum : vel *in Chriſto*, id eſt, per Chriſtum, cujus merito omnis ſanctitas datur hominibus. *Cum* coepiſcopis vel *Epiſcopis* : Non quòd in una civitate multi eſſent Epiſcopi, ſed Epiſcopos vocat Presbyteros : tunc enim no-

minibus adhuc communicabant, & Epiſcopi vocabantur Diaconi ac Presbyteri, rursùmque Presbyteri dicebantur Epiſcopi, ùt patet *in Epiſt.* ad *Tit.* c. 1. ℣. 5. & *Act.* 20., ubi ℣. 17. presbyteri civitatis Epheſinæ vocantur *Majores natu*, qui ℣. 28. *Epiſcopi* appellantur, ita Oecumenius, qui ad ſolos coepiſcopos ſcriptam putat epiſtolam, cùm ad omnes ſimul Philippenſes miſſam fuiſſe, dicat *Theodoretus*. Nihil tamen incommodi accidit, ſi hoc loco Epiſcopi intelligantur propriè, ſcilicet iì quorum in Eccleſiaſtica Hierarchia ſupremus eſt ordo. Nam hæc Epiſtola non ad eos ſolùm mittitur qui *Philippis* morabantur; ſed ſic ad eos, ut vicinis etiam civitatibus, quæ ſuos habebant Epiſcopos, communicari debuerit, ut eam quæ eſt ad *Col.*, communicari voluit Laodicenſibus; unde ex hoc intellectu non eſt conſequens in una civitate plures Epiſcopos fuiſſe. Nec aliter ſentiendum videtur *Act.* 20.; nam & ibi poſſunt intelligi *Epiſcopi* civitatum Aſiæ minoris; idque probabilius eſt ex eo, quòd ejus Metropolis eſſet Epheſus. Certè *Conc. Trid. Seſſ.* 23. c. 4. locum *Actorum* refert ad Epiſcopos, ùt à Presbyteris diſtinguuntur. *Diaconi* non aliter hìc accipiuntur, quàm 1. ad *Timoth.* 3. pro miniſtris altaris à Presbytero proximis, & tam Epiſcopo quàm Presbytero ſubſervientibus, non pro menſarum miniſtris, ùt loquuntur Neoterici, ùt notat *Eſtius*.

℣. 2. *Gratia vobis & pax à Deo Patre noſtro, & Domino Jeſu Chriſto.*

Supple *multiplicetur à Deo Patre noſtro*, dictum propter filios adoptivos, ùt *Rom.* 1.

℣. 3. *Gratias ago Deo meo in omni memoria veſtri,*

Id eſt, quoties veſtri recordor.

℣. 4. *Semper in cunctis orationibus meis pro omnibus vobis, cum gaudio deprecationem faciens,*

Quoties ſubit memoria veſtri, hoc eſt *ſemper, in omni oratione mea*, gratias ago Deo meo de omnibus vobis.

℣. 5. *Super communicatione veſtra in Evangelio Chriſti à prima die uſque nunc.*

Gaudeo & gratias ago Deo, de eo quòd ſitis facti participes *Evangelii Chriſti*, nimirùm credendo & fidem operibus exercendo, idque perſeveranter *ab initio* quo credere cœpiſtis *uſque* in hunc diem, ita ut nec pſeudoapoſtolis aurem accommodaveritis, nec ad priſtinam Gentilitatem relapſi, nec perſecutionibus turbati fueritis, ita *Thom.*, *Cajet.*, aliique Latini. Græci verò hoc modo: gaudeo & gratias ago quòd communicaveritis id eſt, ſubſidium contuleritis ad Evangelium Chriſti prædicandum & propagandum, videlicet miniſtris ejus & mihi in primis ſuppeditando vitæ neceſſaria, nec id tantùm ſemel, aut iterùm, ſed continuò ab eo tempore quo recepiſtis Evangelium, uſque nunc, quando mihi in vinculis conſtituto neceſſaria per Epaphroditum miſiſtis. Senſum hunc pulchrè (ait *Eſtius*) exponunt *Chryſ.* & *Theop.*; eumque omninò poſtulare videtur græca lectio, & conſuetudo Apoſtoli qui paſſim ſubventionem hujuſmodi vocat *communicationem* ut 2. ad *Cor.* c. 8. ℣. 4. & c. 9. ℣. 13., ad *Rom.* 12. ℣. 13., ad *Gal.* 6. ℣. 6., ad *Phil.* 4. ℣. 1. ad *Tim.* 6. ℣. 18., & ad *Heb.* 13. ℣. 16.

℣. 6. *Confidens hoc ipſum, quia qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet uſque in diem Chriſti Jeſu.*

Confidens, Græcè, *perſuaſum habens*; quâ

voce græcâ Apoſtolus interdum utitur pro eo quod certâ fide perſuaſum eſt: & etiam aliquando, tantùm pro morali certitudine. Qui de omnimoda certitudine hìc accipiendum putat, is conformiter intelligat, Apoſtolum hoc ſpecialiter de electis dicere: ùt dictum eſt 1. *Cor.* 1. ℣. 8. Unde malè ex græca lectione hæretici colligunt, Deum omnibus quibus dedit initium, etiam dare perſeverantiam. Loquitur autem Apoſtolus vel ſpecialiter de *opere bono*, cujus proximè mentionem fecerat, ſcilicet de *communicatione in Evangelio Chriſti:* Vel ùt à ſpecie ad genus tranſiens, de bona converſatione generaliter. *Uſque in Diem Chriſti*, per quem more ſuo intelligit diem adventûs Chriſti in judicium: perſeverat autem in illum *diem*, quicumque perſeverat ad mortem ſuam. Non dixit *confidens*, vos quia cœpiſtis bonum opus, etiam illud perfecturos; quod utique verè dicere poterat: ſed gratiam Dei commendare volens, dixit *confidens .... quia qui cœpit* &c. oſtendens ab initio uſque ad finem *opus bonum* totum, totamque ſanctam converſationem eſſe à Deo in nobis operante: uti etiam ex hoc loco docet *S. Aug. lib. de corr.* & *grat.* c. 6., & *l.* 2. *cont.* 2. *Epiſt. Pel.* c. 8. Hunc locum etiam citant Patres *Con. Trid. Seſſ.* 6. c. 13. adjungentes. *Niſi ipſi homines illius gratiæ defuerint*; contra perverſam hæreticorum interpretationem ſuprà allegatam: tametſi hoc ipſum, *non deeſſe gratiæ Dei*, procul dubio ejuſdem gratiæ beneficium ſit, utpote pertinens ad ipſius *perſeverantiæ* donum: uti Patres illi ſignificatum voluerunt, per hoc quod ſubjungunt, *ita perficiet*, ſcilicet Deus, *operans velle & perficere*: ex *Eſtio*.

℣. 7. *Sicut eſt mihi juſtum hoc ſentire pro omnibus vobis : eò quòd habeam vos in corde, & in vinculis meis, & in defenſione, & confirmatione Evangelii, ſocios gaudii mei omnes vos eſſe.*

Pro omnibus vobis, id eſt, de congregatione veſtra, de veſtra Philippenſium Eccleſia, q. d. *juſta* ratio mihi perſuadet, ut ita de vobis ſentiam, & confidam : vel *juſtas* habeo rationes cur vos reputem inter electos, de quibus certus ſum quòd Deus perficiet in eis quod cœpit. Ratio ſequitur in his verbis : *eò quòd habeo vos in corde*, ſeu gratam veſtri memoriam habeo, *& in vinculis meis*, & *in defenſione* ſuâ ſcilicet, juxta *Chryſ.* & *Theop.*, quâ apud Neronem pro ſe cauſam dixit : de qua 2. *Tim.* 4. ℣. 16. ; addit *& in confirmatione Evangelii*, vel quòd etiam *in vinculis* Evangelii docendi & confirmandi occaſiones non negligeret ; vel potiùs quòd neceſſariò conjunctæ eſſent, *defenſio* ſui & *confirmatio* Evangelii, ùt ex *Actis Apoſt.* liquet *cap.* 24. 25. & 26. Significat ergo Apoſtolus, ſibi in omnibus quæ pateretur & ageret cauſâ Evangelii, Philippenſes tamquam chariſſimos, animo obverſari : ùt qui *Gaudii*, ſive, ùt ex græcis patet, *gratiæ* ipſius *ſocii* eſſent : vel quatenùs ſimilia patiebantur, ſicut in fine capitis dicitur ; vel quia Paulo neceſſaria ſubminiſtrando participes meritorum ejus efficiebantur : juxta *Matth.* 10. ℣. 41. *Gratiam* autem paſſiones ſuas vocat, quia pati pro Chriſto magna eſt gratia, de qua ipſis *hoc cap.* ℣. 29. congratulatur. Latini autem *gaudium* vocant eaſdem paſſiones, id eſt, gaudii materiam : juxta illud *Act.* 5. *Ibant enim Apoſtoli gaudentes à conſpectu concilii, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Jeſu contumeliam pati.*

℣. 8. *Teſtis enim mihi eſt Deus, quomodo cupiam omnes vos in viſceribus Jeſu Chriſti.*

Confirmat juramento ſuum erga Philippenſes affectum, non carnalem, ſed Chriſtianum: ut ad *Rom.* 1. ℣. 9.

℣. 9. *Et hoc oro ut charitas veſtra magis ac magis abundet in ſcientia, & in omni ſenſu:*

Et hoc inquit, Deum *oro ut charitas veſtra* quam benefaciendo declaratis, adhuc magis ac magis exuberet per bona opera, idque ſecundùm ſcientiam Chriſtianam & cum exacto dictamine rectæ rationis.

℣. 10. *Ut probetis potiora, ut ſitis ſinceri, & ſinè offenſa in diem Chriſti,*

Nam hoc pertinet ad rectum mentis judicium in actionibus *probare*, hoc eſt, eligere & amplecti *meliora*, ut *ſinceram* & erectam habentes intentionem coram Deo, in bonis veſtris operibus & coram hominibus tales vos exhibeatis, ut nemini ſitis *offendiculo*, & hoc totum perſeveranter, uſque *in diem* adventûs *Chriſti* Domini: *vel ut ſitis ſinceri* abſque permixtione pravi dogmatis, quo prætextu charitatis poſſitis infici. *Sitis* etiam *ſinè offendiculo* quoad proximos, ut quamvis te fortè non lædat familiaritas hominis hæretici, vitandus tamen tibi ſit, ne frater ſcandalizetur, ita Græci.

℣. 11. *Repleti fructu juſtitiæ per Jeſum Chriſtum, in gloriam & laudem Dei.*

Repleti, id eſt, pleni bonis operibus quæ non habentur niſi per Chriſtum. *Joan.* 15. ℣. 5. Rectè enim bona opera *fructus juſtitiæ* vocantur: *fructus* quidem, quia delectationem pariter & ſa-

lutem aſſerunt operantibus, *juſtitiæ* verò tanquam arboris, à qua procedunt; ita *Chryſ.* & *Theoph.*; licèt ſpecialiter de uno fructu loquantur, qui eſt eleëmoſyna, quæ juſtitia vocatur, *Mat.* 6. ℣. 1. Fructum ergo juſtitiæ *Paulus* vocat; actualem juſtitiam, quæ in bonis operibus conſiſtit, q. d., non ut vos glorificemini, aut ego in vobis, ſed ut per ea laudetur & glorificetur Deus, ùt *Mat.* 6.

℣. 12. *Scire autem vos volo fratres, quia quæ circa me ſunt, magìs ad profectum venerunt Evangelii:*

Volo vos ſcire quòd ea quæ *circa me* geruntur, quæque mihi acciderunt, id eſt captivitas & vincula mea, adeò non officiunt Evangelio, ut potiùs ceſſerint ad illius profectum in quo eos conſolatur, ùt notat *Hier.*

℣. 13. *Ita ut vincula mea manifeſta fierent in Chriſto in omni prætorio, & in cæteris omnibus;*

Modum exponit quo *vincula* ipſius Evangelium promoverint, ut ſit ſenſus. *Ita ut in toto prætorio*, id eſt, per totam Aulam Cæſaris *manifeſtum* factum ſit, me Chriſti cauſâ vinctum eſſe: ex *Chryſ.* Quæ res non ſolùm effecit, ùt rumor Evangelii ad omnes Aulicos perveniret, verùm etiam occaſionem illis obtulit, & paſſim *omnibus* per totam urbem inquirendi quod & quale eſſet hoc Evangelium.

℣. 14. *Et plures è fratribus in Domino confidentes vinculis meis, abundantiùs auderent ſinè timore verbum Dei loqui.*

Et *ut* multi *fratrum in Domino*, id eſt, Chriſtianorum ſumptâ ex vinculis meis fiduciâ, magis etiam quàm antè, fuerint auſi intrepidè

loqui verbum; id eſt Evangelium annunciare, quia videbant, *Pauli* captivitatem & vincula cedere ad profectum Evangelii; ex hoc enim ſucceſſu magis animabantur ad loquendum verbum Evangelii: ex *Chryſ.*

℣. 15. *Quidam quidem & propter invidiam, & contentionem: quidam autem, & propter bonam voluntatem Chriſtum prædicant:*

Erant nonnulli qui videntes *Pauli* in Evangelio ſucceſſum, etiam in ea urbe quæ caput erat mundi, gloriæ ejus invidebant, ut Evangelii Romam invecti laudem ad ſe transferrent: vel ut Neronem magis ad iram incenderent, ut confeſtim *Paulum* de medio tollerent; ex *Theoph.* Itaque Chriſtum prædicabant non ſtudio ſalutis hominum; ſed per *invidiam* reſiſtentes gloriæ *Pauli*, per *contentionem* verò quâ ſuam quærebant gloriam. Hos autem veriſimile eſt Judæos fuiſſe. *Cajetanus* contentionem refert ad diſparitatem doctrinæ; putat enim hos unà cum Chriſto legalia ſervanda prædicaſſe, idque contentione quâdam contra *Paulum*, qui legem docebat abolitam: quem *Cajetani* commentarium *Eſtius* improbat; *Quidam* prædicabant ex benigna ac propenſa *voluntate*, quâ hominum ſalutem deſiderabant, ſinè hypocriſi, ùt ait *Chryſ.*

℣. 16. *Quidam ex charitate, ſcientes quoniam in defenſionem Evangelii poſitus ſum.*

Ex charitate ducti, quâ cùm erga Chriſtum, tum erga me afficiuntur, prædicant, cùm ſciant, me propter Chriſtum & Evangelium ejus in vinculis teneri, ideòque per urbem Evangelium prædicare non poſſe: vel *ex charitate* quâ

quærunt hominum ſalutem, ſupplent hoc meum impedimentum ſuâ prædicatione : vel *ſcientes* quòd Evangelii mihi reddenda ſit ratio apud Deum *à quo poſitus ſum*, id eſt, miſſus Evangelium prædicare, ita Græci, ùt 2. *Tim.* 1. ℣. 11.

℣. 17. *Quidam autem ex contentione Chriſtum annunciant non ſincerè, exiſtimantes preſſuram ſe ſuſcitare vinculis meis.*

Alii *ex contentione Chriſtum* prædicant gloriæ ſuæ ſtudentes, meque deprimere conantes; non autem ex pura & recta intentione. *Exiſtimantes* ſe mihi vincto *preſſuram* ſive afflictionem inferre, ſeu *vinculis meis* (quæ una afflictio eſt) aliam ſuperaddere afflictionem, nempe per prædicationem Evangelii Cæſarem ampliùs adverſùm me exacerbando, à quo propter Chriſtum & Evangelium teneor in vinculis; vel certè graviùs odium Judæorum infidelium, qui ſunt accuſatores mei, adverſùm me concitando: vel, cùm me ſibi ſimilem putent, hoc eſt, gloriæ cupidum, exiſtimant ſe preſſuram addere vinculis meis, id eſt, ſupra afflictionem carceris & captivitatis hujus etiam hoc malum & hanc preſſuram ſuperinducere, quòd ſplendore gloriæ ſuæ, quam ex Evangelio quærunt, me urant & dolorem & tormentum animo meo adferant, velut qui gloriæ ipſorum invideam. Qua tamen in re vehementer falluntur, cùm ego contrà ex animo gaudeam quocumque modo Chriſtus annuncietur, dummodò fructus Evangelii ad quamplurimos perveniat; hic ſenſus valde congruit ingenio æmulorum *Pauli*, de quibus hic & 2. *Cor.* c. 2. & 4. loquitur : ita *Eſtius*.

℣. 18. *Quid enim? Dum omni modo ſive per occaſionem, ſive per veritatem Chriſtus annuncietur & in hoc gaudeo, ſed & gaudebo.*

Quid multa? aut *quid mihi* hæc curæ ſunt? utrùm ſic fiant, vel aliter divulgetur & creſcat Evangelium Chriſti, quocumque modo, animo & ſtudio fiat: *ſive per occaſionem*, hoc eſt, aliud ſpectantes ad quod eis hujuſmodi prædicatio conducat, nempe gloriam ſuam; *ſive veritate*, hoc eſt, animi rectitudine, ſincerè *Chriſtus annuncietur*; veritas ergo non opponitur hìc falſæ doctrinæ, ſed ſimulationi & perverſæ intentioni. *Et in hoc gaudeo*, ſcilicet quòd *Chriſtus annuncietur*, ſic & de mercenariis paſtoribus gaudendum, quia ſatiùs eſt mercenarium habere paſtorem quàm nullum, ex *Eſtio.*

℣. 19. *Scio enim quia hoc mihi proveniet ad ſalutem, per veſtram orationem, & ſubminiſtrationem Spiritûs Jeſu Chriſti,*

Illi Chriſtum prædicant exiſtimantes per hoc ſe preſſuram ſuſcitare vinculis meis; at multò ſecùs eveniet, *ſcio enim* quòd *hoc*, ſcilicet ab illis prædicari Chriſtum ex odio & livore, *mihi cedet ad ſalutem* ſive me liberari contingat, ſive non: *Ad ſalutem*, inquam, hoc eſt ad bonum meum ſpirituale in futuro ſæculo, & etiam in præſenti, nam ea res augebit gloriam meam, quam illi obſcurare conantur; *per veſtras orationes* ad Deum quas proinde pro me fieri peto, ut *Jeſus Chriſtus* mihi *ſpiritum ſuum ſubminiſtret*, qui faciat mihi illud ad ſalutem provenire.

℣. 20. *Secundùm expectationem & ſpem meam, quia in nullo confundar: ſed in omni fiducia ſicut ſemper, & nunc magnificabitur Chriſtus in corpore meo, ſive per vitam, ſive per mortem.*

Prima pars hujus verſûs pendet ab illa, quâ dixerat, ℣. 19. quia hoc mihi proveniet ad ſalutem, *ſecundùm expectationem & ſpem meam*, id eſt, prout expecto & ſpero. Vox græca quam Interpres expectationem vertit, eadem eſt quâ uſus eſt Apoſtolus *Rom.* 8. ℣. 10., & ſignificat intenſam & vehementem expectationem: ex *Theop.* Ita ſpero, inquit, & certè *in nullo* ſeu nulla ex parte *confundar*, id eſt, pudefiam ab expectatione & ſpe mea, ſed integrè conſequar rem ſperatam. *Sed in omni fiducia*, id eſt, liberè & intrepidè verſor in Evangelio propagando, *ſicut ſemper* ex quo factus ſum Apoſtolus, ita *& nunc*, me vinculis alligato *glorificabitur Chriſtus in corpore meo*, ſeu vivere contingat ſeu mori. Nam ſi ſupervixero, corpus meum ſicut antè, *impendam* obſequio Chriſti: ſi verò mortem inferat perſecutor, corpus meum exhibebo hoſtiam Chriſto; ut *Cap. ſeq.* ℣. 17. & 2. ad *Tim.* c. 4. ℣. 6.; utrovis autem modo proveniet mihi ſalus, & gloria etiam apud homines: ſimilia *Chryſ.*

℣. 21. *Mihi enim vivere Chriſtus eſt, & mori lucrum.*

Oſtendit, ſeu vitam, ſeu mortem ſibi ceſſuram ad ſalutem. Nam, inquit, vita mea *Chriſtus eſt*, id eſt, vitam meam Chriſto & Evangelio conſecravi: Et mors *lucrum* mihi eſt, id eſt, mortem pro lucro deputo, per eam enim conſequar, ut ſim cum Chriſto: quod maximè verum, ſi mors ſit illata pro Chriſto: & generaliter mors juſtis eſt tranſitus ad

vitam; ex *Ambroſiano lib. de bono mortis*; licèt eam non ſtatim omnes conſequantur, ut qui purgandum aliquid ſecum habent, ex *Chryſ.* qui affirmat inter alia ſancitum eſſe ab Apoſtolis, ut in celebratione myſteriorum memoria fiat defunctorum: ita *Eſtius.*

℣. 22. *Quòd ſi vivere in carne, hic mihi fructus operis eſt, & quid eligam ignoro.*

Quòd ſi contingat adhuc permanere in vita hac mortali, ea res cedet mihi ad *fructum operis*, ſeu laboris, quem adhuc Evangelii cauſâ ſubiturus ſum, q.d. ſi ſupervixero, multos adhuc opere prædicationis ſum lucrifacturus Chriſto: vel ſi permanere in vita hac mortali mihi ceſſurum ſit *ad fructum operis*, dum labore prædicationis multos adduco ad Chriſtum: *Et quid eligam ignoro*, id eſt, adeò præſens meum commodum, quod ex morte expecto, non præfero ſaluti proximorum, ut etiam dubitem utrum è duobus *eligam*, vivere an mori; ita Græci.

℣. 23. *Coarctor autem è duobus: deſiderium habens diſſolvi, & eſſe cum Chriſto, multò magis melius:*

Coarctor, id eſt diſtineor ac trahor in diverſa; hinc deſiderio Chriſti; illinc amore fratrum quibus vita mea in carne adhuc eſt neceſſaria. Non dicit mori, ſed *diſſolvi*, ut ſignificet mortem hominis non eſſe interitum animæ, ſed partium permanentium, id eſt, corporis & animæ diſſolutionem, quæ tamen per ſe *Paulo* non erat expetenda, ſed propter illud conſequens, *eſſe cum Chriſto*, ùt 2. *Cor.* 5. ℣. 8; ad quod ſinè morte media veniri non poterat. Ex hoc clarè oſtenditur, animas ſanctorum ſtatim poſt mortem eſſe cum Chriſto, ùt *Apoc.* 20.

℣. 4. & frui beatâ Dei viſione contra Ana
ex *Chryſoſt. Theoph. Multò magis mel*
q. d. infinitis partibus *melius* quàm perma
in carne, ut hoc illius reſpectu ne deſid
dum quidem ſit. Sed quomodo *Paulus* hic
lutè dicit, *Multò magis melius* eſſe cum C
ſto, ubi ſuprà dixit, ſe coarctari duobu
ignorare quid eligat? ℟. Per ſe melius
eſt cum Chriſto eſſe, quàm in terris v
abſentem à Chriſto; ſed hoc illo melius
poterat ſecundùm quod vita *Pauli* eſſet a
allatura maximam utilitatem Eccleſiæ Ch
dum interim lucrum vitæ æternæ, ſuo te
re percipiendum, ei integrum maneret: ita *E*

℣. 24. *Permanere autem in carne ceſſarium propter vos.*

Non dicit minùs bonum eſt, ac proinde
nùs deſiderabile; ſed quaſi nec bonum ſit
deſiderabile, dicit *neceſſarium propter vos*
eſt, propter veſtram & aliorum fidelium
tem. Quis athleta cupiet ampliùs certare,
jam liceat coronari, ait *Chryſ.*

℣. 25. *Et hoc confidens ſcio quia nebo, & permanebo omnibus vobis profectum veſtrum, & gaudium fid*

Quod propter vos neceſſarium eſſe dux
etiam futurum ſpero. Nam omninò mihi
ſuadeo, confido, & ſcio me manſurum a
in vita & cum omnibus vobis permanſu
ut proficiatis, & ut de veſtrâ invicem fide
deamus.

℣. 26. *Ut gratulatio veſtra abu in Chriſto Jeſu in me, per meum ventum iterùm ad vos.*

Gratulatio, græcè, gloriatio, ut ſenſu
u cùm liberatus & reſtitutus vobis fu
poſſitis affatim de me Apoſtolo veſtro glo

vo

vobiſque gratulari, ſic ut totam hanc gloriandi & congratulandi materiam cum gratiarum actione *Chriſto* acceptam feratis: vel ut de vobis abundantiùs glorier *in Chriſto*, poſtquam ad vos reverſus fuero, ac videro quantùm in Chriſto profeceritis, ùt 1. *Cor.* 15. ℣. 31. Scit autem ſe reverſurum, non ex revelatione, ſed ex humana & valdè probabili conjectura, quæ moralem certitudinem facit. Et hoc quod ſic ſe ſcire dicit, impletum fuiſſe, ait *Chryſ.*, qui hanc Epiſtolam putat ſcriptam eſſe è prioribus vinculis. Alii impletum ſimpliciter negant. De qua difficultate vide *Eſtium*.

℣. 27. *Tantùm dignè Evangelio Chriſti converſamini: ut ſive cùm venero, & videro vos, ſive abſens audiam de vobis quia ſtatis in uno ſpiritu unanimes, collaborantes fidei Evangelii:*

De me, inquit, ne ſitis ſolliciti, *tantùm* hoc curate, ut vita veſtra Evangelio reſpondeat, ut Evangelium ex veſtra converſatione honoretur, ut ſive præſens ſim, *ſive abſens, de vobis audiam* quòd perſeveretis *in uno ſpiritu*, id eſt, concordes maximè in doctrina, quòdque ſitis uno animo & ſtudio *collaborantes*, Græcè *concertantes*, id eſt, unà nobiſcum certantes, vel vos mutuò adjuvantes in certamine pro *fide Evangelii*; ita *Theop.*

℣. 28. *Et in nullo terreamini ab adverſariis: quæ illis eſt cauſa perditionis, vobis autem ſalutis, & hoc à Deo:*

Ab adverſariis ſive infidelibus Chriſti fidem apertè perſequentibus; ſive Judaïzantibus hæreticis veritatem fidei corrumpere nitentibus, quòd vos terrent & affligunt, quòd vos perſe-

quuntur propter fidem Evangelii, *perditionis illis cauſa eſt, vobis ſalutis: Et hoc* Dei gratiâ.

℣. 29. *Quia vobis donatum eſt pro Chriſto, non ſolùm ut in eum credatis, ſed ut etiam pro illo patiamini:*

Et hoc, inquam, Dei gratiâ, *quia vobis* dedit non ſolùm *pro Chriſto*, credere, ſed ut pati pro eo poſſitis: vel *Chriſto*, ſeu per meritum Chriſti *donatum eſt*, &c. Gratuitum enim munus eſt ac majoris admirationis, quàm ſit reverà mortuos excitare, & ſigna miranda patrare: Nam illic quidem debitor ſum, hîc verò debitorem habeo Chriſtum, inquit *Chryſoſt.*

℣. 30. *Idem certamen habentes, quale & vidiſtis in me, & nunc audiſtis de me.*

Idem certamen, id eſt, eandem pro Chriſto tribulationem expectantes, *qualem me* ſuſtinere *vidiſtis & audiſtis*: ita *Gaig.*; vel in eodem certamine mecum conſtituti eſtis, ſimilia paſſi, qualia me patientem vidiſtis, cùm apud vos eſſem, *Act.* 16. ℣. 19. & *ſeq.* 1. *Theſ.* 2. ℣. 2. Dicens autem, *& nunc audiſtis de me*, de romanis vinculis loquitur.

CAPUT II.

Ad concordiam, & Chriſti exemplo ad humilitatem & obedientiam hortatur. Promittit ſe Timotheum ad eos miſſurum: Epaphroditum nunc mittit & commendat.

℣. 1. *Si qua ergò conſolatio in Chriſto, ſi quod ſolatium charitatis, ſi qua ſocietas ſpiritûs, ſi qua viſcera miſerationis:*

SI vultis mihi vincto & afflicto aliquam afferre *conſolationem in Chriſto*, id eſt, in negotio Chriſti cujus ego ſum Apoſtolus; Si mecum aliquam *Spiritûs* ſancti communicationem accepiſtis: ſi mecum eſtis unus ſpiritus per conſenſum, & charitatem: ſi vultis aliquam erga me miſericordiam oſtendere.

℣. 2. *Implete gaudium meum ut idem ſapiatis, eamdem charitatem habentes, unanimes, idipſum ſentientes,*

Implete ac perficite *gaudium meum* quod ex præclaris veſtræ converſationis initiis jam dudum concepi; ad quod requirit *ut idem ſapiatis*, perinde ſentiatis, nec ſint in vobis ſchiſmata: vel non ſitis diviſi affectionibus & opinionibus, ita *Gaig.*

℣. 3. *Nihil per contentionem, neque per inanem gloriam: ſed in humilitate ſuperiores ſibi invicem arbitrantes,*

Contentionem, Græcè, *diſſentiones* ùt 2. *Cor.* 12 ℣. 20.; & eadem vox græca ad *Gal.* 5. ℣. 20 *rixæ* vertitur: ſignificat verò *contentionem*, id eſt, eam verborum pugnam & concertationem quæ non veritatis aut juſtitiæ, ſed gloriæ ſtudio ſuſcipitur, ex *Theoph.* *Sed in humilitate* id eſt, nolite inflari & extolli, ſed unuſquiſque alterum præſtantiorem ſe exiſtimet, & ex *humilitate ſuperiorem* & meliorem, ùt *Luc.* 14 ℣. 10. Et cùm humilitas in mendacio non conſiſtat, intelligendum eſt verè & ex animo, quantumcumque in virtutibus profecerit, aut profeciſſe ſe putet; ita *Aug. lib.* 83. *qq.* q. 71., *de Virg. cap.* 43.; & *Greg. hom.* 10. *in Ezech.* & *hom.* 7. *in Evangelia*, & *Thom. in comm.*

℣. 4. *Non quæ ſua ſunt ſinguli conſiderantes, ſed ea quæ aliorum.*

℣. 5. *Hoc enim ſentite in vobis, quod & in Chriſto Jeſu:*

Non quæ ſua ſunt, Græcè, non tam propriæ utilitati conſulentes quàm alienæ, ùt 1. *Cor.* c. 10 ℣. 24. & c. 13. ℣. 5. *Hoc ſentite in vobis*, id eſt, ſic afficiamini erga vos quo modo ſibi affectus eſt *Chriſtus*, qui nequaquam ſuis commodis ſtudens, ſed patris gloriam, & noſtram quærens utilitatem exinanivit ſemetipſum: ſicque imitandum proponit, tam in eo quod præceperat de humilitate erga omnes ſervanda, quàm de ſalute proximorum anteponenda privatis commodis, ùt *Rom.* 15. ℣. 3., 1. 2. *Cor.* 8., ℣. 9.

℣. 6. *Qui cùm in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo:*

Qui cùm eſſet, ac ſit naturâ *Deus* in eadem cum Patre ſubſtantia, non exiſtimavit *Dei æqualitatem* ſibi *eſſe rapinam*, non rem alienam ex rapto uſurpatam, ut propter hoc tantoperè ſe humiliaverit, velut agnoſcens uſurpaſſe aliquid non ſuum, quod humiliando ſe deponere voluerit: vel tanquam rem rapinâ acceptam celare, q. d. Non hæc eſt cauſa humilitatis Chriſti, quippè qui non uſurpativè, ſed verè Deus eſſet. Non idcircò celavit tandiu divinitatem, ita *Photius*. *Formam* Apoſtolus hîc accepit pro natura.

℣. 7. *Sed ſemetipſum exinanivit formam ſervi accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ùt homo.*

Semetipſum, q. d. non alienum depoſuit, *ſed ſemetipſum*, qui verus erat Deus, ad imum uſque dejecit, ac divinitatem quodammodò exuit, ex *Aug. lib. 2. cont. Maxim. cap.* 5., per hoc quòd *formam ſervi* ſuſcepit, naturam videlicet humanam, quæ utique reſpectu Dei totius creaturæ Domini ſervilis eſt, undè & propter naturam aſſumptam *ſervus* vocatur, *Iſa.* 42. ℣. 1. *Mat.* 12. ℣. 18. *Ezech.* 34. ℣. 23. *Zachar.* 3. ℣. 3. *Act.* 4. ℣. 27. *Factus* hominibus *ſimilis*, quia factus eſt verus homo; ſicut æqualis eſt Deo, quia verus eſt Deus: vel *ſimilis* factus aliis hominibus, non autem unus ex illis, quia non fuit homo purus, aut peccator, ùt *Rom.* 8. ℣. 3. *Et habitu inventus ùt homo*, quia ſecundùm figuram & ſpeciem exteriorem oculis hominum expoſitam *inventus* eſt *ùt homo*, id eſt, agnitus eſt verus homo, ita ſimilis ut verus eſſet

homo ſicut *Joan.* 1. ℣. 14. dicitur, *quaſi unigeniti*, cùm ùt patet ex ℣. 18. verè eſſet unigenitus: ex *Theoph.*

℣. 8. *Humiliavit ſemetipſum factus obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis.*

Non ſolùm cùm Deus eſſet, naturam aſſumpſit humanam, verùm etiam in ea vehementer *humiliavit ſe* atque dejecit, utpotè *factus obediens* patri uſque ad perpeſſionem *mortis crucis*, quæ contumelioſior & acerbior erat, aït *Anſel.*

℣. 9. *Propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen:*

Cujus tantæ humilitatis & obedientiæ merito viciſſim *Deus exaltavit*, vel ùt Græcè, *ſuperexaltavit illum*, id eſt, in ſummam extulit ſublimitatem; nam præter gloriam reſurrectionis, *donavit illi nomen*; &c. Qui locus docet, Chriſtum per paſſionem & crucem ſuam non nobis tantùm, ſed & ſibi meruiſſe, (contra *Calvin.*) ùt *Apoc.* 5. ℣. 12. *Heb.* 2. ℣. 9. *Iſa.* 53. ℣. 11. *Nomen* intelligit Dei, aut filii Dei, de quo *Iſa.* 7. ℣. 14. *Mat.* 1. ℣. 21. *Heb.* 1. ℣. 4. non *nomen* Jeſu, nam illud multò ante exaltationem & impoſitum ei fuit & ab hominibus agnitum & aliis commune. Hoc enim eſt nomen quod infinitè ſuperat aliud nomen. Dicitur autem Deus hoc *nomen* ei donaſſe, quando rem nominis fecit innoteſcere, ſcilicet poſt reſurrectionem & aſcenſionem in Cœlum: tunc enim cœpit agnoſci verus Dei filius, veruſque Deus, & ùt talis honorari ac glorificari; ita Græci. Alii per *nomen quod eſt ſuper omne nomen* intelligunt famam, gloriam, ac celebritatem nominis excellentiorem gloriâ cujuſque

alterius; ſed eodem recidit, nam illa gloria eſt fama divinitatis ejus.

℣. 10. *Ut in nomine Jeſu omne genu flectatur cœleſtium, terreſtrium, & infernorum;*

Adeò *ut* omnes quicumque uſquam ſunt, cognoſcentes hominem illum qui Jeſus vocatur, eſſe Dei filium ac verum Deum, ſeſe illi tanquam Deo & omnium Domino ſubmittant & eum adorent. Unde in hujus rei proteſtationem quandam, veteri more Chriſtianorum, ſoli nomini Jeſu quando nominatur, reverentia fit, teſte *S. Vincentio ſer.* 2. *Dom.* 18. *poſt Trin. Cœleſtes* ſunt Angeli & animæ beatæ, *Terreſtres* homines in terris, *Inferni* ſunt animæ quæ in infernis locis purgantur, quas conſtat cum omni humilitate genu flectere, ita *Innocent. ſer.* 1. *de omnibus Sanctis* & *Aug. in Pſ.* 103. probabilem hunc intellectum facere videtur *Apoc.* c. 5. ℣. 13.; Nulli enim alii ſub terra videntur, qui benedicant Deum. Communior tamen expoſitio per inferos intelligit dæmones & cæteros damnatos, quorum ſupplicii locus *infernus* eſt, ſed ſubjectio, genuflexionis nomine, ſignificata intelligitur generaliter, quâ nimirùm qui alicui ſubjicitur ſive libenter & ſpontaneè, ſive coactè, quatenùs ita ſubjectus eſt, ut reſiſtere non poſſit, qui modus dæmonibus & damnatis competit, ùt *Rom.* 14. ℣. 11. & *Pſ.* 109. ℣. 2. 1. *Cor.* 15. ℣. 25. *Pſ.* 7. ℣. 9. *Jac.* 2. ℣. 19. Ut omnes ſimul hominem adorent cum verbo aſſumptum, ait *Hier.*

℣. 11. *Et omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jeſus Chriſtus in gloria eſt Dei Patris.*

Hæc confeſſio partim ſpontanea eſt, partim ab invitis malevolis extorta; nam *omnis lingua*

intelligitur *cæleſtium*, *terreſtrium*, & *infernorum*, ut ſenſus ſit: & omnes confiteantur Dominum Jeſum Chriſtum habere eandem gloriam cum Patre, utpotè quem agnoſcant verum Deum Patri æqualem, ùt *Joan.* 5. ℣. 23. Vel omnes *confiteantur* Jeſum Chriſtum eſſe Dominum, quæ ejus dignitas & dignitatis cognitio cedit ad gloriam Dei Patris, quia *gloria Patris* eſt exaltatio filii, ita *Cajet.*

℣. 12. *Itaque chariſſimi mei, (ſicut ſemper obediſtis) non ut in præſentia mei tantùm, ſed multò magis nunc in abſentia mea, cùm metu & tremore veſtram ſalutem operamini.*

Hortatur ut ſicut ſemper ex quo fideles eſſe cœperunt, exemplo Chriſti obedientes ſe præſtiterunt Dei præceptis ab Apoſtolo traditis, ita faciant deinceps, ſi gloriæ Chriſti participes fieri volunt. Et ſenſus eſt, itaque fratres dilecti, *ſicut ſemper obediſtis*, id eſt quod hactenùs feciſtis *operamini ſalutem veſtram cum metu & tremore*: non tantùm ſicut me præſente feciſtis aut facere ſoletis, *ſed nunc multò magis* me abſente: ſic enim vos oſtendetis facere ex animo, propter Deum & non ſerviliter, quaſi nobis placere ſtudentes; *cum metu & tremore*, id eſt, magna cum humilitate & ſolicitudine, ùt 1. *Cor.* 2. ℣. 3., 2. *Cor.* 7. ℣. 15. *Eph.* 6. ℣. 5. *Pſ.* 2. ℣. 11.; quod deſtruit inanem ſalutis certitudinem & ſecuritatem hæreticorum; ex *Eſtio*.

℣. 13. *Deus eſt enim, qui operatur in vobis & velle & perficere, pro bona voluntate.*

Perficere, græcè, ἐνεργεῖν. operari, idem ſcilicet verbum quod priori loco dixit, *qui ope-*

ratur. Et ſic paſſim legit S. Aug.; nominatim, *lib. de grat. Chriſ.*, docens eam græcis codicibus eſſe conſentaneam lectionem. Igitur *perficere* non dicitur reſpectu operis alicujus præcedentis cui perfectio deſit, ſed reſpectu ejus quod eſt *velle*, ut *perficere* ſit facere ſeu exequi quod volebas. Multi enim habent *velle* qui per infirmitatem non habent facere ſeu *operari*: ut Petrus quando dixit, *Non te negabo*. Senſum autem Apoſtoli verum & Catholicum, ait *Eſtius*, dicimus eum quem ipſa verba liquidò præ ſe ferunt, quemque *Aug.*, *Thomas*, aliique Patres tam græci quàm latini ſuis in ſcriptis & commentariis expreſſerunt: ſcilicet, Deum in hominibus *efficaciter* per gratiam ſuam *operari* hoc quod eſt *velle* bonum ſalutare, & hoc quod eſt, id ipſum *perficere* ſeu *operari* & exequi, ita ut bonum ſalutare ab initio ad finem ſit à gratia. Dico *efficaciter*, tum quia omnis operatio Dei efficax eſt, tum quia poſtulat hoc græcum Apoſtoli participium, ὁ ἐνεργῶν, id eſt, *efficaciter agens*. Unde manifeſtus eſt hic locus & irrefragabilis contra Pelagianos pro efficaci Dei gratia; quemadmodùm id quod præcedit, *ſalutem veſtram operamini*, palàm facit contra Lutheranos pro libero hominis arbitrio. Unde *B. Aug. l. de dono perſev.* c. 13. citatis hujus loci verbis: *Nos ergo volumus*, inquit, *ſed Deus in nobis operatur & Velle. Nos ergo operamur, ſed Deus in nobis operatur & operari.* Quæri poteſt quomodò per hæc verba Apoſtolus confirmet exhortationem præcedentem, *cum metu & tremore* &c. ℞. Optimè illud intelligi videtur ex *Pſal.* 2. ad quem *Paulus* ℣. 12. reſpexit. Cùm enim dixiſſet *Pſalmiſta*, *ſervite Domino in timore* &c. ſubjunxit, *Ne quando iraſcatur Dominus & pereatis de via juſta*: ſcilicet Domino gratiam ſubtrahente. *Hæc* igi-

tur *ſanctis* cauſa eſt *tremendi atque metuendi*; inquit *Leo Serm.* 8. *de Epiph. Dom.*, *ne ipſis operibus pietatis elati, deſerantur ope gratiæ, & remaneant in infirmitate.* Idem eſt igitur ac ſi *Paulus* dicat: Hortor ut cum metu & tremore ſalutem operemini, quia nec velle nec operari conſiſtit in veſtris viribus, ſed Deus eſt qui per ſuam gratiam utrumque operatur. Hæc *Cajetani* connectio eſt, eaque valdè probabilis. *Pro bona voluntate* non hominis, quaſi ſenſus ſit, *velle & perficere* pro bona veſtra voluntate, id eſt, prout viderit bonum animi veſtri propoſitum, bonamque voluntatem: ſed *pro bona voluntate Dei*, id eſt, pro divino beneplacito & propoſito, ſecundùm quod nos elegiſſe dicitur *Epheſ.* 1. ℣. 5.; ut ſenſus ſit, Deum non propter ullum meritum noſtrum, ſed pro ſuo beneplacito & gratuita voluntate bona erga nos, operari in nobis *velle & perficere*, ne quis hanc gratiam Dei operantis ex meritis ſuis ſibi provenire exiſtimet: ita ferè de verbo ad verbum *Eſtius*.

℣. 14. *Omnia autem facite ſinè murmurationibus, & hæſitationibus:*

Dixit ℣. 3., *nihil per contentionem neque per inanem gloriam* faciatis; nunc hortatur ut *ſinè murmure* quæ agenda ſunt, agant, nec diſceptando de iis quæ præcipiunt ſuperiores. Qui enim murmurat de præceptis, dubitat de præmiis, ait *Hier.*

℣. 15. *Ut ſitis ſinè querela, & ſimplices filii Dei, ſinè reprehenſione in medio nationis pravæ & perverſæ: inter quos lucetis ſicut luminaria in mundo,*

Ut ſitis ſinè querela, Græcè, ut nemo de vobis queri poſſit, *ſitis*, inquam, inculpati, irre-

prehenſibiles, integri, ſinceri, innoxii, ſinè fuco; quemadmodùm decet veros Dei filios; id eſt, ex Dei imitatione ducentes vitam inculpatam, & in quos non cadat reprehenſio: ita enim fiet, ut in vobis tanquam filiis glorificetur Pater veſter cœleſtis. Sentit autem eò magis inculpatos & irreprehenſibiles eſſe debere, quòd agerent inter malos qui pro animi ſui pravitate etiam benefacta criminantur, inter quos tanquam *luminaria lucere* debeant, ùt *Matth.* 5. ℣. 16. & 1. *Cor.* 14. ℣. 25. Sicut Sol & Luna illuminant mundum, ait *Hier.*

℣. 16. *Verbum vitæ continentes ad gloriam meam in die Chriſti, quia non in vacuum cucurri, neque in vacuum laboravi.*

Verbum vitæ, id eſt, lumen vivificæ fidei vobis prædicatæ in vobis habentes, conſervantes, ac retinentes: vel inter quos lucetis tanquam luminaria quædam mundi continentia lumen fidei: Priorem tamen conſtructionem ferè omnium Interpretum eſſe, ait *Eſtius. Ad gloriam*, græcè *ad gloriationem mihi in diem Chriſti.* Id eſt, ut gloriari de vobis poſſim, in quibus non fruſtrà laboravi, in diem Chriſti, qui eſt dies judicii; ex *Hier.*

℣. 17. *Sed & ſi immolor ſupra ſacrificium, & obſequium fidei veſtræ, gaudeo, & congratulor omnibus vobis.*

Si contingat me *immolari* propter vos, quos tanquam ſpiritualem hoſtiam & ſacrificium immolavi & obtuli Deo; vel ſi ſacrificium mei corporis immolo ſupra ſacrificium & obſequium fidei veſtræ; *gaudeo*, quia ad coronam pertingo, & *congratulor*, græcè, *congaudeo omnibus vobis*, qui & ipſi per fidem efficimini ſa-

crificium Deo, ex *Eſtio*: vel *congratulor*, id eſt, ſimul gratias ago omnibus vobis, quia eſtis mihi cauſa mortis quâ vitam ingredior, ex *Anſ.* & *Gaig.* *Supra ſacrificium* & *obſequium*, græcè, *ſuper ſacrificio & miniſterio fidei veſtræ*; & quidem vox græca λειτουργία, ſignificat miniſterium ſacrum.

℣. 18. *Idipſum autem & vos gaudete, & congratulamini mihi.*

Ob *idipſum*, quod dixi, immolari me, non ſolus ego gaudere debeo, ſed & *vos gaudete*; ſi *idipſum* contigerit vobis & gratias reddite mihi qui vobis cauſa ſum, ut martyres efficiamini; *ex Anſel.*; vel gaudeo quòd libamen fio, congaudeo autem quòd victimam offero, ob *idipſum & vos gaudete* quòd oblatus ſum, ait *Chryſ.* Vel *gaudete* de bono quod jam habetis, & *congaudete* de bono meo quod expecto; ex *Eſtio*.

℣. 19. *Spero autem in Domino Jeſu, Timotheum me citò mittere ad vos: ut & ego bono animo ſim, cognitis quæ circa vos ſunt.*

Spero, inquit, per Dominum Jeſum me brevì miſſurum *ad vos Timotheum*, ob id nimirùm, ut rerum noſtrarum ac profectûs Evangelici certiores vos faciat; ut viciſſim ego veſtrarum rerum ſtatum ex eo ad me reverſo cognoſcam; & iis *cognitis* exhilarabor & ero animo fidentiore in adverſis quæ patior. Dat exemplum non temerè aliquid definiendi, ſed omnia ſpe Domini promittendi, ex *Hier.*

℣. 20. *Neminem enim habeo tam unanimem, qui ſincerâ affectione pro vobis ſollicitus ſit.*

Neminem alium *habeo*, qui pari mecum animo

& ſtudio curat ea quæ ſunt Jeſu Chriſti: *Spero me miſſurum ad vos*, qui cùm venerit, ſincerè ea quæ ad vos pertinent, curabit.

℣. 21. *Omnes enim quæ ſua ſunt quærunt, non quæ ſunt Jeſu Chriſti.*

Dat rationem ejus quod dixerat, *qui ſincerâ affectione*, &c. Simulque declarat in quo ſinceritas illa quam in Timotheo commendat, ſita ſit, videlicet in eo, quòd non *quæ ſua ſunt*, quærat, ſed *quæ Jeſu Chriſti*. Quærunt autem ſua, qui privata commoda, quietem, gloriam, lucrum, præponunt gloriæ Chriſti, etiam in eo quòd Chriſti negotium agere videntur. *Omnes*, id eſt, plerique, plurimi, non enim Epaphroditus & ii quos *cap.* 1. dixit ex charitate Chriſtum prædicare, ex eorum erant numero, qui ſua quærerent, non quæ Jeſu Chriſti. Hæc autem dicit, ut Timotheum collaudet, caſtigetque audientes ne otia & lucra quærant, ait *Theoph.*

℣. 22. *Experimentum autem ejus cognoſcite, quia ſicut patri filius, mecum ſervivit in Evangelio.*

Vos experimento diſcite qualis ſit, cùm apud vos erit: vel vos didiciſtis ac meminiſſe poteſtis, quomodo is, ſcilicet Timotheus, unà mecum velut filius cum patre ſe totum contulerit, ad Evangelii negotium promovendum, nam Timotheum Paulo ſocium fuiſſe in prædicando Philippenſibus Evangelio, ſatis ex hiſtoria *Act.* 16. colligitur.

℣. 23. *Hunc igitur ſpero me mittere ad vos, mox ut videro quæ circa me ſunt.*

Quæ circa me ſunt, id eſt, quem finem ſint habituræ res meæ, negotia mea, vincula mea, vel *mox ut* providero, ſeu conſtituero de rebus meis, q. d. modo incertus ſum, ex *Hier.*

℣. 24. *Confido autem in Domino, quoniam & ipſe veniam ad vos citò.*

Diximus *cap.* 1. hoc impletum non fuiſſe.

℣. 25. *Neceſſarium autem exiſtimavi, Epaphroditum fratrem, & coöperatorem, & commilitonem meum, veſtrum autem Apoſtolum, & miniſtrum neceſſitatis meæ, mittere ad vos:*

Neceſſarium exiſtimavi, dum Timothei ad vos profectio differtur, præmittere *Epaphroditum*, quem multis epithetis honorat; *fratrem* vocat, id eſt Chriſtianum, & tanquam fraternâ charitate à ſe dilectum, & ſocium operis Evangelici: & *coöperatorem* collegam, *commilitonem*; *veſtrum Apoſtolum*, non quòd primus jeciſſet fundamenta fidei, hoc enim fecerat *Paulus* & *Silas*; ſed quia ſpecialis Doctor, vel honoris causâ, vel quia Epiſcopus erat Philippenſium: ex *Theod.* & *Thom.* Vel *Apoſtolum*, id eſt, legatum dici putant quòd ab eorum Eccleſia miſſus eſſet ad *Paulum*, pecuniam ſubſidii nomine ad eum perlaturus, ùt 2. *Cor.* 8.; ita *Theoph.* & *Oecum*; indè vocat, *miniſtrum neceſſitatis*, ſeu publici muneris executorem, ùt ait *Chryſ.*

℣. 26. *Quoniam quidem omnes vos deſiderabat: & mæſtus erat, proptereà quòd audieratis illum infirmatum.*

Quia .... omnes vos deſiderabat: id eſt, veſtri reviſendi deſiderio tenebatur: & *mæſtus erat &c.* his verbis tacitè commendat inſignem Epaphroditi erga Philippenſes ſuos amorem, utpotè ex quo tam mœſtitudo, quàm deſiderium ſuum proficiſcebatur.

℣. 27. *Nam & infirmatus eſt uſque ad mortem : ſed Deus miſertus eſt ejus : non ſolùm autem ejus, verùm etiam & mei, ne triſtitiam ſuper triſtitiam haberem.*

Infirmatus eſt, ita ut eſſet morti vicinus : *ſed Deus miſertus eſt ejus* eripiens eum periculo & ſanitati reſtituens, ne dolorem, quem patiebar ex ejus infirmitate, exciperet novus dolor, idemque acerbior ex ejus morte : vel ne carceri ac cæteris adverſis quæ patior, etiam hoc malum, ſcilicet mors tanti viri, mihi ad augmentum triſtitiæ accederet ; ex *Hier.* Non ſanat eum Apoſtolus, quia ad eum ſanandum non habuit inſtinctum divinum, & quia ad domeſticos curandos non acceperat donum curationis ; probabile tamen eſt ſuis precibus ſanatum.

℣. 28. *Feſtinantiùs ergò miſi illum, ut viſo eo iterùm gaudeatis, & ego ſine triſtitia ſim.*

Feſtinantiùs, græcè, *ſtudioſiùs*, ſinè mora ut denuò *gaudeatis*, non ex auditu tantùm quòd ſanatus ſit, ſed etiam ex aſpectu, & *ego* minùs habeam triſtitiæ : ſignificat enim Apoſtolus ſibi moleſtum fuiſſe quòd aberat ab eis Epaphroditus, & quòd nunquam propter diſcipulos expers doloris ſit. *Rom.* 9. ℣. 2. ex *Oecum.*

℣. 29. *Excipite itaque illum cum omni gaudio in Domino, & hujuſmodi cum honore habetote.*

In Domino, id eſt, aut propter *Dominum*, aut quia Dei voluntas eſt : & qui ejuſmodi ſunt, eos in pretio habete, non propter illos ipſos, ſed propter vos qui ſuſcipitis, ut exuberet merces veſtra ; ita *Oecum.*

℣. 30. Quoniam propter opus Chriſti uſque ad mortem acceſſit, tradens animam ſuam ut impleret id, quod ex vobis deërat ergà meum obſequium.

Quia dum mihi miniſtrat propter Chriſtum in vincula conjecto, & vincto Chriſti Jeſu, periculo mortis ſe expoſuit. Etenim periculoſum erat familiariùs accedere, & ſecretiùs colloqui cum eo, cui Nero infenſus erat: vel tam diligens fuit circa meum miniſterium, ut ſuam valetudinem neglexerit, eoque in gravem morbum inciderit; *tradens animam ſuam*, id eſt, non habens rationem vitæ, ut, quoniam vos longè abeſtis, & proindè mihi Apoſtolo veſtro non poteſtis ſicut cuperetis, obſequium, ſeu miniſterium præſentes exhibere, ipſe legatus veſter hunc defectum ſuppleret, mihi pro vobis miniſtrans. Hic rursùm pro *obſequio*, græcè λειτουργία quâ voce ſignificari miniſterium publico nomine debitum, docent Græci.

CAPUT III.

Etſi in carne gloriari poſſit, omnem tamen glorationem excludit, ut aſſequatur juſtitiam quæ ex fide eſt. Notat Judaïzantes.

℣. 1. *De cetero fratres mei gaudete in Domino. Eadem vobis ſcribere, mihi quidem non pigrum, vobis autem neceſſarium.*

QUod reliquum eſt, inquit, *fratres mei*, volo vos abjecto mœrore quem ſive ex vinculis meis, ſive ex periculo Epaphroditi, ſive ex afflictionibus veſtris concepiſtis, *gaudere in Domino* Chriſto; id eſt, eo gaudio quod Chriſtianos decet: vel, omne gaudium ſit vobis in Deo, non in carnalibus obſervantiis: vel olim gaviſi eſtis in ſæculo, ſed *de cetero* vivendi ſpatio quod vobis ſupereſt, *gaudete in Domino*; ita *Anſel.* Nam *eadem* quæ præſens dixi, nempè ut in Domino gauderetis, vel *eadem ſcribere* quæ ſcripſi aliis ut Romanis, Galatis, me ſanè non piget, imò quò magis ſitis extra periculum, omninò mihi faciendum cenſeo contra perverſos doctores.

℣. 2. *Videte canes, videte malos operarios, videte conciſionem.*

Judæi præ contemptu, Gentiles *canes* vocabant, ut *Matth.* 15. ℣. 26. Meritò Apoſtolus Judæos diverſâ ratione *canes* vocat, ut *Matth.* 7.

℣. 6. quia verbo Dei à veris Apoſtolis prædicato, paſſim adlatrabant, & prædicatores ejus mordebant, latrabant & perſequebantur ad mortem. Item *canes* erant Judaïzantes iſti, id eſt, homines imprudentes & improbi, qui ventris causâ apud omnes ſeſe ingerebant *Matt.* 23. ℣. 15., ita Græci: *videte*, id eſt, cavete *malos operarios*, ſubdolos, quia in opere ſuo non Chriſti, ſed ſuam ſpectabant utilitatem, utpotè ventri ſervientes, & quia videbantur operari in doctrina Evangelii, ſed reverà pervertebant, ùt *Gal.* 1. ℣. 7. Erant Apoſtolo Judaïzantes illi *conciſio*, & non circumciſio: hoc eſt, conciſi, & non circumciſi, quia carnem amputaverant non vitia carnis, & à Chriſto cæſi, id eſt, abſciſſi erant, ait *Anſel.*, quia circumciſionis neceſſitatem prædicantes, crucem Chriſti evacuabant, & per hoc non ſalutem, ſed ad perniciem eis ſua circumciſio, velut conciſio quædam, proficiebat.

℣. 3. *Nos enim ſumus circumciſio, qui ſpiritu ſervimus Deo, & gloriamur in Chriſto Jeſu, & non in carne fiduciam habentes;*

Illi jactant ſuam carnis circumciſionem, nec agnoſcunt ejus uſum & ſignificationem. *Nos* autem *ſumus* vera *circumciſio*, quatenùs ſcilicet in nobis ſpiritualis ſignificatio circumciſionis impletur, ùt *Rom.* 2. ℣. 28. Græci legunt, *Qui ſpiritu Deo ſervimus*, poteſt autem ex græco verti, *qui ſpiritui Deo ſervimus*, & ita legendum contendit *Ambroſius l.* 2. *de Spir. ſ. c.* 6.; ſicque ſignificatur, Spiritum ſanctum eſſe Deum, cui ſerviendum ſit eâ ſervitute quæ ſoli Deo debetur, ùt *Mat.* 4. ℣. 10. *Rom.* 1. ℣. 25. vel *ſpiritu*, id eſt ſpiritualiter ſervimus Deo: vel *ſpiritu*, id eſt, mente, quem *interiorem homi-*

tiam alibi vocat, ùt *Rom.* 7. & 2. *Cor.* 4.; ut ſpiritu ſervire Deo, ſit ei ſervire ex animo & ſecundùm hominem interiorem, id eſt, cultu interno, cui opponitur exterior Judaïcus; ita Græci. *Et gloriamur in Chriſto Jeſu*, tanquam authore ſalutis noſtræ, ùt *Act.* 4. ℣. 12. *Et non in carne confiſi*, ùt eſſe circumciſum, Iſraëlitam, Phariſæum: & ſecundùm juſtitiam, quæ in lege eſt, converſatum eſſe, nam & ipſa juſtitia quæ ex lege eſt, carnalis eſt; ex *Eſtio.*

℣. 4. *Quamquam ego habeam confidentiam & in carne. Si quis alius videtur confidere in carne, ego magìs,*

Non ideò rejicio *confidentiam* quæ in carne eſt, quòd mihi hac in parte gloriandi materia deſit; ſolent enim homines ea contemnere in aliis quæ ipſi neſciunt aut non habent. At ego, inquit, habeo quod in aliis contemno, ac poſſem ſi vellem, perinde ùt illi, in carne gloriari & confidere, & eò magìs certè mihi ea contemnenti credendum eſt. *Si quis* Judaïzantium *videtur* meritò *confidere in carne*, eò quòd habeat hujuſmodi fiduciæ materiam; *ego* vel maximè materiam hujuſmodi confidentiæ habeo, non enim ſupplendum *ego magìs* confido, ſed *ego magìs* habeo *confidentiam*, id eſt, confidentiæ materiam: vel ſi quis putat ſe habere fiduciam, ita *Aug.*

℣. 5. *Circumciſus octavo die, ex genere Iſraël, de tribu Benjamin, Hebræus ex Hebræis, ſecundùm legem Phariſæus,*

Audi in carne fiduciam, *circumciſus ſum octavo die* ſicut lex juſſerat, id eſt, non proſelytus, non advena ad populum Dei, non major circumciſus, ſed à parentibus natus Judæus habeo circumciſionem octavi diei, & ſum *de genere Iſraël*, non alienigena: Et non de vir.

lioři tribu, ſed *de tribu Benjamin*, quæ nobilior erat, quia procreata ex Rachel dilecta uxore Jacob, & prima Regem habuit in illo populo, *Saul* nomine. Et cùm decem tribus in Samaria colerent vitulos, iſta & tribus Juda non receſſerunt à templo Domini; ſed tam regiæ tribui quàm Sacerdotali manſit perpetuò conjuncta: accedit quòd in ſorte tribûs Benjamin ſita erat Jeroſolyma & ædificatum templum. Et ſum *Hebræus ex Hebræis* parentibus, non de ignobili gente progenitus, ſed ex eis qui nati ex *Heber* filio Sale filii Sem majoris filii Noë qui ſextâ generatione Abraham procedit; vel ſignificat *genus* ſuum non fuiſſe permixtum aliquando cum alienigenis, id eſt, Gentilibus, quomodo permixtum erat genus Samaritanorum; vel ſe ſervaſſe characterem Gentis, id eſt, linguam incorruptam retinuiſſe, ùt 2.*Cor*.11. ℣. 22., quam interpretationem Eſtius præfert: vel *Hebræum* dici quaſi tranſitorem, eoque cognomine Abraham appellatum ab incolis terræ Chanaan, quia tranſito flumine Euphrate, illùc tranſmigraſſet, q. d. tranſfluvialem. Sum etiam *ſecundùm legem*, id eſt, ſecundùm egregiam legis obſervationem *Phariſæus*, id eſt, diviſus ab aliis, utpotè religioſior, ùt *Matth*. 23. ℣. 2. *Act*. c. 23. ℣. 6. & c. 26. ℣. 5. Et cùm duæ eſſent ſectæ celebres in populo, legem Moſaïcam profitentes, Phariſæorum & Sadducæorum, illa ſanior & præſtantior erat: ex *Eſtio*.

℣. 6. *Secundùm æmulationem perſequens Eccleſiam Dei, ſecundùm juſtitiam, quæ in lege eſt, converſatus ſine querela.*

Tantus in me fuit zelus & ſtudium legis ac paternarum traditionum, ut quidquid eis ad-

verſarium viderctur impatienter ferrem, ipſamque adeò Chriſti *Eccleſiam* tanquam Apoſtatricem legis, *perſequerer*; per hoc exiſtimans me obſequium præſtare Deo: deniquè quòd ad *juſtitiam quæ in lege* & per legem habetur, *ita converſatus ſum* coram hominibus, ut nemo de me *conqueri* poſſit, aut objicere quòd legem ullâ parte fuerim tranſgreſſus.

℣. 7. *Sed quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus ſum propter Chriſtum detrimenta.*

Sed quæ tunc meâ & aliorum opinione erant utilia tanquam veræ juſtitiæ opera & pro quibus præmium expectabam à Deo; ea *propter Chriſtum*, id eſt, ut Chriſtum lucrifaciam (ſic enim poſteà ſeipſum exponit) damni & detrimenti loco duxi, quia à vera juſtitia quæ non eſt niſi per Chriſtum, magis me alienarunt, nec potui particeps eſſe juſtitiæ Chriſti, niſi ſic de illis ſentirem.

℣. 8. *Verumtamen exiſtimo omnia detrimentum eſſe propter eminentem ſcientiam Jeſu Chriſti Domini mei: propter quem omnia detrimentum feci, & arbitror ut ſtercora, ut Chriſtum lucrifaciam,*

q. d. Plus aliquid dicam. Non ſolùm enim vitam quam in Judaïſmo duxi, reputavi *detrimentum propter Chriſtum*, verùm *omnia* quæ tunc magnificabam, ut genus, ſectam, legiſperitiam arbitror *eſſe detrimentum*, hoc eſt, non ſolùm inutile, ſed etiam damnoſum & noxium; idque *propter eminentem ſcientiam*, ſive ut Græci, propter *eminentiam ſcientiæ*, id eſt, ut aſſequar excellentiam agnitionis Chriſti & beneficiorum ejus; quin etiam *propter* Dominum

meum paſſus ſum *detrimentum omnium*, exui me omnibus, omnia projeci quæ priùs magna & copioſa reputabam. *Et arbitror ùt ſtercora*, græcè, *& arbitror eſſe ſtercora*, quiſquilias, vel *rejectamenta*, ex *Hier.* Et hæc non in contemptum legis, ſed juſtitiæ quæ ex lege eſt, ab Apoſtolo dicta ſunt, quam juſtitiam legalem vocat *detrimentum*, quia nocet; *ſtercora*, quia fœtet & habentem commaculat: quod nullus mirabitur, ſi reflectat quomodo illa vocetur *Iſaiæ* 64. ℣. 6. & *Luc.* 16. ℣. 15. Ratio eſt, quia fiebant ab illis ea opera legis, non ſolùm non ex fide Chriſti, ſine qua nihil valent ad ſalutem, ſed & cum opinione quòd per ea ſolâ legis cognitione profecta, poſſent Deum ſibi promereri: putabant enim legem ſolam ſibi ipſis ad veram juſtitiam ſufficere. Quæ perſuaſio cùm ſit falſa; noxia & perniciofa, coinquinabat omnia opera tali animo atque opinione facta. *Ut Chriſtum lucrifaciam*, ut bonorum ejus particeps efficiar: primùm hìc per fidem & notitiam Chriſti; deindè per conſortium reſurrectionis & gloriæ ejus.

℣. 9. *Et inveniar in illo non habens meam juſtitiam, quæ ex lege eſt, ſed illam, quæ ex fide eſt Chriſti Jeſu: quæ ex Deo eſt juſtitia in fide,*

Et ſim *in illo* ſcilicet Chriſto, ſicuti palmes in vite, *non habens meam juſtitiam*, id eſt, quæ mihi à meipſo ſit, eam nimirùm *quæ ex ſola legis* notitia habetur, quæ quidem non vera ſed falſa juſtitia eſt; *ſed illam quæ eſt ex fide*, vel per fidem, quâ in Chriſtum creditur. Hæc enim ſola vera juſtitia eſt: dicitur autem eſſe ex fide quâ in Chriſtum creditur, tum quia per hanc fidem cognoſcitur, eam non aliundè, quàm ex merito Paſſionis Chriſti

haberi poſſe: tum quia fides illam impetrat, imò & initium ejus eſt, adeò ut & ipſa non niſi per Chriſtum habeatur; ita *Aug. Ep.* 106. *Juſtitiam*, inquam, *quæ à Deo* authore *eſt*, & fundatur *in fide*, quia fides hujus juſtitiæ fundamentum eſt; & à Chriſto ùt promerente: quorum neutrum agnoſcebant Judaïzantes; putabant enim proprias naturæ vires unà cùm legis adminiculo velut commonitorio quodam ipſis ſufficere ad juſtitiam. Conferendus eſt hic locus cum eo, qui eſt *Rom.* c. 9. ℣. 30. *& ſeq.*, & c. 10. ℣. 3. *& ſeq.*; ex *Eſtio*.

℣. 10. *Ad cognoſcendum illum, & virtutem reſurrectionis ejus, & ſocietatem paſſionum illius: configuratus morti ejus:* Senſus eſt, juſtitiam eſſe ex fide, quâ cognoſcitur Chriſtus, & *virtus reſurrectionis ejus*, & communio *paſſionum ejus*: quod obſcurè dixit, *propter eminentem ſcientiam Jeſu Chriſti*, nunc partibus explicat; ut ſit ſenſus, & ut cognoſcam *illum* nempè quis & quantus ſit, utpotè Deus & homo, & cetera, quæ ad utramque ejus naturam pertinent; item ut cognoſcam *virtutem* ſeu potentiam *reſurrectionis* & gloriæ *ejus*, nempè quòd ea ſit exemplaris cauſa noſtræ reſurrectionis. Deniquè ut cognoſcam *communicationem paſſionum ejus*; ſive quâ merita paſſionum ejus nobis ad juſtitiam & ſalutem communicantur, id quod Judaïzantes non intelligebant; ſive quâ ego *Paulus* per afflictiones & adverſa quæ propter amorem Chriſti patior, communico paſſionibus ejus ut & gloriæ ejus particeps efficiar, ùt 1. *Pet.* 4. ℣. 13. *Configuratus morti ejus*, quod alii vertunt *conformans me*, vel *dum conformis fio morti ejus*: & hoc modo cohæret cum præcedentibus. Et ut cognoſcam communicationem paſſionum ejus; in quam venio & quæ mihi contingit, dum

per paſſiones & mortis pericula, quæ pro nomine ejus ſuſtineo, *conformis* efficior *morti ejus*, ut 1. *Cor.* 15. ℣. 30. & *ſeq.* ita Græci.

℣. 11. *Si quo modo occurram ad reſurrectionem, quæ eſt ex mortuis.*

Compatior & commorior Chriſto, *ut ſi quo modo* poſſim, perveniam *ad* beatam *reſurrectionem* mortuorum, quam juſti expectant, ut docet *Theoph. hoc loco & in Joan.* 6. & *Heb.* 11. Quod autem ait, *ſi quo modo*, excludit ſecuritatem & certitudinem conſequendæ ſalutis, & inſinuat difficultatem perveniendi, ex *Chryſ. Theop. & Oecum*, ut 1. *Cor.* c. 9. ℣. 27. & c. 10. ℣. 12.

℣. 12. *Non quòd jam acceperim, aut jam perfectus ſim: ſequor autem, ſi quomodo comprehendam in quo & comprehenſus ſum à Chriſto Jeſu.*

Non ideò mentionem facio præmii *quòd jam* perfectionem viæ ſim aſſecutus: vel ſenſus eſt. Hæc non commemoravi *quòd jam* totum fructum, qui in hac vita haberi poteſt, *acceperim*; aut quòd jam *perfectus ſim* vitâ & cognitione, ita ut ad capiendum præmium nihil mihi deſit, nec ultrà proficere debeam. Nondùm aſſecutus ſum perfectionem, ut mihi jam quieſcendum ſit, ſed adhuc curro, contendo, *perſequor*, ut illam ſi queam, *apprehendam*. Non loquitur de præmio vitæ æternæ, quod infrà vocat bravium ſupernæ vocationis, ſed de perfectione cognitionis & vitæ ad quam in hoc ſæculo poſt quantumlibet profectum ſemper adhuc aſpirandum eſt. *In quo*, id eſt, ſicut aliquando procul aberrans & fugiens *à Chriſto*, *comprehenſus ſum* ab eo per gratiam ejus prævenientem, ita nunc viciſſim hanc præſto diligen-

tiam

-tiam, ut totis viribus eum inſequar, & nitar apprehendere virtutum perfectionem; ſic Græci. Latini verò hunc ſenſum reddunt, curro & perſequor, ut *comprehendam* ac talis efficiar, qualis ut fierem, *comprehenſus ſum*, id eſt, electus & prædeſtinatus à Chriſto, hoc eſt, ut pertingam ad juſtitiæ perfectionem; ita *Oecum.* ut 1. *Cor.* 13. ℣. 12. Græcorum tamen expoſitio præferenda videtur; durius enim eſt, *comprehenſum* interpretari electum ſeu prædeſtinatum: ex *Eſtio.*

℣. 13. *Fratres, ego me non arbitror comprehendiſſe. Unum autem: quæ quidem retrò ſunt obliviſcens, ad ea verò, quæ ſunt priora, extendens meipſum,*

Fratres ſcilicet, Philippenſes, *ego* quamvis tot laboribus ac periculis perfunctus, adeò ut dicere poſſim, me plus omnibus laboraſſe, nondum tamen *arbitror me* aſſecutum eſſe perfectionem, quam habere debeo; multa adhuc video mihi deeſſe; *unum autem*, ſubaudi, *ago*, in unam rem totus ſum intentus. Quid ſit illud *unum*, exponit verbis ſequentibus; *quæ quidem retrò ſunt, obliviſcens* &c. Perſiſtit autem in metaphora currentis in ſtadio, qui negligens ea quæ ſunt à tergo, totum ſe protendit ad anteriora, ſic ut pedibus adhuc currentibus, jam corpore promineat ad ſcopum: per ea *quæ retrò ſunt*, intelligit non opera legis, quæ reputat ut ſtercora; ſed opera ſua præterita ex fide facta, ſed imperfectiora comparatione ejus perfectionis ad quam toto curſu ſe tendere dicit, ita *Aug.* & *Chryſ.*

℣. 14 *Ad deſtinatum perſequor, ad bravium ſupernæ vocationis Dei in Chriſto Jeſu.*

Ad deſtinatum, Græcè *ſecundùm ſcopum*, ve-

juxta præfixum ſignum; *ad bravium*, id eſt, certantibus præmium propoſitum, ad palmam, ut legit *Aug.* Ego, inquit, ea quæ ſunt à tergo relinquens, ad ea verò quæ ſunt à fronte, me ipſum extendens oculis ſemper in ſcopum defixis, curſu contendo ad palmam ſeu præmium regni cœleſtis, ad quod à Deo vocati ſumus per Chriſti fidem & merita: per ſcopum intelligit perfectionem illam de qua dicebat: *Non quod jam acceperim, &c.* Per *bravium* verò, ſeu palmam ſupernæ beatitudinis præmium ad quod obtinendum currere ſe dicit, habendo oculos ſemper intentos in ſcopum perfectionis propoſitæ. Athletas non in ſtadio infrà, ſed ad ſuperiora vocatos, rex illic coronat: ita & hìc in cœlo accipies coronam, ait *Chryſ.*

℣. 15. *Quicumque ergò perfecti ſumus, hoc ſentiamus: & ſi quid aliter ſapitis, & hoc vobis Deus revelabit.*

Hoc ſentiamus, nempè quòd oporteat ea quidem quæ à tergo ſunt, oblivisci, ad ea verò quæ à fronte, extendi; Nam hoc perfectos reddit, cogitare quòd abſint à palma. Quotquot igitur *perfecti ſumus*, id eſt, intelligentiâ rerum divinarum præſtamus, vel reipsâ vel noſtrâ aut aliorum opinione, *hoc ſentiamus* quod ego dè meipſo jam profeſſus ſum, ſcilicet nos nondum apprehendiſſe aut perfectos eſſe, ſed adhuc multa nobis deeſſe, ideòque nos eorum quæ retrò ſunt oblitos ſemper ad anteriora debere extendi. Nemo enim tam perfectus viator eſt, quin ad majorem perfectionem, etiam in hac vita conſequendam ſemper anniti debeat, ita docet *Aug. ſerm.* 15. *de verb. Ap. cap. ult.*, lib. 2. *de pec. mer. cap.* 7., *de perf. juſt. cap.* 8., *de grat. & lib. arb. c.* 1, *tract.* 98. *in Joan. Si quid aliud ſentitis*, putantes quòd non abſitis à palma, ſed illam aſſecuti eſtis, *Deus vobis revelabit* quòd

non rectè hoc ſentiatis. Qui enim ita ſentit, efficietur ſegnior, ita *Oecum.* & *Th. poſt Aug.* Vel ſi quid aliter ſapitis; id eſt, ſi quid aliud pertinens ad cultum Dei & ad perfectionis ſtatum vos cognoſcere contigerit, ſcire debetis, id non provenire ex intelligentia veſtra, ſed ex revelatione divina per internam inſpirationem atque doctrinam : ex *Lyr.* Non de dogmatibus iſta dicit, ſed de perfectione vitæ, ut notat *Chryſ.* Prior tamen *Aug.* & *S. Thomæ* interpretatio præferenda eſt illi quam habet *Lyranus.* ex *Eſtio.*

℣. 16. *Verùmtamen ad quod pervenimus, ut idem ſapiamus, & in eadem permaneamus regula.*

Sed tamen teneamus omnes illud, *ad quod pervenimus, ut idem ſapiamus* credendo, & *permaneamus in eadem regula* diſciplinæ, id eſt, rectitudine vivendi, ſcilicet ut nemo propter novam inventionem vel intelligentiam ſuam deſerat communem ſenſum fidei, ſeu regulam juſtè vivendi conſtitutam à Patribus. Vel ita ſentire debemus omnes, quia nondum perfecti ſumus, nec plenam Dei notitiam aſſecuti ſumus, ſed tamen illud *ad quod pervenimus*, id eſt, illam ſcientiam quam attigimus, totâ mente teneamus; ſcilicet *ut idem* in fide *ſapiamus*, & *in eadem* vitæ *regula maneamus*, id eſt. nec diverſa credamus, nec diverſos vivendi ritus habeamus, ſed omnes uno modo ſincerè credamus & vivamus, ita *Anſel.*

℣. 17. *Imitatores mei eſtote fratres, & obſervate eos qui ita ambulant, ſicut habetis formam noſtram.*

In fidei unitate & diſciplinæ regula *eſtote mei imitatores* unà cum aliis qui me imitantur; ſicut me noſtis idem ſapere, & eandem regu-

lam ſervare, ſic facite: vel ſicut alios videtis eſſe ſtudioſos mei imitandi, ita & vos facite. *Et obſervate*, ſive ùt alii legunt, *conſiderate* eos qui vitam ſuam inſtituunt ad exemplar, quod ego vobis propoſui, quodque à me accepiſtis, & eos imitamini. Hæc enim obſervatio eſt ad imitandum, ſicut illa ad fugiendum de qua *Rom.* 16. ℣. 17. *Rogo vos fratres, ut obſervetis eos, qui diſſentiones & offendicula faciunt* &c., de quibus ſequitur verſu ſequenti.

℣. 18. *Multi enim ambulant, quos ſæpè dicebam vobis (nunc autem & flens dico) inimicos crucis Chriſti:*

Ideò tam ſolicitè moneo, quos imitemini, quia multi ſunt nequaquam vobis imitandi, quantumvis Chriſti nomine ſeſe venditent & crucem Chriſti prædicent, de quibus ſæpè coram vos monui, nunc autem abſens non ſinè lachrymis commonefacio; quos à doctrina deſignat his verbis: *inimicos Crucis Chriſti.* Nam qui juſtitiam prædicant ex lege quærendam, etſi in Chriſtum crucifixum ſe credere dicerent, ex conſequenti tamen hoſtes crucis Chriſti ſe declarabant, *Gal.* 2. ℣. 21. ex *Thoma.*

℣. 19. *Quorum finis interitus: quorum Deus venter eſt: & gloria in confuſione ipſorum, qui terrena ſapiunt.*

Interitus ſcilicet æternus, ſeu mors ſempiterna: hìc jam explicat Apoſtolus quod ℣. 18. dixerat, *Ambulant:* & ſenſus eſt; non ambulant ſicut nos, nam ventrem ſeu eſcas habent pro Deo, quia finem conſtituunt in deliciis cibi & potûs, ùt *Rom.* 16. ℣. 18. *Et gloria in confuſione ipſorum eſt*, id eſt, in dedecore, ignominia, turpitudine, pudore ipſorum: hæc enim vox Græca ſignificat. Ambroſianus legit *in pudendis ipſorum.* Quæ lectio etiam eſt in *Ambroſ.*

lib. de Cain & Abel. c. 5., & *in Aug. ſerm.* 15. *de verb. Apoſt.* c. 1., qui hoc referunt ad circumciſionem; quaſi dicat Apoſtolus, & quorum gloriatio eſt in membro pudendo & abſcondendo; jactant enim illius membri circumciſionem: cùm è diversò gloria noſtra ſit in cruce. Meminerunt hujus expoſitionis *Chryſ. Theop.* & alii, ſed eam rejiciunt; nec immeritò ait *Eſtius*, qui cum græcis hunc ſenſum reddit. Et qui gloriantur in iis quorum ipſos oportebat pudere, id eſt, in flagitiis & malefactis: juxta *Prov.* 2. ℣. 14; quod quidem extremæ malitiæ ſignum eſt. *Qui terrena ſapiunt*, quia in lege nihil ſpiritualiter intelligunt, ſed omnia carnaliter; vel in terrenis nihil niſi quod vident, intelligunt, nec ſenſum, nec intentionem, nec affectum, niſi in terrenis ponunt. Ædificemus domos. Ubi! In terra: potiamur gloria in terra, ait *Chryſ.*

℣. 20. *Noſtra autem converſatio in cœlis eſt: undè etiam Salvatorem expectamus Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum*,

Nos autem qui per fidem ambulamus, non terrena ſapimus, ſed cœleſtia, *Heb.* 13. ℣. 14. Ubi Chriſtum corporaliter eſſe credimus; & *undè eum* ùt *ſalvatorem* ac remuneratorem *expectamus*, ut plenam nobis ſalutem, præmiumque referat, non temporariam ſalutem dando, ſed æternam. Proindè longè plus ei tribuit qui *Salvatorem* vocat cum *Hieronymo & Auguſtino*, quàm qui ſervatorem cum *Eraſmo*; ex *Eſtio*.

℣. 21. *Qui reformabit corpus humilitatis noſtræ, configuratum corpori claritatis ſuæ, ſecundùm operationem, quâ etiam poſſit ſubjicere ſibi omnia.*

Docet quod & quantum bonum adventu ſuo Dominus juſtis ſit allaturus, ſcilicet gloriam corporum. *Qui reformabit*, Græcè, *qui transfigurabit*, ſeu tranſmutabit *corpus* noſtrum humile, vile, miſeriis & corruptioni obnoxium, ut ſit tale, quale eſt corpus ipſius gloriosum; non quia aliam figuram habiturum ſit, ſed alias qualitates. Undè apud *Matth.* 17. ℣. 2. & *Marc.* 9. ℣. 1. hoc mutationis genus *transformatio* græcè vocatur; licèt in noſtra verſione *transfigurandi* vocabulum ibi legatur. *Secundùm operationem*, vox græca *efficacem operationem* ſignificat: & ſenſus eſt, Chriſtum illam mutationem facturum per eam virtutis ſuæ efficaciam, *quâ poteſt etiam ſubjicere ſibi* ipſi *omnia*, id eſt, univerſam creaturam; imò quâ idipſum aliquando facturus eſt, juxta quod docent Scripturæ *Pſal.* 8. ℣. 8., 1. *Cor.* 15. ℣. 25. & *Heb.* 2. ℣. 8.

CAPUT IV.

Hortatur ad ſpiritualem lætitiam & bonorum perſeverantiam : laudat eos quòd neceſſitati ſuæ ſubvenerint, & iis benè precatur.

℣. 1. *Itaque fratres mei chariſſimi, & deſideratiſſimi, gaudium meum, & corona mea : ſic ſtate in Domino, chariſſimi :*

I*Taque* & ſi hos debacchari perſpicitis, luxuique & gloriæ addictos, vobis tamen præſtandum eſt, ut *ſtetis* ſpe certiores, habituros nos tandem hanc corporum gloriam, neque idcircò ullam in partem declinandum, ex *Theoph.*; vide quot laudibus eos proſequatur, nam *fratres* appellat *chariſſimos*, *deſideratiſſimos*, id eſt, per me conquiſitos, vel quorum præſentiâ frui deſidero, *gaudium meum*, quia de eorum fidei conſtantia gaudebat, *Corona*, quia eſſent vel ornamentum capitis ejus, vel potiùs, quia prò labore prædicationis Evangelicæ, quâ eos ad Chriſtum adduxerat, coronam à Deo expectabat, ùt 2. *Tim.* 4. ℣. 8. 1. *Theſ.* 2. ℣. 19. Vel *ſic ſtate*, hoc eſt, quod paulò ante admonui, ut ſitis unanimes in fide Chriſti, in eo perſeverate. *Sic*, quomodo? Immoti in ſpe Dei, inquit *Chryſ.*

℣. 2. *Evodiam rogo, & Syntychen deprecor, idipſum ſapere in Domino.*

Apparent hæ fœminæ tanquam primates Eccleſiæ fuiſſe, inter quas aliquid diſſidii coörtum fuerit; eas rogat & hortatur, ut *idipſum* ſentiant *in Domino*, id eſt, ut concordes ſint in charitate Chriſti.

℣. 3. *Etiam rogo & te germane compar, adjuva illas, quæ mecum laboraverunt in Evangelio cum Clemente, & ceteris adjutoribus meis, quorum nomina ſunt in libro vitæ.*

Græci hoc loco reprehendunt eos, qui pro eo quod Græcè eſt σύζυγε γνήσιε, *conjugem Pauli* intelligunt, cùm σύζυγος *Socium* ſignificet, nec uſquam *Paulus* uxoris meminiſſe legatur, & fœminino genere utrumque poſuiſſet, ſi de uxore intellexiſſet; ut, inquit *Theoph.*; nec veroſimile eſſe Græci dicunt, uxorem *Pauli*, ſi habuiſſet, Philippis in peregrina patria habitaſſe, ſed Tharſi potiùs, aut Jeroſolymis, ita *Gaig.* Et ad tollendam ſermonis ambiguitatem potiùs dixiſſet, γνήσια quàm γνήσιε, ſi mulierem ſe alloqui ſignificare voluiſſet, & ſtultum in his verbis ſuſpicari carnale conjugium, dicunt *Chryſ. Theod.* & *Oecum.* Videri merentur quæ hìc habet *Eſtius*. Si quæras quem hominem voluerit Apoſtolus deſignare. Reſpondet *Theophylactus*, aut fratrem, aut maritum alterius prædictarum mulierum; aut cuſtodem carceris converſum, *Act.* 16.; aut unum ex Epiſcopis vel Diaconis, quos ſalutat initio Epiſtolæ, Verùm nihil certi. Quiſquis autem fuerit, multùm ab Apoſtolo honoratur, cùm eum vocet *germanum*, id eſt, ſincerum *adjutorem* ac laboris *ſocium*, & rogat ut ſuſcipiat

earum infirmitatem, eaſque inter ſe reconciliet, q. d. *adjuva eas* quæ me adjuverunt in certamine: vel quæ me ſuſceperunt officio ſuo uſque ad periculum, ùt de Priſca & Aquila dicit *Rom. ult.* Non enim mulieres in Evangelio collaboraſſe *Paulo* putandum eſt, quaſi ipſæ Evangelium ſimul cum eo prædicaverint, ſed quia propter Evangelii negotium promovendum & defendendum, labores & pericula ſubierant; *cum Clemente & adjutoribus meis*; de quibus benè & meritò confido; propter piam operam quam Evangelio præſtant, quod eorum *nomina* ſcripta *ſunt in libro vitæ*, q. d. quorum multò feliciùs alibi ſcripta nomina, quàm ſi hìc adſcriberentur; ſcripta ſunt enim *in libro vitæ*, id eſt, aſſignata tenentur ad vitam in memoria divinæ prædeſtinationis. Nominis rationem doctè explicat *S. Thomas in comment.* & p. 1. q. 24. a. 1.

℣. 4. *Gaudete in Domino ſemper: iterùm dico gaudete.*

Quàm frequentiſſimè excitate ac renovate in vobis gaudium ſpirituale, recolentes animæ ineffabile beneficium vocationis veſtræ, quâ vocati eſtis per fidem in ſpem vitæ & gloriæ æternæ. Hæc enim omnibus piis juſtiſſima gaudendi cauſa eſt, maximumque ſolatium etiam in mediis periculis & preſſuris; de quibus ipſis gaudendum erat ùt habetur in *hac Ep.* c. 1. ℣. 29. *Act.* 5. ℣. 41. & *Jac. c.* 1. ℣. 3. Vel *in* poſitum eſt pro *cum*, ut ſit gaudete *cum Domino* ſemper, ex *Chryſ.*

℣. 5. *Modeſtia veſtra nota ſit omnibus hominibus: Dominus prope eſt.*

Hanc virtutem exigit Apoſtolus à fidelibus agentibus inter infideles, ut per hanc eorum converſationem benè utique audiat nomen

Chriſtianum, ùt 1. *Pet.* 2. ℣. 12. & *Tit.* 3. ℣. 2. Interim conſolatur, afflictiones, inquit, hujus vitæ non diu durabunt, *Dominus prope eſt*; hoc eſt, citò veniet tempus retributionis à Domino: quâpropter jubeo vos omnes bono & læto eſſe animo, ex *Chryſ.* Vel *propè eſt Dominus*, id eſt, paratus ad ſuccurrendum vobis in omni neceſſitate, ùt Pſ. 33. ℣. 19. & 144. ℣. 18. ex *Hier.* Veriſimiliùs tamen eſt, Apoſtolum de ultimo judicio loqui, & ſuo more per *Dominum* Chriſtum intelligere; & verificatur hæc ſententia per judicium particulare quod fit in morte cujuſque: talis enim quiſque in univerſali judicio, qualis in morte judicatus fuerit: ita *Eſtius.*

℣. 6. Nihil ſolliciti ſitis: ſed in omni oratione, & obſecratione, cum gratiarum actione, petitiones veſtræ innoteſcant apud Deum.

Nulla de re quæ vobis aut deſit aut contingat anxiè *ſitis ſoliciti*, quaſi diffidentes paternæ providentiæ Dei, ſed quâcumque re opus habueritis & in quacumque occurrente neceſſitate, recurrite ad Deum orando & obſecrando, ut tribuat id quod petitis, ſimul & gratias agendo de acceptis; quod enim ait, *innoteſcant apud Deum*, improprius eſt ſermo qui ſic explicari poteſt: fundite devotas & ferventes ad Deum preces, quæ dignæ ſint exaudiri & quæ probentur à Deo; ita *Thom.* & *Aug. Ep.* 112. ad *probam.* Dicitur enim Deus ſcire quæ probat, neſcire quæ improbat. *Petitiones* vel ſunt deſideria animo concepta quæ quodammodo notificantur Deo, quando oratione explicantur: vel ſunt ipſa poſtulata, id eſt, res quæ oratione petuntur. *Petitiones* dico factæ *in omni oratione*, quæ nihil de his quæ oranda ſunt,

prætereat, ſed omne quod expedit, orando petat à Deo. Inter *orationem* autem & *obſecrationem*, quid ſit diſcriminis, haud planè conſtat ſi de vocibus græcis agatur. Leviter illud attigi *Epheſ.* 6. ℣. 18., ſed plus dicetur 1. *Tim.* 2. ℣. 1. Addit Apoſtolus *cum gratiarum actione* pro collatis beneficiis; nam ùt ait *Chryſ.*, quomodo petet quis futura, qui de præteritis gratias non agit? *ex Eſtio.*

℣. 7. Et pax Dei, quæ exuperat omnem ſenſum, cuſtodiat corda veſtra, & intelligentias veſtras in Chriſto Jeſu.

Et pax Dei quà in ſeipſo pacatus eſt, & cujus participatione pacificantur Angeli & homines, ùt *Col.* 1. ℣. 20. vel *pax Dei* eſt reconciliatio quam Deus cum hominibus fecit, de qua *Eph.* 2. ℣. 14. Hæc pax omnem opinionem & expectationem humanam excedit, quòd Deus pro inimicis ſibi reconciliandis filium ſuum dederit in mortem. Qui nos tam incogitabili & inſperato beneficio ſibi reconciliavit, idem ipſe *cuſtodiat vos* & muniat, ne quid mali velitis & cogitetis: vel *pax Dei* eſt illa quâ de Deo beata eſt intellectualis natura, quæ quidem pax non humanum tantummodò, ſed omnem creatum excedit intellectum, quia à ſolo Deo comprehenditur, ait *Aug. Ench.* 62. & 63. Vel *pax* Chriſti, quâ pro ſuis perſecutoribus exorabat, quæ omnem mentem ſuperat & inclinat, *cuſtodiat* exemplo Chriſti *corda* & inintelligentias veſtras: ita *Hier.* Sed meliùs hoc loco *pax Dei* intelligitur tranquillitas animi, quam homo habet in Deo per reconciliationem & præceptorum ejus obſervationem, ita ut pulſo foràs timore, liberâ & quietâ conſcientiâ Deo ſerviat cum læta & ſuavi expectatione felicitatis æternæ; hæc pax ſuperat omnem in-

tellectum noſtrum, quia quantum bonum ſit illa pax, dum hìc vivimus, mente comprehendere non poſſumus. Optat igitur ut ea pax *cuſtodiat* ipſorum *corda*, id eſt, affectus ſeu voluntates, ne à bono declinent, & *intelligentias*, id eſt, cogitationes mentis, ne devient à vero, ſic *S. Thomas.* Congruit hic ſenſus cum ſuperioribus præceptis, quibus juſſit eos in Domino gaudere, nihil ſollicitos eſſe, & omnia per orationem à Deo expectare: nam ex his oritur & conſtat pax illa.

℣. 8. *De cetero fratres, quæcumque ſunt vera, quæcumque pudica, quæcumque juſta, quæcumque ſancta, quæcumque amabilia, quæcumque bonæ famæ, ſi qua virtus, ſi qua laus diſciplinæ, hæc cogitate.*

In concluſione quæ ad perfectionem ſunt, exponit Apoſtolus, q. d. hactenùs contra pſeudoapoſtolos vos monui, ſed *de cetero*, ſive quod reliquum eſt *Fratres*, quæ ad mores ſpectant, ſummatim complectar: *cogitate* & agite, *quæcumque ſunt vera*, in quo mendacium & hypocriſim excludi vult; *quæcumque pudica*, ut nec in cogitatione nec in actione leve & falſum aliquid aut libidinoſum admittatis, ſed in omni ſermone veridici, & mente & corpore pudici ſitis, & graves, & ſeveri, ex Græco. *Quæcumque juſta* erga proximum ſervanda ſunt. *Quæcumque Sancta*, id eſt, animas & corpora ſanctificantia, ut hac parte prohibeantur carnalia peccata velut impudicitia, ingluvies, ebrietas: *Quæcumque amabilia*, id eſt, talia per quæ ſitis amabiles hominibus, nihil ſit in moribus aſperum. *Quæcumque famæ bonæ.* Ne de vobis habeatur mala opinio, ſed bona ut proſit aliis: nobis enim neceſſaria eſt vita noſtra, aliis

ſama, ait *Anſel. Si qua virtus eſt*, hanc ſectamini: *Si qua laus Diſciplinæ*, hanc habete, id eſt, ea facite quæ laudem apud homines mereantur, non quæ reprehenſionem, quatenùs per hoc Deus glorificatur, ùt *Matt.* 5. ℣. 16. Abſolvit ſententiam præcipiens, ut omnia quæ jam dixit, aſſiduè cogitent ac meditentur.

℣. 9. *Quæ & didiciſtis, & accepiſtis, & audiſtis, & vidiſtis in me, hæc agite: & Deus pacis erit vobiſcum.*

Quæ omnia & *didiciſtis* me docente & *accepiſtis* à me, id eſt, quæ ego vos docui, & agenda tradidi; quæ *audiſtis* me abſente, & *vidiſtis* me præſente, q. d. hæc à vobis exigo, quæ & docui vos; & tam abſens quàm præſens opere atque exemplo monſtravi, *hæc agite*, id eſt, non tantùm cogitate, ſed & actu implete; quæ ſi feceritis, *Deus* author *pacis erit vobiſcum*, adjuvans vos ut hæc faciatis: vel eam pacem vobis cumulabit quæ exuperat omnem ſenſum, ex *Eſtio*.

℣. 10. *Gaviſus ſum autem in Domino vehementer, quoniam tandem aliquando refloruiſtis pro me ſentire, ſicut & ſentiebatis: occupati autem eratis.*

Tranſit ad gratiarum actionem: magno affectus ſum gaudio *in Domino*, id eſt, ſpirituali & Chriſtiano, quòd jam tandem velut poſt ariditatem, aut poſt hiemem revireſcentes iterùm incepiſtis pro me ſoliciti eſſe, meique curam habere, q. d. non hæc dico quaſi priſtinum ergà me affectum ad tempus intermiſiſſe vos putem, aut mei fueritis aliquando obliti: imò verò, tunc etiam *pro me ſentiebatis*, id eſt, animum gerebatis pro me ſolicitum, nec deerat largiendi voluntas, ſed oportunitas, per occupationes, quibus areſacti fueratis, ait *Hier.*

℣. 11. *Non quaſi propter penuriam dico: ego enim didici, in quibus ſum, ſufficiens eſſe.*

Non quòd hæc dicam reſpiciens ad *penuriam* quam patior, quaſi meum commodum hic ſpectem, q. d. non tam gaudeo propter me cujus indigentiam ſublevaſtis, quàm propter charitatem veſtram, quam hoc opere oſtendiſtis. *Ego enim didici* contentus eſſe iis quæ habeo, tanquam illa mihi ſufficiant: vel ſignificat id ſibi per divinam gratiam eſſe datum, quòd contentus ſit præſentibus.

℣. 12. *Scio & humiliari, ſcio & abundare: (ubique & in omnibus inſtitutus ſum) & ſatiari, & eſurire, & abundare, & penuriam pati.*

Utrumque ſtatum tenuitatis & abundantiæ novi moderatè ferre: *ſcio* quo modo me gerere debeam, dum premor inopiâ, & rursùm dum copia ſuppetit. Quem nec abundantia in ſuperbiam elevat, nec in neceſſitate cupiditas, irritat; novit *abundare*, novit *penuriam pati*, ſic *Hier.*

℣. 13. *Omnia poſſum in eo, qui me confortat.*

Omnia jam enumerata & alia quæcumque perferenda mihi ſunt, *poſſum* & præſto per eum qui mihi ad hæc omnia vires ſubminiſtrat, quique hæc omnia operatur per Chriſtum, q. d. non meum opus eſt, ſed ejus qui robur dedit, Chriſti, inquit *Theoph.*

℣. 14. *Verumtamen benè feciſtis, communicantes tribulationi meæ.*

Sed tamen vos benè feciſtis, quantùm ad vos qui quod juſtum eſt, expleviſtis *communican-*

tes veſtra bona, miniſtrantes mihi miſericorditer in afflictione mea in hoc carcere; ita *Aug.* *Anſel.* Vel benè vobis conſuluiſtis mittendo ſubſidium, quia per hoc participes facti eſtis tribulationis meæ, id eſt, præmii quod mihi propoſitum eſt apud Deum pro afflictionibus quas patior, ùt *Matth.* 10. ℣. 41. ex *Chryſ.* Per quæ contra hæreticos probatur, poſſe alios aliorum meritis apud Deum juvari & præmiorum conſortes fieri. Harum duarum interpretationum prima Latinorum eſt, quæ Eſtio præplacet, tum quia contextui conformior eſt: ſequitur enim ℣. 16. *Nulla mihi Eccleſia communicavit in ratione dati & accepti:* tum quia uſus in *Epiſtolis* Pauli videtur, quòd vocabulo *communicandi* ſignificetur bonorum ſubminiſtratio: velut ad *Rom.* 12. ℣. 13. ad *Cor.* c. 8. ℣. 4. c. 9. ℣. 13. & ad *Gal.* 6. ℣. 6.

℣. 15. *Scitis autem & vos Philippenſes, quod in principio Evangelii, quando profectus ſum à Macedonia, nulla mihi Eccleſia communicavit in ratione dati & accepti, niſi vos ſoli:*

Nulla mihi Eccleſia pro acceptis ſpiritualibus temporalia *communicavit.* Ratio autem accepti eſt quam vulgò receptam vocant, ratio dati quam miſſam. Rationem ergo accepti fecerunt, quia ſpiritualia ex me receperunt, rationem dati non fecerunt, quia nihil contrà mihi pro illis ſunt elargiti, ita *Gaig.*

℣. 16. *Quia & Theſſalonicam ſemel & bis in uſum mihi miſiſtis.*

Nam cùm eſſem *Theſſalonicæ, ſemel* & iterùm *mihi miſiſtis*, quæ *in uſus* meos erant neceſſaria, id eſt, quibus opus habebam. Dicit S. *Thomas*, *Paulum* à Theſſalonicenſibus accipere noluiſſe, ſicut nec à Corinthiis; ab his qui-

dem propter eorum avaritiam, ne offenderentur: ab illis verò, quia erant otio dediti; quibus exemplum dare voluit laborando manibus, ùt teſtatur 1. *Theſſ.* c. 2. & c. 4. & 2. *Theſſ.* c. 3. Ex quo colligitur Papam ex juſta cauſa poſſe ab una Eccleſia accipere in ſubſidium aliarum, ex. 2. *Cor.* 11. ℣. 8. Sic *S. Thomas*.

℣. 17. *Non quia quæro datum, ſed requiro fructum abundantem in ratione veſtra.*

Datum, Græcè donum ſeu munus, id eſt, non hæc refero tanquam requirens ut adhuc ſimilia mihi præſtetis, ut munus aliquod mittatis: vel non hæc dico quòd ea quæ dantur ante oculos habeam & amem. *Sed requiro fructum* accreſcentem rationibus veſtris. Si quid accipio, veſtrum eſt lucrum & commodum, dantium eſt iſta gratia, ait *Chryſ.*

℣. 18. *Habeo autem omnia, & abundo: repletus ſum, acceptis ab Epaphrodito quæ miſiſtis odorem ſuavitatis, hoſtiam acceptam, placentem Deo.*

Ex hoc rursùm promptiores eos reddit, dum gratum animum oſtendit, & ſenſus eſt: quamvis donum requiro, magìſque veſtrum fructum ſpecto quàm commodum meum, recepi tamen omnia *quæ miſiſtis* adeò largè, ut nunc abundem: *repletus ſum*, poſtquam accepi *ab Epaphrodito quæ* à vobis miſſa, ſeu donata ſunt, & hæc munera vocat *odorem bonæ fragrantiæ*, quod inſtar odoris, aut ſibi, aut potiùs Deo grata eſſent. *Hoſtiam placentem Deo*, non quòd habeant rationem ſacrificii, ſed quòd Deo accepta eſſet, perindè ac ſi ſacrificium fuiſſet ad ejus honorem oblatum, ùt *Heb.* 13. ℣. 16. Sic eleëmoſyna hoſtia appellatur, ex *Hier.*

℣. 19. *Deus autem meus impleat omne Deſiderium veſtrum ſecundùm divitias ſuas in gloria in Chriſto Jeſu.*

Vos me repleſtis, mittendo largum ſubſidium, ego viciſſim precor Deum meum ut *deſiderium* veſtrum, ſive ùt græcè legitur, *indigentiam* veſtram *impleat*, id eſt, ea quibus indigetis, uſque ad ſufficientiam ſuppleat. Etſi ego qui pauper ſum, ſimile beneficium referre nequeam; tamen Deus meus quem colo, facilè *ſecundùm divitias ſuas* id poteſt, ſcilicet vobis ſufficienter abundè ſuppeditare pro ſua opulentia: *In gloria*, id eſt, ut ſufficientia rerum hujus vitæ ita à Deo vobis detur, ut cedat ad gloriam vitæ æternæ *in Chriſto*, ſeu per Chriſtum; ùt 2. *Cor.* 9. ℣. 8. & 10. Poteſt illud *in gloria* etiam jungi cum præcedentibus, hoc modo, *ſecundùm divitias ſuas in gloria*, ſeu *gloriæ* largiter retribuendæ *per Chriſtum.*

℣. 20. *Deo autem & Patri noſtro gloria in ſæcula ſæculorum: Amen.*

De his omnibus quæ præſtitiſtis & quæ ſperatis, glorificetur Deus pater noſter in omnem æternitatem: addit *Amen*, q. d. vehementer opto.

℣. 21. *Salutate omnem Sanctum in Chriſto Jeſu.*

Salutate meis verbis ómnes fideles qui apud vos ſunt, qui *Sancti* vocantur, quia membra ſunt Eccleſiæ ſanctæ.

℣. 22. *Salutant vos, qui mecum ſunt, fratres. Salutant vos omnes Sancti, maximè autem qui de Cæſaris domo ſunt.*

Qui mecum ſunt, id eſt, Qui circa me ſunt, ùt qui mihi vincto miniſtrant, qui me viſitant;

& *Sancti* qui Romæ ſunt, id eſt, Romana Eccleſia, & *qui de domo*, id eſt, familiâ Neronis; ut Philippenſes, dum audiunt Evangelium uſque ad Aulam & familiam Neronis penetraſſe, atque ex ejus domeſticis aliquos factos eſſe Chriſtianos, gaudio & conſolatione affecti, magis in fide confirmentur: quales fuerunt Evellius & Torpentes, *ex Martyr.* 11. & 17. *Maij.* Non Seneca Philoſophus, non Lucanus, ex *Eſtio.*

℣. 23. *Gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti cum ſpiritu veſtro. Amen.*

Solita clauſula eſt, Deus per Chriſtum det vobis & multiplicet beneficia gratiæ ſuæ.

IN EPISTOLAM
B. PAULI
APOSTOLI
Ad Coloſſenſes.

ARGUMENTUM.

COLOSSENSES Aſiæ Minoris populus ab Epaphra inſtituti & converſi, à pſeudoapoſtolis à fide averſi ſunt, perſuadentibus Chriſtum nec veniſſe nec venturum, ſed Angelos noſtræ ſalutis eſſe authores; filium autem Dei majorem eſſe, quàm ut & mediatore atque interceſſore uti nobis liceat; & Judaïcas & Philoſophicas ſuperſtitiones illis prædicantibus. Primùm igitur docet Apoſtolus, non niſi per Chriſtum Dei filium per quem omnia condita ſunt, nos inſtaurari ac reconciliari cum Deo; Judaïcas autem & Philoſophicas obſervationes cum Evangeliô non eſſe miſcendas. Demùm ad bona ſectanda & mala fugienda hortatur. Scripta eſt hæc Epiſtola non Epheſi, ſed Romæ in vinculis. Miſſa eſt per Tychicum, & Oneſimum.

CAPUT I.

Congratulatur Coloſſenſium fidei: orat ut ejuſdem complementum accipiant: prædicat excellentiam Chriſti ſupra omnia, qui Eccleſiam Patri reconciliavit.

℣. 1. *Paulus Apoſtolus Jeſu Chriſti per voluntatem Dei, & Timotheus frater:*

INitio ſtatim tacitè Coloſſenſium ſuſtulit dogma, cùm *Chriſti* ſe dicit, non Angelorum *Apoſtolum*, qui non ſemetipſum ad Apoſtolatum ingeſſit, ſicut pſeudoapoſtoli, ſed Deo volente & jubente illud ſuſcepit. *Timotheum* ſibi adjunxit ut & in fronte Epiſtolarum ad *Philipp.* & ad *Philem.*, quæ putantur ſimul miſſæ cum hac Epiſtola.

℣. 2. *Eis, qui ſunt Coloſſis, Sanctis, & fidelibus fratribus in Chriſto Jeſu.*

Per *Sanctos & fideles & fratres in Chriſto* iidem ſignificantur, ut diximus alibi: vel *fideles* non ideò dumtaxat vocamur quòd credidimus, ſed propterea quòd myſteria iſta nobis à Deo concreduntur, quæ neque Angeli ante nos cognoverunt, ex *Chryſ.*

℣. 3. *Gratia vobis & pax à Deo Patre noſtro, & Domino Jeſu Chriſto. Gratias agimus Deo, & Patri Domini noſtri Jeſu Chriſti, ſemper pro vobis orantes :*

Conſueta hæc ſalutatio quâ *gratiam*, id eſt, omne genus beneficiorum, & *pacem* ſeu ejuſmodi beneficiorum tranquillam poſſeſſionem precatur *à Deo*, in quo dilectionem ſuam declarat, & in eo quòd pro illis orabat & in eo quòd eos quos non viderat, ſemper in animo ſuo habebat, ait *Chryſ.*

℣. 4. *Audientes fidem veſtram in Chriſto Jeſu, & dilectionem quam habetis in Sanctos omnes,*

Gratias, inquit, agimus, quia per Epaphram nobis renunciata eſt *fides veſtra*, non quæ in Angelis conſtet, ſed quæ *in Chriſto*, ùt notat *Theoph.* id eſt, quâ creditis in Chriſtum : vel quam habetis de univerſo myſterio *Chriſti.* Hinc colligitur fidem eſſe Dei donum : nam gratiarum actio gratiæ teſtificatio eſt. Et *audientes* charitatem veſtram quam exercetis erga quoſcumque *fideles*. Notat *Eſtius* Apoſtolum non dixiſſe *in omnes homines*, cùm alioqui dilectio debeat eſſe in omnes etiam inimicos & infideles; quia loquitur de dilectione non *affectu* tantùm, ſed *opere*, maximè quoad ſubventionem neceſſitatis atque inopiæ: qua in re cùm Chriſtianus nequeat omnibus aſſiſtere, primò id facere debet iis qui proximiores ſunt, quales ſunt *Fideles* reſpectu infidelium : juxta *Gal.* 6. ℣. 10. & ad *Rom.* 12. ℣. 13.

℣. 5. Propter ſpem, quæ repoſita eſt vobis in cœlis: quam audiſtis in verbo veritatis Evangelii:

Quam charitatem in omnes ſanctos exercetis *propter* futura ac ſperata præmia, *quæ repoſita vobis* ſunt apud Deum in regno cœlorum. De qua ſpe, inquit, *audiſtis* jam antè per prædicationem veriſſimi *Evangelii.*

℣. 6. Quod pervenit ad vos, ſicut & in univerſo mundo eſt, & fructificat, & creſcit ſicut in vobis, ex ea die, quâ audiſtis, & cognoviſtis gratiam Dei in veritate,

Quod pervenit, Græcè *quod præſens eſt*, non enim advenit ad vos & receſſit, ſed manſit ac præſens eſt; ut notat *Chryſ.*; quemadmodùm *& in toto mundo* non ſolùm prædicatum eſt & receptum, verùm etiam fructum adfert & latiùs propagatur; *fructum* intellige bonorum operum quibus Deus glorificatur, aut fructum ſalutis animarum *in univerſo mundo*; id eſt, in plurimis regionibus; *ſicut in vobis*, ſubaudi, *fructificat & creſcit*; q. d. non nuper in vobis fructificare & creſcere cœpit, ſed à prima *die quâ* per ejus prædicationem *audiviſtis & cognoviſtis* veram doctrinam *de gratia*, hoc eſt, de gratuita beneficentia Dei, quâ ſalvare conſtituit genus humanum per Chriſtum.

℣. 7. Sicut didiciſtis ab Epaphra chariſſimo conſervo noſtro, qui eſt fidelis pro vobis miniſter Chriſti Jeſu,

Confirmat ſuo calculo doctrinam quam *ab Epaphra* cive ſuo & magiſtro didicerant, & laudat eum à fidelitate miniſterii Evangelici,

ut ne à doctrina quam ab eo didicerant, per novos magiſtros abduci ſe patiantur: nihil prorſus innuens de ſuo apud illos miniſterio; ſolùm enim refert audita.

℣. 8. *Qui etiam manifeſtavit nobis dilectionem veſtram in ſpiritu:*

In Spiritu, id eſt, ſpiritualem, quam opponit carnali, qualem fuiſſe inter Simonianos tradit *Epiph.*

℣. 9. *Ideo & nos ex qua die audivimus, non ceſſamus pro vobis orantes, & poſtulantes ut impleamini agnitione voluntatis ejus, in omni ſapientia & intellectu ſpirituali:*

Poſtquam *nos* Paulus & Timotheus *audivimus* fidem veſtram & dilectionem, non deſinimus orare, *ut impleamini:* clam indicat quòd nondùm ad perfectum pervenerint, ſed ne eos contriſtet, ait *impleamini*, cùm dicendum fuiſſet, *confirmemini* in *agnitione voluntatis* Dei; quæ eſt autem voluntas Patris? Niſi ut homines per filium ad ipſum adducantur, & non per Angelos, ùt notat *Oecum.* Quo ſenſu voluntatem Dei ter nominat Apoſtolus ad *Epheſ.* c. 1. Alii de voluntate Dei quæ conſiſtit in præceptis, Apoſtolum exponunt, cujus *agnitione* implentur, qui practicè cognoſcunt ea quæ Deus à nobis vult fieri; & ſenſus eſt, *ut impleamini* notitiâ *voluntatis* divinæ; *in omni ſapientia* ſive per omnem, id eſt, perfectam quandam *ſapientiam* & prudentiam *ſpiritualem*, quam ſic vocat, ut à carnali quam ſæcularis Philoſophia vel ſchola Simonis oſtentabat, eam ſeparet; *ſpiritualem* inquam, id eſt à Spiritu ſancto profectam; ex *, ſtio.*

℣. 10. *Ut ambuletis dignè Deo per omnia placentes : in omni opere bono fructificantes , & creſcentes in ſcientia Dei :*

Ut vivatis & converſemini *dignè Deo*, Græcè, *dignè* Domino Chriſto, id eſt, ſicut decet Chriſti fideles ac diſcipulos, ita ut ipſi *per omnia* placeatis. Nam Chriſtiani hominis unicum ſtudium eſſe debet, ut Chriſto Domino ſuo placeat, ſuaſque actiones ei probet, ſicque *in omni bono opere* fructificet. *Creſcit* autem in agnitione ſive *ſcientia Dei*; qui in divinorum myſteriorum notitia quotidiè proficit.

℣. 11. *In omni virtute confortati ſecundùm potentiam claritatis ejus in omni patientia, & longanimitate cum gaudio,*

Senſus eſt, item precor vobis ut contra tentationes & impugnationes adverſariorum magnâ *virtute* corroboremini juxta *potentiam* glorioſam *ejus* ſcilicet Dei, quia potentia Dei relucet & glorificatur in fortitudine & patientia Chriſtianorum, velut cauſa in effectu, ut *Eph.* 3. ℣. 16.

℣. 12. *Gratias agentes Deo Patri, qui dignos nos fecit in partem ſortis Sanctorum in lumine :*

Non ceſſamus, inquit, pro vobis orare Deum, ut ea præſtet quæ jam dicta ſunt; item non ceſſamus pro vobis *gratias agere* propter ea quæ jam præſtitit. *Qui* dignatus eſt nos aſſumere *in partem hæreditatis* electorum & *Sanctorum* ſuorum, id eſt, qui nobis dignitatem & excellentiam illam contulit, ut eſſemus inter Sanctos & electos ejus, ſcilicet participes ejuſdem cum

illis

illis hæreditatis cœleſtis. Contulit autem omnino gratìs ac ſinè ullo noſtro merito, ùt *Epheſ.* 1. ℣. 11. ex *Chryſ.* & *Theoph.* Quod addit Apoſtolus *in lumine*, ſignificat vel lumen veritatis ac fidei quo nós illuminavit; vel *quæ eſt in lumine*, id eſt, *in partem Sanctorum*, quæ eſt *in lumine* ſcilicet æterno ſeu Deo ſecundùm Joannem 1. *Epiſt.* c. 1. ℣. 5.

℣. 13. *Qui eripuit nos de poteſtate tenebrarum, & tranſtulit in regnum filii dilectionis ſuæ.*

De poteſtate tenebrarum, id eſt, diaboli, ex *Aug. Ep.* 107. ùt *Luc.* 22. Diabolus autem vocatur *tenebræ*, quia per peccatum totus factus eſt tenebroſus, utpote totus à Deo, qui vera lux eſt, averſus; vel *tenebræ* ſunt homines infideles, ùt *Epheſ.* 5. ℣. 8. vel errores & peccata hominum: Qui *tranſtulit* nos *in regnum filii* ſui dilecti, ùt *Epheſ.* 1. ℣. 6. ſic & pater voce cœliſtis miſsâ *hic eſt filius meus dilectus.* Hujus *filii regnum* Apoſtolus hoc loco Eccleſiam intelligit. Hæc enim & corpus eſt, & regnum Chriſti, & domus Dei. Transferuntur homines in hoc regnum, quando erepti de poteſtate diaboli inferuntur, atque incorporantur Eccleſiæ Chriſti, quod quomodò fiat, explicat verſu ſequenti.

℣. 14. *In quo habemus redemptionem per ſanguinem ejus, remiſſionem peccatorum:*

Dicit ergo nos *in filio*, ſivè per filium habere *redemptionem* plenam ex Græco, ùt notat *Chryſ.* quia per ſanguinem ejus, velut pretium Patri oblatum, hoc eſt, per paſſionem ejus & mortem redempti ſumus è ſervitute peccati, mortis, & diaboli, quam totam redemptionem

remiſſio peccatorum complectitur. Græca plura, quibus annuunt Biblia Clementina, legunt, in quo habemus redemptionem *per ſanguinem ejus*, quæ ultima videntur huc adſcripta, ex *Epheſ.* c. 1. ℣. 7.

℣. 15. *Qui eſt imago Dei inviſibilis, primogenitus omnis creaturæ :*

Chriſtus dicitur *imago* Patris, quia per omnia illi perfectiſſimè & in natura ſimilis, & quia Patrem repræſentat, ſicut ipſe dicit. *Qui videt me, videt & Patrem. Joan.* 14. ℣. 9. *Dei inviſibilis*, quia nullus intellectus creatus poteſt naturaliter attingere ad videndam ejus eſſentiam : vel quòd *inviſibilis* ſit hominibus in hac vita, ùt 1. *Tim.* 6. ℣. 16. ex *Th. Primogenitus*, quia ante *omnem creaturam* genitus, utpotè ab æterno, & per hoc omni creaturâ præſtantior, atque in univerſam creaturam principatum habens, ùt *Eccl.* 24. ℣. 5. Quidam dicunt ſecundùm humanam naturam dici *primogenitum* : vel quòd ſecundùm eam ſit omnibus aliis excellentior, quomodo primogenitus cæteris filiis anteponi ſolet : vel eo ſenſu quo idem, *Rom.* 8. ℣. 29. vocatur *primogenitus in multis fratribus*, ſcilicet per gratiam unionis in quantum eſt homo Deus, ſic *Fulgent. reſp.* 3. *cont. Aria. creaturam* intelligens eos, qui per adoptionem filii Dei ſunt, eoque nomine fratres unigeniti : ſed hoc coactum eſt : nam Chriſtus ùt Dei filius non eſt creatura, ùt apertè patet ex verſu ſequenti. Dicitur autem *Primogenitus* non tempore, ſed honore : juxta illud, *filius meus primogenitus Iſraël.*, *Exod.* 4. ℣. 22. ex *Hier.*

℣. 16. *Quoniam in ipſo condita ſunt univerſa in cœlis, & in terra, viſibilia, & inviſibilia, ſive throni, ſive dominationes, ſive principatus, ſive poteſtates: omnia per ipſum, & in ipſo creata ſunt:*

Chriſtum eſſe primogenitum omnis creaturæ oſtendit Apoſtolus ex eo, quia ſic ex Deo natus eſt, ut per eum Deus omnia creaverit, tam cœleſtia, quàm terreſtria ùt *Joan.* 1. ℣. 3. Et hîc quidem non dicit *cælum* & *terram*, ſed *ea quæ in cælo* & *in terra ſunt:* quod ita dicit contra Simonianos, qui ſpirituales creaturas ùt Angelos cœleſtes ſub peregrinis nominibus, ſuprà quàm fas eſt, extollebant, ùt notat *Iren.* & *Epiph. Viſibilia & inviſibilia.* Id eſt corporea & incorporea, & hoc contra Simonem, qui Angelos ab Ennea, quam vocabat, creatos eſſe, deindè ab Angelis mundum corporeum ipſoſque homines, ùt refert *Epiph. In ipſo*, id eſt, per ipſum omnia creata dicuntur, vel quòd eadem creata ab ipſo conſerventur, ùt Græci: vel potiùs propter ipſum creata ſunt & ad ipſum ùt finem omnia referuntur: id enim propoſitio græca magis ſignificat. Ex hoc verſu cùm optimè colligatur Dei filium non eſſe factum, quia ipſe per ſe ipſum fieri non potuit ùt colligit *Aug. tract.* 1. *in Joan.*, pari rationis evidentiâ colligitur eum conditum & creatum non eſſe: quia per ſe ipſum condi ſeu creari non potuit, ex *Eſtio.*

℣. 17. *Et ipſe eſt ante omnes, & omnia in ipſo conſtant.*

Ante omnes, vel *ante omnia*, ùt habet editio ſyriaca, quo ſenſu Græci exponunt: qui etiam obſervant non dicere Apoſtolum. *Et ipſe factus eſt*, ſed *ipſe eſt ante omnes*. Quod, inquiunt Deo maximè proprium eſt: ita & Chriſtus in

Evang. Joan. 8. ℣. 58. dicit, *Antequam Abraham fieret, ego ſum*, non ait, *Ego factus ſum*. *Et omnia in ipſo conſtant.* Id eſt, *omnia* per ipſum conſiſtunt & conſervantur; quod & ipſum Deo proprium eſt non minùs, quàm per ipſum omnia creata eſſe, nam converſatio non aliud eſt, quàm creatio quædam continuata. Hactenùs ea quæ ad ſuperiorem Chriſti naturam pertinent expoſuit; nunc ad redemptionis noſtræ myſterium explicandum accedens, humanæ ejus naturæ dignitatem proſequitur.

℣. 18. ***Et ipſe eſt caput corporis Eccleſiæ, qui eſt principium, primogenitus ex mortuis: ut ſit in omnibus ipſe primatum tenens.***

Et idem *ipſe eſt caput Eccleſiæ*, tanquam *corporis*, ſui utique ſecundùm humanam naturam. Chriſtus enim ùt homo præeſt Eccleſiæ, eamque movet & regit ùt corpus ſuum connaturale, varia gratiarum genera per ſuæ paſſionis meritum in eam derivans, ùt *Epheſ.* c. 1. ℣. 22. *Qui eſt principium* rerum omnium: vel meliùs *Eccleſiæ*, caput enim corporis principatum obtinet: ex *Hier.*; vel *principium* reſurrectionis, *ex Chryſ.* id eſt, *primitiæ*, quemadmodùm enim primitiæ primus & præcipuus eſt fructus Deo dedicatus, ita & Chriſtus fructus eſt unus & præcipuus pro nobis Deo Patri oblatus, ùt 1. *Cor.* 15. ℣. 20. *Primogenitus ex mortuis*, ſic etiam vocatur *Apoc.* 1. ℣. 5. *primogenitus mortuorum*, id eſt, reſurgentium ad vitam immortalem; benè autem ait *primogenitus*; quia reſurrectio quædam *regeneratio* eſt, uti à Chriſto vocatur *Matth.* 19. ℣. 28. Surrexit autem primus non ſolùm tempore; ſed etiam dignitate & cauſalitate. Ex his deducit Apoſtolus Chriſtum *primatum* habere *in omnibus* quæ circa

ipſum conſiderantur: nam quoad generationem ejus æternam Dei filius naturalis primatum tenet ſuper omnia: quoad humanam verò, Primogenitus eſt omnium mortuorum qui beati donabuntur immortalitate, ex *Eſtio*.

℣. 19. *Quia in ipſo complacuit, omnem plenitudinem inhabitare :*

Nam & complacitum eſt Patri, ut in Chriſto fixam haberet ſedem omnis gratia ad plenum uſque. Dicendo *Complacuit*, id eſt, benigna voluntas fuit, meritum excludit. Non enim Chriſtus meruit illam gratiæ *plenitudinem*, ſed ex ſolo Patris beneplacito eam ab initio accepit, ex *Chryſ.* In eo autem quod ait, *omnem plenitudinem* intelligi voluit nihil gratiæ, nullamque ejus perfectionem, quæ Chriſto ut capiti Eccleſiæ congruat, ipſi deeſſe ex quo tamquam capite omnia membra gratiam habent *Joan.* 1. ℣. 16. ex *Hier.* *Inhabitare* permanentiam & perpetuitatem ejuſdem gratiæ ſignificat, ex *Eſtio*.

℣. 20. *Et per eum reconciliare omnia in ipſum, pacificans per ſanguinem crucis ejus, ſive quæ in terris, ſive quæ in cælis ſunt.*

Eum ad Chriſtum referunt, *ipſum* ad Patrem, tametſi in græco nulla pronominis variatio, poſſitque de Chriſto utrumque rectiùs intelligi: ut ſenſus ſit, & complacuit Patri per Chriſtum omnia *in ipſum* vel ad ipſum tanquam commune caput *reconciliare*. Per Chriſtum, inquam, non per Angelos, quos ut reconciliatores in locum Chriſti Simon introducebat: quandoquidem & illi beneficium hoc reconciliationis per Chriſtum factæ, ſuo modo participent & ſub eo quod dixit *omnia* comprehenduntur, ut *Epheſ.* 1. ℣. 10. inſtaurare omnia *in Chri-*

ſto&c. (*Pacificans* ſeu pace factâ *per ſanguinem crucis ejus.*) Non dicit Apoſtolus per Chriſtum cœleſtia Deo reconciliari, aut cum Deo pacificari, ſed cœleſtia & terreſtria, id eſt, homines & Angelos inter ſe, quod fit dum per Chriſtum tollitur obſtaculum peccati quod homines ab Angelis dirimebat, ùt notat *Aug. Ench.* 61. 62. & 63. quod illuſtratur ſimili ferè textu *Epheſ.* 2. ℣. 16. ut ſit ſenſus, Deus Pater voluit per Chriſtum *omnia*, nimirùm cœleſtia & terreſtria, id eſt, Angelos & homines inter ſe reconciliare uniendo eos tanquam unum corpus in Chriſto ùt capite, pace inter eos compoſitâ per ſanguinem ejus in cruce effuſum, quo peccatum quod erat inimicitiæ cauſa, deletum eſt, ùt *Epheſ.* 1. ℣. 10. Nec aliam pacem arbitror intelligi in eo quod *Luc.* 19. ℣. 38. dicitur, *Pax in cœlo & gloria in excelſis.* Sic *Eſtius* poſt *Chryſ.*

℣. 21. *Et vos cùm eſſetis aliquando alienati, & inimici ſenſu in operibus malis:*

℣. 22. *Nunc autem reconciliavit in corpore carnis ejus per mortem, exhibere vos ſanctos, & immaculatos, & irreprehenſibiles coram ipſo:*

Quod in genere de Chriſti pacificatoris officio ac beneficio dixit, nunc ſpeciatim ad Coloſſenſes accommodat, iiſque impenſum docet, ut magis ſtudeant ſubjici dominio tanti regis, & non ſint ingrati tantis beneficiis, ait *Anſel.* Placuit, inquit, Deo per Chriſtum reconciliare ſibi omnia, & *vos* etiam, ô Coloſſenſes, reconciliare ſibi per eundem voluit, *cùm aliquando* ante fidem eſſetis à Deo *alienati*, per ejus ignorantiam diis alienis adhærentes, & *inimici* ejus non naturâ, ſed *ſenſu*, mente, cogitatione ac ſtudio *in malis operibus*, id eſt, per opera

à quibus toti addicti eratis: vos, inquam, *nunc* idem Chriſtus Dominus Deo Patri *reconciliavit*, non per Angelos ad hoc miſſos, ſed per ſemetipſum, utpotè, per ſuum ipſius corpus infirmum & mortale quod ſuſceperat: dico per mortem in eo corpore toleratam, ùt *Heb.* 5. ℣. 7.; *ut exhiberet* ac ſiſteret *vos* Deo Patri ſuo *ſanctos, irreprehenſibiles* atque inculpatos; nimirùm mundatos à peccatis per baptiſmum quo meritum paſſionis ejus applicatur, ùt *Eph.* c. 1. ℣. 4. & c. 5. ℣. 27.; quibus docetur contra hæreticos veram & internam juſtitiam à Chriſto nobis conferri, quæ verè *ſanctos & immaculatos* coram Deo nos conſtituat. Vide ſi ſciebat, ſe impoſſibilia præcepiſſe, ait *Hier.*

℣. 23. *Si tamen permanetis in fide fundati, & ſtabiles, & immobiles à ſpe Evangelii, quod audiſtis, quod prædicatum eſt in univerſa creatura, quæ ſub cœlo eſt, cujus factus ſum ego Paulus miniſter.*

Ne laxos reddat ipſos, & exiſtiment quòd Chriſti mors rem omnem peregerit, nec deinceps opus ſit quopiam noſtro opere, addit. *Si tamen permanetis in fide ſpei Evangelii*, nec utcumque permanetis: contingit enim & fluctuantem permanere: ſed *fundati*, inquit ac *ſtabiles*, ne dimoveamini, *à ſpe Evangelii*, à ſpe bonorum cœleſtium, quæ promittit Evangelium, *quod audiſtis* ab Epaphra fideli miniſtro Chriſti, ita *Oecum.* Dimovetur autem ab hac qui non permanet in fide Evangelii promittentis, *quod prædicatum eſt in univerſa creatura*, intellige humana, ùt 1. *Pet.* 2. ℣. 13. *Marc. ult.* ℣. 15. *Mat. ult.* ℣. 29. Quod quomodo verum ſit, cùm ad multas gentes non pervenerit, diximus, *Rom.* 10. ℣. 18., intellige ad quamplu-

rimas. *Cujus* Evangelii prædicandi munus ac miniſterium mihi *Paulo* à Chriſto Domino concreditum eſt : jam enim magnum erat *Pauli* nomen ob mirabilem ejus converſionem & labores pro ſide ſuſceptos, & quia totius orbis Doctor erat, ex *Chryſ.* Hoc adjicit ne minoris æſtimarent Evangelium, quòd id non ab Apoſtolo, ſed ab Epaphra diſcipulo audiviſſent.

℣. 24. *Qui nunc gaudeo in paſſionibus pro vobis, & adimpleo ea, quæ deſunt paſſionum Chriſti, in carne mea pro corpore ejus, quod eſt Eccleſia :*

Et adeò, inquit, certa ſpes eſt Evangelii quod etiam propter ipſam pati eligo & *in paſſionibus gaudeo*. Patior autem non pro meipſo, ſed propter vos ut vos juvare poſſim, ita *Oec. Et adimpleo ea quæ deſunt paſſionum Chriſti, in carne mea*, quod *Ambroſianus* magis ad verbum reddidit, *Et ſuppleo reliquias preſſurarum Chriſti in carne mea.* Quod ergo noſter interpres dixit : *ea quæ deſunt paſſionum Chriſti*, non ſic accipiendum quaſi inſufficiens fuerit Chriſti paſſio, ideòque ſupplemento martyrum opus habeat : quod impium & hæreticum eſſe *S. Thomas* pronunciat, eo quod Chriſti ſanguis ſufficiens ſit ad redemptionem etiam multorum mundorum. Sed ſignificatur, *ea quæ reliqua ſunt paſſionum Chriſti*, id eſt, *quæ poſteriùs adhuc reſtant toleranda* : id enim ſibi vult græca dictio, [illegible] *S. Aug. in enarr. Pſal.* 61. *L. ſerm. ult. de paſſ. Dom. Greg. l.* 3. *mor. c.* 11. quos plerique Latini ſequuntur, per *paſſiones Chriſti* hìc intelligunt eas quas Chriſtus, poſtquam ſemel paſſus eſt in propria carne, debet adhuc indies pati in membris ſuis, id eſt, in fidelibus uſque ad finem ſæculi. Qui intellectus fundatur in verbis Chriſti *Matth.* 25. ℣. 40. *Quamdiu feciſtis uni ex*

his fratribus meis minimis, mihi feciſtis. Nonnulli, inter quos *Photius*, *paſſiones Chriſti* hic interpretantur eas, quas pro Chriſto patiuntur fideles, ſicut ille pro omnibus paſſus eſt, juxta illud, 1. *Petri* 2. ℣. 21. *Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum ut ſequamini veſtigia ejus.* Chriſtus ergo pro nobis paſſus eſt, quid jam reliquum eſt, niſi ut illi compatiamur & coaffligamur; hoc qui facit, ait *Hier.*, adimplet id quod afflictionibus Chriſti deerat, non ex parte Chriſti, ſed ex parte ſua. Hic ſenſus facilior eſt, idemque minimè contemnendus, ait *Eſtius.* Coincidit autem cum priore in eo quòd defectum ſeu potiùs *reliquias* paſſionum Chriſti conſtituat in paſſionibus quas Apoſtoli & fideles omnes in propria carne paſſi ſunt, & patientur uſque ad finem ſæculi pro propagatione Evangelii & bono totius Eccleſiæ & uniuſcujuſque in particulari: hoc enim ſolum ſupererat à fidelibus ſupplendum poſt paſſionem & mortem Chriſti, ut ſic ejus merita fidelibus applicarentur. Item coincidunt illi duo ſenſus jam dati in eo, quòd per paſſiones Chriſti intelligant paſſiones quas ipſi fideles *in carne ſua* patiuntur: differunt verò in hoc ſolo, quòd juxta priorem ſenſum *Paulus* paſſiones fidelium vocet *paſſiones Chriſti*; quia Chriſtus illas cenſetur pati in membris ſuis: juxta poſteriorem autem, quia fideles eas pro Chriſto & vice Chriſti patiuntur in conformitatem paſſionum ejus. Dicit igitur Apoſtolus ſe *adimplere ea quæ deſunt* ſeu potiùs ſuperſunt poſt Chriſti paſſiones ab ipſo facienda & ſuſtinenda in prædicatione Evangelii; idque *in carne ſua*, quæ verba reſpiciunt ℣. 22., & ſignificant, quòd, ſicut Chriſtus nos *reconciliavit in corpore carnis ſuæ per mortem*, ita *Paulus in carne ſua* plurima patiatur. *Pro cor-*

pore ejus, id eſt, pro corpore Chriſti myſtico, *quod eſt Eccleſia*, ut, hæc congregetur & perficiatur: quibus ſignificat, non tantùm paſſiones ſuas fructuoſas eſſe Eccleſiæ, verùm etiam ſe patiendo id ſpectare, ſeu ùt finem intendere, ut paſſiones ſuæ Eccleſiæ proſint. Græci quamvis illud, *pro corpore ejus* ſic intelligant, ùt jam diximus; tamen locum hunc paulò aliter quàm Latini exponunt: Volunt enim Apoſtolum dicere, multis laboribus opus eſt ad colligendam Eccleſiam & homines ad fidem vocandos & ad ſalutem perducendos; hujuſmodi labores & paſſiones multas Chriſtus in hac vita in carne ſua ſuſtinuit; Verùm multæ adhuc reſtant tolerandæ toto decurſu ſæculi, donec tota Eccleſia collecta atque perfecta fuerit: tolerandæ, inquam, ab iis quibus Evangelii prædicandi miniſterium incumbit; quæ proinde *Chriſti paſſiones* dicuntur; quia paſſiones ſunt *Miniſtrorum* ejus: ex *Chryſ.* Harum ego, inquit *Paulus*, partem meam *adimpleo*, tamquam *Miniſter* Evangelii laborans & patiens pro ſalute Eccleſiæ. Qui ſenſus Græcorum vix differt à ſecundo ſuperiùs dato. Notat autem *Eſtius*, malè à quibuſdam ex hoc loco erui, Sanctorum paſſiones fidelibus prodeſſe ad remiſſionem pœnarum, quæ dicitur *indulgentia*. Doctrina enim hæc, etſi Catholica & veriſſima atque aliunde ſufficienter probata ſit, ex hoc loco non videtur ſolidè ſtatui poſſe, cùm dictum Apoſtoli, quo ſe pro Eccleſia pati aſſerit, rectiùs videtur accipiendum pro Eccleſia congreganda & perficienda, ùt Latini & Græci communiter illud intelligunt, quàm pro redimendis peccatorum pœnis.

℣. 25. *Cujus factus ſum ego miniſter ſecundùm diſpenſationem Dei, quæ data eſt mihi in vos, ut impleam verbum Dei:*

Cujus, inquit, Eccleſiæ, corporis & ſponſæ Domini mei *factus ſum ego miniſter ſecundùm* œconomiam ſeu providam *diſpenſationem* Patris familias *Dei*, ſuum unicuique officium diſtribuentis, quâ mihi miniſterium erga vos attribuit, gentium Apoſtolum me conſtituens; ut proindè me totum pro Eccleſia impendere debeam, nec ullos pro ea recuſare labores. *Secundùm diſpenſationem Dei.* Convenit cum ℣. 2. c. 3. ad *Epheſ. Ut impleam*, id eſt, ut plenè ac perfectè annunciem *verbum Dei:* vel *ut* miniſterio meo *impleam* æternum *Dei verbum*, id eſt, propoſitum ac decretum de vocatione Gentium ad fidem, vel de Incarnatione; vel deniquè quod probabilius eſt, *ut* omnia loca *impleam verbo Dei*, ùt *Rom.* 15. ℣. 19.

℣. 26. *Myſterium, quod abſconditum fuit à ſæculis, & generationibus, nunc autem manifeſtatum eſt ſanctis ejus,*

Per appoſitionem hoc addit: nam verbum Dei *myſterium* eſt, ſive res arcana quatenùs ſigno tribuitur conditio rei ſignificatæ: loquitur autem de myſterio vocationis Gentium, vel Incarnationis, ut ſenſus ſit, *myſterium* hoc *abſconditum* & incognitum fuiſſe hominibus omnium præcedentium ſæculorum & generationum, ùt *Eph.* 3. ℣. 5., *nunc* verò demùm *manifeſtatum* eſſe *Sanctis Apoſtolis ejus, & Prophetis in Spiritu*, ùt ait *ad Epheſ.*; ubi diximus quomodo Patres & Prophetas illud latere potuerit, à quibus tamen prænunciatum fuit; non enim ita clarè & perfectè con-

cilium vocationis Gentium cognoverunt ſicuti per revelationem cognitum fuit Apoſtolis Chriſti, ideòque illic comparativè dictum fuit, *ſicut nunc revelatum eſt*; itaque & nunc quoque abſconditur, ſiquidem ſolis patefactum eſt *ſanctis*, ait *Chryſ.*

℣. 27. *Quibus voluit Deus notas facere divitias gloriæ Sacramenti hujus in Gentibus, quod eſt Chriſtus, in vobis ſpes gloriæ,*

Quibus ſanctis ſuis *voluit Deus* notum *facere*, quanta ſit & quàm glorioſa magnitudo hujus beneficii quondam latentis & ſecreti, quod nunc per Gentes exhibet: quod beneficium explicat, *Epheſ.* 3. ℣. 6. *Gentes cohæredes*, &c. *Quod eſt*, græcè, *qui eſt Chriſtus incarnatus*; vel *quod* quidem *myſterium Chriſtus* eſſe dicitur objectivè, quia circa ipſum verſatur ut authorem & cauſam meritoriam beneficii & ut caput totius corporis, qui *Chriſtus eſt vobis ſpes gloriæ*, id eſt, veſtra ſpes glorioſa, tum quia in eo vobis gloriandum eſt, tum quia ab eo & per eum futuram gloriam expectatis, *Rom.* 15. Si verò Chriſtus in vobis eſt, ad quid Angelos quæritis, ait *Chryſ.*

℣. 28. *Quem nos annunciamus, corripientes omnem hominem, & docentes omnem hominem, in omni ſapientia, ut exhibeamus omnem hominem perfectum in Chriſto Jeſu.*

Quem Chriſtum *nos* Apoſtoli mundo *annunciamus* ex alto, ùt Græci legunt velut è ſupernis Chriſtum adferentes, ita *Chryſ.* & *Theoph.* *Annunciamus* ſcilicet quòd Gentes ſperant per eum & conſequentur gloriam ſine lege, ita *Anſel.* *Corripientes*, id eſt, monentes *omnem ho-*

nientem, græcè cum increpatione, quomodo pater admonet filium peccantem: & cum *omni ſapientiâ* quâ præditi ſumus, *docentes omnem hominem*; ita Græci: nam multiplici ſcientiâ opus eſt ei, qui omnem hominem docturus ſit, & fidei myſteria perſuaſurus, ùt *Epheſ.* 3. ℣. 4. Vel inſtituentes *omnem hominem* in perfecta cognitione Dei & myſteriorum fidei; quæ eſt vera ſapientia; *ut omnem hominem* reddamus & Deo ſiſtamus *perfectè* inſtructum in his quæ ad fidem & cognitionem Chriſti pertinent: quanquam etiam extendi poſſit ad vitam & mores Chriſtianos, ita *Aug.* & *Anſel.* & *Thom.*

℣. 29. *In quo & laboro, certando ſecundùm operationem ejus, quam operatur in me in virtute.*

In quem finem, vel ad quod præſtandum, etiam enitor, multùmque *laboro*, cum difficultate & periculo decertans, ùt 2. *Tim.* 2. ℣. 9. *Secundùm operationem*, græcè, *ſecundùm efficaciam ejus*, q. d. non meum hoc opus eſt; qui enim me fortem facit, & ut ſufficiens ſim ad reſiſtendum adverſariis, Chriſtus eſt qui *in virtute*, id eſt, potenter *operatur in me* ut poſſim, ita *Oecum.* Declarat hoc opus eſſe Dei, ex *Chryſ.*

CAPUT II.

Hortatur eos ut in fide ambulent &
veant ab impoſturis pſeudoapoſtolor
oſtendens Chriſti in cruce victoria
& à legalibus obſervationibus, & à
ſa Angelorum religione avocat.

℣. 1. *Volo enim vos ſcire qualem*
citudinem habeam pro vobis, & pr
qui ſunt Laodiciæ, & quicumque
viderunt faciem meam in carne:

Ualem ſollicitudinem, Græ
quantum certamen habeam d
bis, id eſt, ſuſtineam pro vob
pro vicinis Laodicenſibus &
ceteris qui *me non viderunt*.
nificat enim ſe non minorem
loſſenſium & ceterorum à quibus nunquam
ſus fuerat, curam ſalutis habere, quàm
rum quibus præſens Chriſtum prædicaveri
Theod. Vel addit *in carne*, ut intelligant p
faciendam eſſe præſentiam ſpiritûs quàm
nis; undè colligunt *Paulum* Coloſſis &
diceæ fuiſſe, ex *Eſtio*.

℣. 2. *Ut conſolentur corda ipſorum*,
ſtructi in charitate, & in omnes a
tias plenitudinis intellectûs, in agni
nem myſterii Dei Patris & Chriſti Je

Ut conſolentur, Græcè, *ut conſolationem*
accipiant corda ipſorum, ſcilicet Coloſſenſ

Laodicenſium, & ceterorum qui Paulum non viderant, quorum magna erat conſolatio quòd pro ipſis etiam non viſis tantam ille curam haberet: *Inſtructi*, græcè, inſtructorum vel *conſtructorum in charitate*, inſtar partium unius ædificii, ſeu membrorum unius corporis, cùm inter ſe per charitatem conjuncti fuerint velut quoddam vinculum unionis, & cùm fuerint introducti *in omnes divitias*, id eſt, largiſſimam copiam plenæ intelligentiæ; amplificatio Rhetorica eſt, pro eo quod ſimpliciter diceret, & cùm fuerint plenè edocti, ſcilicet de myſterio, ùt ſequitur: *in agnitionem Dei Patris*. Pars hæc appoſitivè legenda eſt; explicat enim partem præcedentem, oſtendens de qua ſcientia ſit ibi ſermo: q. d. in cognitionem, inquam, ejus *myſterii* quod eſt de Deo, diviniſque perſonis, de Incarnatione filii Dei, & de arcanis redemptionis noſtræ. Itaque Dei eſt hoc myſterium, per filium reconciliari & acceſſum habere ad Patrem, ex *Chryſ.*

℣. 3. *In quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ abſconditi.*

In quo ſcilicet Chriſto: Græci & Latini hoc exponunt de ſcientia divina quæ in Chriſto eſt, ut Dei verbo; licèt ad ſcientiam humanam accommodari poſſit, quod facit Lyranus & alii, idque per quandam conſequentiam, quatenùs ex increata ſapientia in animam Chriſti, cui hypoſtaticè unitur, influit ſapientiæ creatæ plenitudo & perfectio ſed finita tamen: cùm alioquin mens Apoſtoli ſit eam ſcientiæ magnitudinem & perfectionem Chriſto attribuere, cui nihil accedere poſſit, quæque prorsùs inexhauſta & infinita ſit; quæ profectò non alia eſt quàm divina: & eò ſpectat id quod ℣. 9. *hujus cap.* velut hujus rationem indicans dicit, *Quia in ipſo inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter*. Similis locus eſt ad *Rom.* 11. ℣. 33. Cùm

dicit *Theſauros*, copiam ac multitudinem oſtendit; quòd addit *omnes*, declarat nihil omninò eſſe quòd ignoret; quòd ſubjungit *abſconditi* ſeu reconditi, declarat ipſum ſolum omnia ſcire ſi cum creaturis conferatur, ita *Chryſ. & Theoph.* *Sapientiæ & ſcientiæ*, ut illa ſit rerum divinarum, hæc creaturarum cognitio, ita diſtinguit *S. Thomas*.

℣. 4. Hoc autem dico, ut nemo vos decipiat in ſublimitate ſermonum.

Munit Coloſſenſes adversùs Simonianos & Judaïzantes: adversùs Simonianos, qui humanæ ſapientiæ placitis imbuti erant & à Chriſto ad Angelorum religionem homines avocabant, pertinet quod hîc dicitur: ut ſenſus ſit, *hoc autem* quod dixi de excellentia ſcientiæ Chriſti, propterea *dico*; ne allecti ſpecioſo nomine ſcientiæ, quam quidam promittunt, ſinatis vos circumveniri probabilibus, ſed falſis argutiis humanarum ratiuncularum. Cùm enim in Chriſto quem fide recepiſtis, ſint omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ reconditi, & ab eo tanquam capite expectetis quiſque ſecundùm modum ſuum repleri, non eſt quòd extra eum ad humanas ſcientias incertas, vanas & fallaces aſpiretis, 1. *Tim.* 6. ℣. 20. & 21.

℣. 5. Nam etſi corpore abſens ſum, ſed ſpiritu vobiſcum ſum: gaudens, & videns ordinem veſtrum, & firmamentum ejus, quæ in Chriſto eſt, fidei veſtræ.

Conſequens erat ut diceret, quamquam enim carne *abſens* ſim, *ſpiritu* tamen novi eos qui vobis imponunt; verùm hoc ne vehementiùs perſtringeret, conticuit; & in verbum terminavit dilectionis & in laudem ipſorum, ùt notat *Oecum. Gaudens* dum *video*, vel quia *video ordi-*

nem veſtrum bonum & congruentem ſacræ religionis; & *firmamentum* ſeu *firmitatem*, ſoliditatem & conſtantiam *fidei veſtræ in Chriſtum*, id eſt, quâ in ipſum credidiſtis. Quantum pro bono *ordine* in Eccleſiis conſtituendo & conſervando ſolicitus fuerit Apoſtolus, probat hic locus, & paſſim aliæ ejus Epiſtolæ ùt 1. *Cor.* c. 11. & c. 14. Sed & in Epiſt. ad *Tim.* & *Tit.* multa diſponit ad ordinem Eccleſiæ pertinentia. Quæ notanda ſunt contra hæreticos, inimicos ordinis & hierarchiæ antiquitùs in Eccleſia conſtitutæ: ita *Eſtius.*

℣. 6. *Sicut ergò accepiſtis Jeſum Chriſtum Dominum, in ipſo ambulate,*

Nihil noviter introductum audiatis, ſed quod *accepiſtis*, ſervate: ſenſus eſt, quemadmodùm *ergo* fide *recepiſtis Dominum Jeſum Chriſtum*, ùt dominum & caput & mediatorem veſtrum, ita pergite eum retinere. Nemo vobis prò Chriſto Angelos obtrudat mediatores. Nam ipſe dixit, *Ego ſum via. In ipſo* igitur ùt in via *ambulate*, ipſe ſit fundamentum totius converſationis veſtræ, ita Græci.

℣. 7. *Radicati, & ſuperædificati in ipſo, & confirmati fide, ſicut & didiciſtis, abundantes in illo in gratiarum actione:*

Significat, Chriſtum eſſe radicem in qua vult, eos firmiter eſſe radicatos; & fundamentum ſuper quo vult eſſe firmiter ædificatos, ne ab eo avelli ſe patiantur ullo ſermonis artificio. *Sicut & didiciſtis*, Græcè, edocti eſtis ſcilicet ab Epaphra. Nec ſolùm volo vos *confirmatos in fide* eſſe, ſed etiam in ea proficere & proficiendo *abundare* per pleniorem myſteriorum Chriſti cognitionem, idque *cum gratiarum actione* erga Deum ùt authorem hujus totius boni.

℣. 8. *Videte ne quis vos decipiat per philoſophiam, & inanem fallaciam ſecundùm traditionem hominum, ſecundùm elementa mundi, & non ſecundùm Chriſtum:*

Græcè, *videte ne quis deprædetur*, à fide ſcilicet, occultis & latentibus inſidiis: metaphorâ ſumptâ à prædonibus qui, dum vi rapere pecudes nequeunt, fraude eas abigunt, ſic enim pſeudoapoſtoli & hæretici, dum apertè ſuam doctrinam proferre non audent, per inſidias quaſdam & artificia verborum eam mentibus auditorum inſtillant. Quod ait per *Philoſophiam* non ita accipiendum quaſi philoſophiam, quæ eſt ſcientia rerum divinarum & humanarum naturali lumine acquiſita, damnet ùt noxiam, aut rejiciat ùt inutilem, ſed contra eos agit qui Philoſophiâ per ſe bonâ abutebantur, ex veris principiis malè concludentes; dum de iis quæ ſunt fidei Chriſtianæ, & captum rationis excedunt, judicant ſecundùm cauſas naturales, ſibique naturaliter cognitas, nec mentem attollunt ad eum qui naturam inſtituit, eámque mutare poteſt. Vel potiùs eam intelligit *Philoſophiam* quæ fuit apud Ethnicos, quæ non vacabat errore præſertim de Deo, rebuſque divinis ac de ſummo hominis bono: inter has philoſophorum ſectas erant tempore Apoſtolorum quæ ſæcularem philoſophiam cum religione Judæorum miſcentes, multa de Deo ac Dei filio, de Angelis, mundo & ejus ratione, deque purgatione hominum, partim à Platone accepta, partim ex proprio cerebro adinventa, falſa & vana tradebant hominibus: ex genere Simoniani qui poſteà Gnoſtici dicti. Hanc philoſophiam reprobat & fugiendam docet Apoſtolus, ùt corruptelam ſinceritatis fidei Chriſtianæ; vo-

cat *inanem fallaciam* ſeu *deceptionem*, quòd multa tradat inania & falſa per quæ homines creduli decipiantur, ait *Eſtius*. Vocat *traditionem hominum* non quidquid eſt extra verbum Dei ſcriptum, ùt volunt hæretici, alioqui ſuas ipſius traditiones damnaret, de quibus 1. *Cor.* 11. ℣. 2 & 2. *Theſſ.* 2. ℣. 14.; ſed præcepta, inſtituta & doctrinas ab hominibus corruptas ac ſinè Deo authore traditas, quales erant traditiones Scribarum & Phariſæorum, de quibus *Mat.* 15. ℣. 3.; & *Marc.* 7. ℣. 8. *Iſa.* 29. ℣. 13. reſpicit autem ad dogmata philoſophica ſcholæ Simonianæ. *Elementa mundi* ſunt quatuor ſimplicia corpora ex quibus inferior hic mundus conſtat: vel Sol & Luna, & cæleſtia corpora, quæ ſunt totius mundi elementa, ex quibus ſunt temporum obſervationes: alii extendunt ad Aſtrologiam quâ parte prædicere tentat caſus fortuitos. Sed meliùs *elementa* ſunt initia ſeu rudimenta doctrinæ, ùt *Gal.* 4. ℣. 3. & 9.; *Heb.* 5. ℣. 12.; cujuſmodi à Platonicis & Simonianis tradebantur: vel corporalia ſigna & carnales ceremoniæ legis Moſaïcæ, ut hoc dictum ſit contra Judaïzantes, q. d. Cavete ne quis vos prædetur per philoſophiam & inanem fallaciam: item ne quis id faciat *ſecundùm*, ideſt, per *traditiones hominum & elementa mundi*, & *non ſecundùm Chriſtum*, id eſt, doctrinam de Chriſto vobis traditam. Nam contra Chriſtum erat, Mediatoris officio Chriſtum privare, & ejus loco Angelos ſubſtituere, & ex lege & ceremoniis Judaïcis juſtitiam quærere.

℣. 9. *Quia in ipſo inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter:*

Verba hæc quæ ſunt fundamentum ſeu ratio admonitionis præcedentis, pluribus modis intelligi poſſunt: ſed imprimis, *plenitudo divinitatis* pro qua græcè eſt *deitatis*, ſignifi-

cat plenam totam ac perfectam deitatem. *corporaliter* accipitur ; Vel 1° ut *corpus* opp tur umbræ & ſenſus ſit, Deum in Ch non umbraliter *inhabitare*, quomodò in plo manufacto quondam habitabat, id eſt, figurantibus *ſignis* , ſed *corporaliter*, hoc tanquam in ipſa re per illud templum ſign ta: vel 2° ut *corpus* opponatur animæ, q. d. ſtolus, in ipſo perfecta deitas inhabitat ſolùm quoad animam ejus, ſed etiam q corpus quod ex virgine ſumpſit : utrun enim deitas ſibi conjunxit in hypoſtaſi Ve ſic Chriſtus corpus ſuum templum vocat: J 2. ℣. 19.; vel 3° ut inhabitatio *corporalis* o natur inhabitationi quæ eſt per gratiam & e giam ſive inoperationem , quomodò De omnibus juſtis inhabitat, ſed in ipſis max per quos etiam mira operatur : ſicut habi in ſanctis Apoſtolis & Prophetis, ùt ſit ſe in ipſo plena deitas inhabitat non ſolumm per gratiam & mirabilium operum efficient ſed *corporaliter*, id eſt, per unionem ipſiu vinitatis cum corporea ſubſtantia ſeu c humana in perſona Verbi juxta illud, *Ver caro factum eſt*. Hic ſenſus plenior eſt, ait *Eſ* & magìs facit ad ſcopum Apoſtoli, ac per deſtruitur hæreſis Neſtorii, qui dixit divi tem in Chriſto habitare ùt in templo per e giam gratiæ & miraculorum, non eſſential Tradunt hunc ſenſum plerique commentat Vel 4° *corporaliter* ſignificat divinitatem in Chriſto ſicut anima in corpore; quem ſum ex *Cyrillo* allegant *Theoph.* & *Oecum.* xit Apoſtolus *inhabitat*, ad ſignificandum u nem illam divinitatis cum carne permanen & perpetuam eſſe; ex quo licet inferre q Apoſtolus colligendum reliquit, ergo Chri eſt plenus omni ſcientiâ, utpotè per natu *Deus*, ex *Eſtio*.

℣. 10. *Et eſtis in illo repleti, qui eſt caput omnis principatûs, & poteſtatis*:

Et vos *in illo* tanquam capite, *repleti eſtis* divinitate, quatenùs, dignitas capitis redundat in corpus: vel & vos per illum *repleti eſtis* gratiâ, ſcientiâ, virtutibus, aliiſque donis ſalutaribus, iiſdemque ampliùs etiam implendi ſecundùm *Joan.* 1. ℣. 16. Qui ſanè intellectus ſcopo Apoſtoli magìs convenit. Nam ex verſu præcedenti docere hìc vult, unumquemque fidelium pro ſua menſura eam ſpectare debere plenitudinem gratiæ: ideòque neminem habere cauſam, cur ſectentur inanem, curioſam & noxiam philoſophorum ſcientiam; *qui* non ſolùm veſtrum *eſt caput* dona ſua vobis communicans, ſed etiam *caput eſt* omnium ordinum Angelorum quantâcumque ſint poteſtate præditi; nam ſub duobus quos allegat, ceteros comprehendit: quod adjecit ut avocaret à cultu Angelorum quem Simon tradebat, q. d. Ego Chriſtum mediatorem vobis propono, qui longè ſuperat Angelos, quia & caput eorum eſt. Hinc quidam inferunt Chriſtum eſſe caput etiam dæmonum qui vocantur Principatus, Poteſtates, Virtutes, ùt *Rom.* 8., 1. *Cor.* 15., *Eph.* 6. At conſentaneum videtur hoc loco Principatus & Poteſtates tantùm de bonis intelligi, ùt *Eph.* 1. ℣. 20. & *ſeq.*; non enim ad dignitatem Chriſti declarandam pertinebat quòd ſuprà dæmones eſſet exaltatus, quorum nulla eſt apud Deum dignitas, ſed quòd ſupra omnes Angelos bonos qui in cœlis ſemper vident faciem patris. Hinc ergo non aliud habetur quàm Chriſtum eſſe caput bonorum Angelorum, quanquam nec illorum eo modo quo caput eſt Eccleſiæ ex hominibus collectæ. Nam ita caput eſt Eccleſiæ, ut ipſa viciſſim ſit corpus illius,

nec non ſinguli fideles membra ejus, & *me* *corporis ejus de carne ejus* & *de oſſibus*, ùt *E* ỳ.30.; id eſt, ejuſdem naturæ cum capite. (in Angelos non quadrat, quos non legimu cari membra Chriſti; vocatur autem capu norum Angelorum, in quantum eſt rex eo & bonum eorum procurat, ùt ait *Thom.*

ỳ. 11. *In quo & circumciſi eſtis cumciſione non manufacta in expoliti ne corporis carnis, ſed in circumc ne Chriſti:*

In quo & circumciſi eſtis circumciſione carnali & *manufactâ* quæ conſiſtit *in exp tione corporis carnis*, hoc eſt, in amputat carneæ partis de corpore, ſed *circumci Chriſti*, id eſt, peccatorum omnium per (ſtum amputatione, ita *Gaig.* Vel meliùs quem Chriſtum etiam circumciſi eſtis non externâ & carnali, ſed internâ & ſpiritual cùmciſione quæ fit ſinè manibus, & qui una pellicula demitur, ſed corpus peccat carnis, id eſt, totus vetus homo deponitu que exuitur, quæ eſt circumciſio Chriſto pria non Moyſi, ùt *Rom.* 6. ỳ. 6.; qui noſter homo in hac vita deſtruitur non ut ninò non ſit, ſed ut ei ampliùs non ſervi quod fit dum pravis ejus deſideriis non ſentitur; vocatur autem vetus homo co peccati, quia conſtat veluti membris ſuis, hìc pluraliter vocantur peccata carnis, & nomine membrorum *cap. ſeq.* enumeran ex *Eſtio.*

ỳ. 12. *Conſepulti ei in baptiſmo quo & reſurrexiſtis per fidem operi nis Dei, qui ſuſcitavit illum à mor*

Oſtendit ubi & quando fiat circumciſi

qua locutus eſt, quæ conſiſtit in renovatione hominis & peccatorum remiſſione & fit *in baptiſmo*, imò & per baptiſmum, ut *Rom.* 6. ℣. 4. *In quo*, id eſt, per quem baptiſmum etiam ſimul cum Chriſto *reſurrexiſtis*, id eſt, novam vitam adepti eſtis, ſicut ille reſurrexit ad novam vitam corporis. *Per fidem*, quâ credidiſtis efficacem & potentem *operationem Dei*, quâ Chriſtum *à morte ſuſcitavit*; hoc eſt, *per fidem* reſurrectionis ejus divinâ virtute factæ, ùt *Epheſ.* 1. ℣. 19. & 20. Hæc autem eò ſpectant, ut doceat circumciſionem carnalem, quam exigebant Judaïzantes, jam per Chriſtum commutatam eſſe in ſpiritualem circumciſionem, quâ non ſolùm à peccatis purgati, ſed etiam in novam vitam reſtituti ſumus: quò etiam ſpectat id quod ſequitur.

℣. 13. *Et vos cùm mortui eſſetis in delictis, & præputio carnis veſtræ, convivificavit cum illo, donans vobis omnia delicta:*

Locus hic referendus eſt ad ſimilem qui eſt *Epheſ.* 2. ℣. 5 & 6.; & ſenſus eſt, Deus *vos cùm* anteà fuiſſetis ſpiritualiter *mortui* per *delicta* ſeu peccata veſtra in quibus vivebatis, & per *præputium carnis veſtræ*, id eſt, per concupiſcentiam & opera carnis præputio ſignificata (hæc enim omnia ſunt mors quædam animæ:) nunc unà cum Chriſto reſurgente revocavit ad vitam ſpiritualem. Alii conferentes cum alio qui eſt *Rom.* 6. ℣. 4. & 11., hunc ſenſum allegant. *Et vos* jam mortuos peccatis, id eſt cum peccatis nihil ampliùs commune habentes, utpotè Chriſto commortuos & conſepultos in baptiſmo, inſuper etiam unà cum illo *vivificat*, id eſt, vobis novam dedit vitam juſtitiæ & bonorum operum. Verùm hunc ſenſum non quadrare huic loco nec illi, qui

eſt *Epheſ.* 2., notat *Eſtius. Donans* ſeu condonans *omnia delicta*, intellige tam actualia peccata, quàm originale.

℣. 14. *Delens quod adverſùs nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipſum tulit de medio, affigens illud cruci :*

Decreti, græcè & ſyriacè *Decretis*, quod etiam in quibuſdam latinis codicibus legitur, & magis convenit cum ℣. 15. *cap.* 2. ad *Epheſ.*; ex quo loco, relictis variis interpretationibus vocum *Decreti* & *Chirographum*, totus hic verſus explicandus eſt. Dictum eſt autem illic, *Legem mandatorum* intelligi veterem à Moyſe latam; *Decreta* verò eſſe novi teſtamenti præcepta cum promiſſionibus à Chriſto tradita & in locum Moſaïcæ legis ſubſtituta. Vocatur autem eadem Lex hìc *Chirographum nobis contrarium*; ſumptâ metaphorâ ab iis qui debent per chirographum, neque tamen ſolvendo ſunt; quales judæi in quorum perſona hìc Apoſtolus loquitur. Lex vetus inſtar Chirographi judæos accuſabat, mortiſque reos arguebat, neque eos juſtificare poterat: undè & Legiſlatio Moyſis vocatur 2. *Cor.* 3. *Miniſtratio mortis & damnationis*. Hoc igitur *Chirographum*, cujus obligationem judæi contraxerunt *Exodi* 24. ℣. 7., Chriſtus delevit *decretis*, ſive edictis ſuis, per legem ſuam Evangelicam, velut ſi rex quiſpiam edicto publico aboleat omnia ſibi debitorum Chirographa; vult enim dicere legem veterem per Chriſtum abolitam eſſe, totamque ejus obligationem ceſſare, introductâ lege Chriſti. Idque contra Judaïzantes qui Coloſſenſes legi ſubjicere conabantur. Hunc ſenſum præcipuè à græcis probatum confirmat illatio quæ habetur ℣. 16. *Nemo ergo* &c. *Et ipſum tulit*

de medio affigens illud cruci: quorum verborum ſenſus eſt, Chriſtum *ipſum* ſcilicet *Chirographum* mortis, ſeu legem Moſaïcam ſuſtuliſſe per ſuam mortem quam in cruce ſuſtinuit: ut ad *Epheſ.* 2. ℣. 16. ex *Eſtio*.

℣. 15. *Et expolians principatus, & poteſtates traduxit confidenter, palàm triumphans illos in ſemetipſo.*

Traducere hoc loco ſumitur pro infamiâ afficere & velut exemplum & ſpectaculum omnibus proponere, quo modo in triumphis per urbem circumagere captivos victores ſolent: ita Chriſtus victor in cruce diabolicis *poteſtatibus* ſpolia detraxit, & *triumphans illos* ſeu potiùs de illis *in ſemetipſo, confidenter* & *palàm illos traduxit*, ignominiosè ſuperatos omnibus oſtentans, ita *Gaig. In ſemetipſo*, id eſt, per *ſemetipſum*, ſuis ipſius viribus. Poteſt autem etiam verti *in ipſa*, ſive per ipſam ſcilicet crucem, quæ græcis eſt maſculini generis: ita *Theoph.* & *Oecum.* exponunt. Quibus autem dæmones exutos ac ſpoliatos imperio quod habebant in homines, (juxta id quod Chriſtus prædixit *Joan.* 12. ℣. 31.) palàm oſtentavit & omnibus ſpectandos exhibuit, niſi beatis Angelis & juſtis hominibus qui virtutem crucis ejus per fidem cognoverunt? Sed ea oſtentatio perfectiſſimè continget in die judicii extremi, quando coram toto mundo dæmonum malitia ſimul & imbecillitas à Chriſto victore cum maximâ eorum ignominia declarabitur. Hîc in parte perſtringuntur Simoniani, tum in eo quòd dicitur *Principatus & Poteſtates*, tum per illud *in ſemetipſo:* hæc enim ſignificant Chriſtum Angelis eſſe virtute majorem, nec illorum opus habere auxilio, ad exequendum reconciliationis humanæ negotium, ut notat *Eſtius, Cajet.*

tanus qui totum hunc locum ad Deum Patrem refert, conformiter cenſet, verti debere non *in ſem. tipſo*, ſed *in ipſo* ſcilicet Chriſto. Verùm lectio vulgatæ communior & ſcopo Apoſtoli conformior eſt.

℣. 16. *Nemo ergo vos judicet in cibo, aut in potu, aut in parte diei feſti, aut neomeniæ, aut ſabbatorum:*

Jam oſtenderat Apoſtolus ſub nomine Chirographi deleti ac lacerati Legem Moſaïcam ſublatam eſſe per Chriſtum: ex quo nunc infert & concludit contra Judaïzantes, *Nemo igitur vos* Coloſſenſes *ob cibum aut potum judicet* quaſi culpæ reos; *nemo* propter hæc religionem vobis injiciat, tanquam de lege violata, quâ certa ciborum genera prohibentur. Nam de legalibus hic loqui certum eſt. *In potu* ut ſi quis biberet ex vaſe carente operculum, quod *Num.* 19. ℣. 15. declaratur immundum. *Nemo vos judicet* ob feſtum aliquod Judaïcum, *aut Neomeniæ*, hoc eſt, Calendarum ſeu Novilunii diem, *aut Sabbata* non obſervata: *in parte*, id eſt, *in partitione feſti* à non feſto, ita *Cajet.*; vel *in parte*, id eſt, in negotio, in obſervatione Sabbatorum, ut non faciatis opus ſervile & onera non portetis: nam nos Chriſtiani ſumus libertate donati, & onera peccatorum geſtare deſinimus, ita *Anſel.*

℣. 17. *Quæ ſunt umbra futurorum: corpus autem Chriſti:*

Quæ ſunt obſcuræ ſignificationes rerum *futurarum: corpus autem* cujus illa ſunt *umbra*, *Chriſti eſt*. Hoc eſt, veritas illorum ſignorum in Chriſto adimpletur, vel illius umbræ corpus eſt Chriſtus. Cùm ergo Chriſtus jam advenerit, ſtultum eſt, umbram ejus jam retinere velle; ex *Chryſ.*

℣. 18. *Nemo vos ſeducat, volens in humilitate, & religione angelorum, quæ non vidit ambulans, fruſtrà inflatus ſenſu carnis ſuæ,*

Nemo vos ſeducat, græcè, *Ne quis bravium veſtrum intercipiat:* q. d. Hactenùs benè cucurriſtis & certaſtis, & ſic promeriti eſtis præmium ac bravium, cavete ne quis illud intercipiat ſeu à vobis auferat. Participium *volens* etſi primâ fronte, ait *Eſtius*, jungendum videatur verbo *ſeducat*, ut ſenſus ſit. *Nemo volens*, id eſt, ſtudio ac de induſtriâ *vos ſeducat* & præmium eripiat: rectiùs tamen cum Græcis refertur ad ſequentia; ut hic ſenſus ſit, *volens in humilitat.* &c., id eſt, affectans humilitatem & religionem Angelorum. Igitur ſenſus Apoſtoli eſt: Cavete ne quis vobis expectatum præmium avertat per affectatam humilitatem & religionem Angelorum. Hæc autem humilitas & religio Angelorum in ſenſu Apoſtoli juxta *Chryſoſtomum* eſt, quòd hæretici ſive Simoniani illi fuerint ùt veroſimilius eſt, ſive alii, dicerent indignum Dei filio ut is fieret hominum peccatorum apud Patrem interceſſor ac deprecator: & propterea Angelos, quibus *id magis* congrueret, hominum ad Deum mediatores conſtitutos eſſe. In qua perverſa doctrina ficta erat humilitas, quòd Chriſtum excellentiorem dicerent, ut mediator noſter eſſet; & falſa Angelorum religio, quòd his officium tribuant quod Dei filio competit. Aliam adhuc horum verborum interpretationem & fortè huic loco conformiorem adfert & eligit *Eſtius*: in quo videri quoque poteſt, locum hunc nihil facere contra venerationem & invocationem Sanctorum in Eccleſia Dei frequentatam. Non enim cultus divinus iis exhibetur, nec loco Chri

ſti mediatores conſtituuntur, ſed ad Chriſtum qui unus eſt mediator Dei & hominum interceſſores ex parte noſtra adhibentur. *Quæ non vidit ambulans*, id eſt, cum faſtu & ſupercilio de iis *quæ non vidit*, diſſerens perindè ac ſi vidiſſet. Et cùm falſa ſit ſcientia quam jactat: *fruſtrà inflatur*, id eſt, in ſuperbiam erigitur *ſenſu carnis ſuæ*, id eſt, à corde ſeu cogitatione ſua carnali: ita *Hieron.*

℣. 19. *Et non tenens caput, ex quo totum corpus per nexus, & conjunctiones ſubminiſtratum, & conſtructum creſcit in augmentum Dei.*

Non obtinens caput, non inhærens capiti quod eſt Chriſtus, ſed per falſam religionem Angelorum ab eo alienus. Similis eſt hic locus illi qui eſt *Epheſ.* 4. ℣. 16., ex cujus collatione hoc modo explicatur: *Ex quo* nimirum Chriſto capite dependens atque influxum accipiens univerſum *corpus* quod eſt Eccleſia, per aptas connexiones membrorum conſtitutum & compactum *creſcit* ſecundùm Deum, augmento divino ac ſpirituali; idque per charitatem, per quam non ſolùm corpus & ejus membra proportione quâdam augentur, ſed & membra inter ſe connectuntur: *Charitas*, enim ùt dicitur *cap. ſeq.*, *eſt vinculum perfectionis.*

℣. 20. *Si ergo mortui eſtis cum Chriſto ab elementis hujus mundi: quid adhuc tamquam viventes in mundo decernitis?*

Si Chriſto in baptiſmo *commortui eſtis*, adeòque *elementis hujus mundi*, id eſt, carnalibus Legis ceremoniis mortui; *quid adhuc decernitis*, ſcilicet hujuſmodi præcepta? *Ne tetigeritis*, *neque contrectaveritis*, ſubaudi *hæc*, *aut hæc*, *quia*

immunda ſunt. Pro *decernitis*, græcè habetur δογματίζεσθε, quod activè ſumi poteſt, quomodo nobiſcum legunt *Hier*. &, *Aug*. At græci omnes paſſivè exponunt, idque textui conformius eſt; non enim Coloſſenſes decernebant, id eſt, juxta græcum verbum dogmatizabant, ſed decernebantur ſeu dogmata ab aliis recipiebant: ſicque ſenſus eſt: *Quid adhuc* hujuſmodi dogmatibus & cæremoniis (de quibus in ſequentibus agit) ſinitis vos ſubjici & onerari? *Hieronymus* per mundi elementa etiam intelligit peccata carnalia, ùt luxuria, avaritia & ſimilia: qui intellectus tamen huic textui minùs convenire videtur.

℣. 21. *Ne tetigeritis, neque guſtaveritis, neque contrectaveritis:*

Græcè legitur in ſingulari, *ne tangas*, exempli gratiâ, morticinum, neque veſtimentum mulieris menſtruatæ, aut ſcabellum in quo ſederit. *Ne guſtes* carnem ſuillam, aut leporum, aut de piſce qui ſquamas & pinnulas non habeat: *Ne contrectes* aliquid horum. *Hieronymus* hæc iterùm intelligit de *tactu*, *guſtu* &c. quo hi qui concupiſcentias & bona terrena præ æternis diligunt, turpiter abutuntur.

℣. 22. *Quæ ſunt omnia in interitum ipſo uſu, ſecundùm præcepta, & doctrinas hominum:*

Quæ omnia, id eſt juxta *S. Aug*., quod totum genus præceptorum ducit ad *interitum* & mortem æternam eos qui illis utuntur ſeu ea obſervant tamquam adhuc neceſſaria. Verùm *Hier*. & Græci aliquid ſubintelligunt, ſcilicet cibos de quibus non guſtandis præcepta erant; qui quidem omnes *ſunt in interitu ipſo uſu*, ſive *abuſu*, ùt in græco legitur; id eſt, *uſu pereunt*, ſeu conſumuntur dum manducantur, ita ut indig-

num ſit ſalutem ab iis ſuperſtitiosè ſuſpen
ac de iis præcepta multiplicare ùt Judaïz
faciebant. *Secundùm præcepta & doctrin*
minum. Hæc per hyperbaton cum verſi
conſtruenda ſunt: ut ſenſus ſit, *Quid ad*
dogmatizamini, ſecundùm præcepta & doct
hominum? Sed quæſtio eſt, cùm hic ſit ſ
de legalibus à Deo inſtitutis, quomodo
lus ea vocat *præcepta & doctrinas homin*
℞. Non ipſa præcepta à Deo olim inſtitut
tunc quidem poſtquam Deo authore abr
ſunt, ſic vocari ab Apoſtolo; ſed illa homi
placita aut præcepta, quibus jubent quem
iis parere tanquam Dei juſſui poſtquam abr
ſunt, ita *Chryſ.* Vel præcepta hominum voc
gem non puram, ſed inſtitutis phariſaïcis
mixtam & corruptam, ùt *Matth.* c. 15. ℣.
c. 23. Malè hinc hæretici damnant con
tiones quas Apoſtoli & eorum ſucceſſor
Eccleſiæ utilitatem condiderunt poteſta
Chriſto acceptâ, de qua *Luc.* 10. ℣. 16. &
16. ℣. 4. Nam Apoſtolus hìc tantùm da
præcepta ab humano ſpiritu profecta, qui
ipſo, non à Deo movetur, nec ullâ Dei au
ritate nititur: ex *Eſtio.*

℣. 23. *Quæ ſunt rationem quidem*
bentia ſapientiæ in ſuperſtitione, &
militate, & non ad parcendum corp
non in honore aliquo ad ſaturitatem
nis.

Rationem ſeu ſpeciem *quidem ſapientiæ* p
ferentia, *in ſuperſtitione & humilitate* ficta, i
ob ſimulatam in illis religionem & doctorum
ſtrorum humilitatem. *Et non ad parcendum*
pori, id eſt, falſam illam *ſapientiam* conſi
inſuper in præpoſtera & inſolita quadam a
nentia & nimis auſtera corporis afflictione.

in honore &c. per *honorem* hìc intelligitur ſuſtentatio corpori debita, ex *Gaig*. Sentit igitur Apoſtolus, præcepta illa, de quibus loquitur, habere ſpeciem quidem, id eſt, falſam ſpeciem *ſapientiæ*, eaque conſiſtere in affectata & ficta Religione ſeu cultu, & in affectata fictâque humilitate, quæ affectatæ religioni conjuncta eſt, per quæ debitus honor pertinens ad expletionem, id eſt, juſtam refectionem carnis, ſubtrahatur, dum videlicet immoderatis & ſtultè excogitatis abſtinentiis corpus exhauritur. Taxat Judaïcas & Phariſaïcas abſtinentias quibus debilitates & morbi interdùm contrahebantur, ùt notat *Hier*. & *Epiph. in hæreſi Phar*.; quas Chriſtus reprobat etiam ob perverſum eorum finem, *Matth*. 6. ℣. 16. & *Luc*. 18. ℣. 9.; non Eccleſiaſtica jejunia, carniumque & aliorum quorundam eduliorum abſtinentiam præſertim monaſticam, quâ corpus maceratur & affligitur; ùt contendunt Hæretici. Nam & Chriſtus ubi Phariſæorum jejunia traducit, noſtra ſtatuit, *Mat*. 6. ℣. 17.; & per ea cum oratione exaudiuntur Apoſtoli, *Act*. 13. ℣. 2. & 3.; & corpus honoratur, dum ſpiritui ſervire cogitur. Nam ſic carnem Deus honeſtavit, ait *Chryſ*. ita *Eſtius*.

CAPUT III.

Hortatur cœleſtia quærere, mer
mortificare, exuere veterem homi
& novum induere, charitatem &
cem colere. Maritos, uxores, filios,
rentes, ſervos, dominos ſui adm
officii.

℣. 1. *Igitur, ſi conſurrexiſtis*
Chriſto: quæ ſursùm ſunt quærite,
Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens:

SEnſus eſt, quoniam per b
mum non ſolùm commortui
Chriſto, verùm etiam unà cu
reſurrexiſtis in novam vitam
cite ea quæ novæ vitæ per Ch
reſurrectionem adumbratæ, conveniunt:
ſicut *Chriſtus* ad novam vitam reſuſcitatu
ſidet *in cælis*: ita & vos per Chriſtum ad
vam vitam reſuſcitati, debetis ei ùt capit
ſtro conformari, cogitationes & ſtudia v
ad res ſupernas ac divinas conferre: quo ſ
Chriſtus ad dextram Dei ſedere dicatur,
Rom. 8. *Eph.* 1.

℣. 2. *Quæ ſursùm ſunt ſapite,*
quæ ſuper terram.

Palato cordis dulcem ſaporem ſuperno
bonorum tangite, non terrenorum & temp
lium: vel *ſapite*, id eſt, habete ſapientiar
prudentiam de cœleſtibus & æternis, nor
temporalibus & caducis, ex *Anſel.* Simili

Apoſtoli ſermo ad *Phil.* 3. ℣. 20. Malè concludunt hæretici, ergo & Chriſtus nobis quærendus eſt & adorandus in cœlo, non ſuper altare: nam ℣. 5. Apoſtolus explicat quid intelligat per ea, *quæ ſunt ſuper terram;* nempè vitia terrena: & certè Chriſtus in terris dum ageret, fuit quærendus & adorandus, quod & mater, & Magi, & diſcipuli fecerunt; & nunc cùm ſit & in cœlo, & in terra, ibi & quærendus & adorandus, ex *Eſtio.*

℣. 3. *Mortui enim eſtis, & vita veſtra eſt abſcondita cum Chriſto in Deo.*

Non ſolùm *mortui eſtis cum Chriſto* per baptiſmum, ſed & vivitis cum eo vitâ ſpirituali ac cœleſti, ad quam à morte reſurrexiſtis, licèt hæc *vita veſtra* adhuc *abſcondita* ſit ab oculis & ſenſu hujus mundi, ſicut & vita Chriſti quâ vivit & regnat in cœlis, utraque, inquam, *abſcondita* eſt *in Deo*, id eſt, apud Deum.

℣. 4. *Cùm Chriſtus apparuerit, vita veſtra: tunc & vos apparebitis cum ipſo in gloria.*

Quando *Chriſtus* toti mundo manifeſtabitur veniens glorioſus ad judicium, ille, inquam, qui eſt *vita veſtra*, vel *noſtra*, ùt Græci legunt; id eſt, vitæ veſtræ vel noſtræ cauſa non ſolùm meritoria, ſed etiam exemplaris, tunc & vos perfectam & immortalem vitam aſſecuti, ſimul cum eo manifeſtabimini, magna cum *gloria*, ità ut impii vel inviti dicant: *hi ſunt quos aliquando habuimus in deriſum*; & cetera quæ ex impiorum perſona leguntur *Sap.* 5. ℣. 1. & *ſeq.*

℣. 5. *Mortificate ergo membra veſ quæ ſunt ſuper terram : fornicatio immunditiam, libidinem, concupiſcen malam, & avaritiam, quæ eſt ſim crorum ſervitus :*

Quia, inquit, cum Chriſto mortui eſtis vitæ, & in novam reſurrexiſtis cum ſpe & gloriæ cœleſtis, curandum vobis eſt, tus ac terrenus homo reviviſcat; ſed etſi i buſdam membris ſuis reviviſcere incipiat, feſtim ea *mortificate*, non ſolùm ea ampliù perpetrando, verùm etiam exurgentes e motus ac deſideria velut parvulos Baby ipſo ſtatim in limine elidendo atque nec *Fornicatio* comprehendit omnem concub maris & feminæ non conjugalem : *Immu* pertinet ad peccata carnis quæ ſunt cont turam. *Libido* eſt mollities vel morbus o nus. *Concupiſcentia* eſt rei venereæ, ùt pr to, Decalogi prohibita, *mala* ut diſtinguat ea quæ bona eſt concupiſcentia, qualis u eſt quâ ſpiritus concupiſcit adversùs ca *Gal.* 5. ℣. 17. *Avaritia* hìc eſt inſatiabilis ditas turpium voluptatum; quo ſenſu ſit *rum ſervitus* diximus, *Epheſ.* 5.; nempè Simoniani nefarias ſuas libidines exercere lut cultum, quem iniquè docebant Deo tiſſimum.

℣. 6. *Propter quæ venit ira De per filios incredulitatis :*

Hæc verba iterùm habentur *Ephe* ℣. 6., rectiùs hoc loco interpres dixit, *inc litatis*; quæ eſt vitium animi contumacite puentis rationabilem ſuaſionem veritatis : ſ eſt, *propter quæ* peccata hominibus præ tioni Evangelicæ non acquieſcentibus imr

ac ſuperventura eſt gravis à Deo vindicta in die judicii. Colligitur ex hoc loco non ob ſolam infidelitatem, ſed ob alia etiam peccata homines damnari, contra hæreticos ex *Eſtio*. Vel *venit* ſuper Sodomam, & eos qui in diluvio perierunt, ex *Hier*.

℣. 7. *In quibus & vos ambulaſtis aliquando, cùm viveretis in illis.*

Græcè *inter quos* nempè filios incredulos: vel *in quibus* vitiis ſuperiùs enumeratis, *vos ambulaſtis*: ùt iterùm *Epheſ.* 2. ℣. 1. & *ſeq.* & *Gal.* 5. ℣. 25. Ex quibus collige non idem eſſe *vivere* quod *ambulare*; ſed differre velut habitum & actum: *vivere* enim *peccatis* eſt peccatorem eſſe; *ambulare* in *peccatis* eſt actus peccatorum exercere. Cum laude eſt hic ſermo, quaſi nunc non vivant in illis, ex *Baſil.* & *Oecum.*

℣. 8. *Nunc autem deponite & vos omnia: iram, indignationem, malitiam, blaſphemiam, turpem ſermonem de ore veſtro.*

Omnia non ſolùm præcedentia, ſed *omnia* reliqua. *De ore veſtro*, quod non ad omnia præcedentia referendum, ſed ad *blaſphemiam* & *turpiloquium* quæ contaminant os, quod ad Deum laudandum factum eſt: eadem hæc omnia leguntur, *Epheſ.* 4.

℣. 9. *Nolite mentiri invicem, expoliantes vos veterem hominem cum actibus ſuis,*

Græcè, *ne mentiamini alii aliis*, ùt *Eph.* 4. Senſus eſt, ad hæc omnia deponenda vos exhortor, utpotè qui per baptiſmum jam dudùm exuiſtis *veterem hominem* & *induiſtis novum*; undè ſi quid in vobis reſtat veteris hominis, id

adhuc curate abjicere. Vel in univerſum moneo, ut ſitis exuti *veterem hominem actibus ſuis*, & induti *novum hominem* ſi ter cum actibus ſuis. Vetus homo eſt corru peccati, ùt *Epheſ.* 4. ℣. 22. *& ſeq.* Novus mo eſt homo quatenùs per gratiam ren eſt: *actus* veteris hominis ſunt peccata; vi bona opera. Vetus homo exuitur prin in baptiſmo, deindè quotidiano profectu r tatis: ex *Aug. lib. de vera relig. cap.* 26., *de Trin. cap.* 3., *lib.* 24. *cont. Fauſtum. ca* & 2.

℣. 10. *Et induentes novum eum, renovatur in agnitionem ſecundùm i ginem ejus, qui creavit illum.*

Eum, dico *novum* hominem *qui renov ad agnitionem*, id eſt, ad cognoſcenda myſ revelata, & ſapiendum ea quæ Dei ſunt; *vatur*, inquàm, *ſecundùm imaginem* Dei cr ris ſui: ut ſicut per naturam ſuam ration factus eſt ad imaginem & ſimilitudinem I ita nunc ad Deî imaginem refòrmetur per tiam: imago naturæ conſiſtit in intellect voluntate: imago gratiæ in ſanctitate & j tia, ùt exponit Apoſtolus *Epheſ.* 4. ℣. 24. Scripturam *Gen.* 1. ℣. 27. interpretatur 1. 11. ℣. 7. ex *Eſtio*.

℣. 11. *Ubi non eſt Gentilis, & dæus, circumciſio, & præputium, B barus, & Scytha, ſervus, & libe ſed omnia, & in omnibus Chriſtus.*

Ubi, id eſt, in quo renovationis negotio lum eſt diſcrimen *Gentilis & Judæi*, *circum & præputii*, q. d. non refert ex qua nation ex qua religione quis veniat per Chriſti grat renovandus, ùt *Gal.* 5. ℣. 6. Sentit ergo A

ſtolus, etſi quàm maximè *Barbarus* quis ſit, quales erant *Scythæ*, non ideò minùs eum renovationis capacem eſſe. Deniquè nec conditionis haberi rationem, *ſed omnia*, intellige, quæ ſunt novi hominis, ut juſtitia, ſanctitas & cetera quæ mox enumerantur. Hæc *omnia*, inquit, *Chriſtus eſt* & quidem *in omnibus*, id eſt, in hominum genere ſinè diſcrimine. Dicitur Chriſtus ea omnia eſſe cauſaliter & per meritum ſuæ Paſſionis, ùt 1. *Cor.* 1. ℣. 30.; & quia omnes corpus ipſius exiſtunt, ex *Chryſ.*

℣. 12. *Induite vos ergo ſicut electi Dei, ſancti, & dilecti, viſcera miſericordiæ, benignitatem, humilitatem, modeſtiam, patientiam:*

Actus ſeu membra veteris hominis recenſuit, admonens ea mortificanda ſeu deponenda. Nunc actus ſeu membra novi hominis quibus indui vult Coloſſenſes enumerat; *igitur ſicut* decet homines *à Deo electos & ſanctos*, & eos quos ab æterno Deus dilexit, aſſumite miſericordiæ affectum erga proximos, opera miſericordiæ ex animo exercete; nam *viſcera* phraſi hebraïcâ ſignificant intimos affectus. Similis iterùm exhortatio eſt *ad Epheſ.* c. 4. ℣. 32.

℣. 13. *Supportantes invicem, & donantes vobiſmetipſis ſi quis adversùs aliquem habet querelam: ſicut & Dominus donavit vobis, ita & vos.*

Si quis ab aliquo læſus eſt, ut juſtam *adversùs eum habeat cauſam querelæ*, condonet offenſam, remittat injuriam, ſicut & *Chriſtus condonavit*, ùt notat *Chryſ.*

℣. 14. *Super omnia autem hæc, charitatem habete, quod eſt vinculum perfectionis:*

Exhortatur quoque ad charitatem; *ſuper omnia*, vel quia charitas omnium virtutum finis eſt, 1. *Tim.* c. 1. ℣. 1. vel quia virtutum forma & perfectio, ùt ſinè quâ ceteræ nihil proſunt, & quia ceteras ſecum trahit, 1. *Cor.* 13, & quia per eam continetur unitas totius corporis Eccleſiæ, quia *vinculum eſt perfectum*, quo homines inter ſe colligantur; vel *vinculum* perficiens, id eſt, perfectè uniens fideles inter ſe, ùt 1. *Cor.* 12. ℣. 25. ex *Hier.*

℣. 15. *Et pax Chriſti exultet in cordibus veſtris, in qua & vocati eſtis in uno corpore: & grati eſtote.*

Chriſti, græcè, *Dei.* Verbum græcum, pro quo hìc *exultet* vertitur, derivatur à bravio ſeu præmio; quod duo ſignificat, præmium obtinere & præmium diſtribuere: undè duplex ſenſus oritur. Prior; ſi quæ controverſia inter vos oriatur, non pravus affectus, ùt avaritia, ambitio, vindicandi cupiditas &c. vobis dominetur, ſed *Pax Chriſti*, id eſt, vera & Chriſtiana, quæ Deum habet authorem, obtineat palmam ſeu prævaleat *in cordibus veſtris*. Poſterior; ſi quæ lis inciderit, eam arbitretur ac dijudicet, præmiumque decernat non ira, non ſuperbia, non alius affectus malus; ſed amor & ſtudium pacis Chriſtianæ. *In qua*, græcè, *inquam*, vel *ad quam vocati eſtis*, utpotè facti membra *unius corporis* quod eſt Eccleſia, ut proindè quàm maximè pacem colere debeatis, ùt 1. *Cor.* 7. ℣. 15. *Grati eſtote*, id eſt, *comes & benigni* erga omnes, propenſi ad benè merendum de omnibus: eâ ratione fiet ut pax inter vos conſiſtat. Vel *Grati eſtote*, id eſt, gratias agite, ut

ſenſus ſit: magni beneficii mentionem feci quando dixi; *in qua & vocati eſtis in uno corpore.* Illius beneficii volo vos memores eſſe cum gratiarum actione, cujus gratitudinis pars magna erit, ſi pacem ad quam vocati eſtis, inter vos ſtudioſè ſervaveritis: hic ſenſus ferè omnium eſt interpretum. Si quid accidat mali, deteriora perpendamus: atque ita erimus grati, ait *Chryſ.*

℣. 16. *Verbum Chriſti habitet in vobis abundanter, in omni ſapientia, docentes, & commonentes voſmetipſos, pſalmis, hymnis, & canticis ſpiritualibus, in gratia cantantes in cordibus veſtris Deo.*

Verbum Chriſti habitet, id eſt, doctrina Chriſtianæ religionis ſeu fides fixam in vobis ſedem habeat, voſque faciat locupletes, & *abundantes omni ſapientiâ*, hoc eſt, perfectâ rerum divinarum cognitione: & ita quidem *ut vos invicem*, id eſt, alii alios *doceatis* & *commoneatis*, ſive exhortemini canendo *Pſalmis*, *Hymnis & Canticis ſpiritualibus*, de quibus *Ephef.* 5. ℣. 19.; *in gratia*, id eſt, per gratiam à Spiritu ſancto donatam, ex *Oecum.*; vel cum gratia & voluptate ſpirituali, ſcilicet eorum qui audiunt, ex *Theoph.* Hic ſenſus congruit cum ℣. 6. *cap. ſeq.*

℣. 17. *Omne, quodcumque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini Jeſu Chriſti, gratias agentes Deo & Patri per ipſum.*

In verbo aut in opere, id eſt, quæcumque loquimini, & quæcumque operamini, *omnia in nomine Domini* facite, id eſt, nomen ejus invocate in exordio locutionis & actionis ve-

ſtræ. Non ſemper intervenire peccatum, ſi ſecùs fiat, ſed ſolùm meriti perditionem putat *Cajet.* At non Conſilii, ſed præcepti vim habere, ait *S. Thomas*; hoc tamen præcepto non tenentur infideles priuſquam eis annuntietur Chriſtus, & ſufficit ut fidelium opera virtute, non actu fiant in nomine Chriſti, ùt 1. *Cor.* 10. ℣. 31.; ubi vide quo ſenſu verum eſt, quod hìc dicitur, infideles hoc præcepto non teneri. Et ſenſus Apoſtoli eſt, Chriſtianum omnia Chriſtianè agere debere, hoc eſt, in omnibus actionibus ſuis ſaltem habitualiter ſeu potiùs virtualiter, uti dictum eſt, 1. *Cor.* 10., tendere in Deum creditum & ſperatum, idque per meritum Chriſti fide apprehenſum. *In nomine Chriſti* expreſſit Apoſtolus, quia contra eos ageret qui pro Chriſto Angelos ſervatores ac mediatores introducebant, ùt notat *Chryſ.* & *Thom.* *Gratias agentes Deo & Patri per ipſum*, quæ verba pleniùs poſita ſunt ad *Epheſ.* 5. ℣. 20. Ratio autem gratias agendi perſpicua eſt, tum quia *per ipſum* ſcilicet Chriſtum omnia nobis dona ſalutaria à Deo Patre proveniunt; tum etiam quòd filium ſuum ad hæc docenda deſtinare dignatus eſt, ait *Hier.*

℣. 18. *Mulieres ſubditæ eſtote viris, ſicut oportet, in Domino.*

Quemadmodùm *in Epiſt. ad Epheſ.* ita hîc eodem ordine à generalibus ad ſpecialia præcepta deſcendit: ſed fuſiùs quæ mutua conjugum officia concernunt, ibidem tradit. c. 5. Particulam *in Domino* quidam jungunt verbo *Oportet*, ut ſenſus ſit: ſicut poſtulat Chriſti doctrina, aut ſicut decet Chriſtianas mulieres. At rectiùs græci referunt ad voces, *ſubditæ eſtote*, ut ſenſus ſit: *ſubditæ eſtote* juxta Chriſti legem, & quatenùs ea permittit, ex *Hier.*

℣. 19. *Viri diligite uxores veſtras, & nolite amari eſſe ad illas.*

Præcipit viris dilectionem erga uxores, ùt noverint iis præeſſe & eas regere, non imperiosè, ſed cum dulcedine charitatis, nec ſint amarulenti, moroſi, difficiles adversùs eas, ùt *Eph*. 5.

℣. 20. *Filii obedite parentibus per omnia: hoc enim placitum eſt in Domino.*

Parentibus ſive carnalibus ſive ſpiritualibus *per omnia*, id eſt, in omnibus ad quæ præcipienda parentum poteſtas ſe extendit; ùt quæ ad morum diſciplinam & curam domeſticam ſpectant, ex *Thom. Hoc enim* placet Deo, ſive ùt ad *Epheſ.* 6. ℣. 1. *hoc juſtum eſt.*

℣. 21. *Patres, nolite ad indignationem provocare filios veſtros, ut non puſillo animo fiant.*

Prohibetur nimia parentum ſeveritas quæ filios exaſperet & ad deſperationem adigat, ne reſiliant ab officio, vel etiam à fide Chriſti ſuſcepta, *Epheſ.* 6. ℣. 4. ex *Hier.*

℣. 22. *Servi obedite per omnia dominis carnalibus, non ad oculum ſervientes, quaſi hominibus placentes, ſed in ſimplicitate cordis, timentes Deum.*

Dominis carnalibus, id eſt, iis qui ſecundùm carnem Domini ſunt, q. d. non ſecundùm Spiritum, ùt *Epheſ.* 6. ℣. 5.; per *omnia*, quæ pertinent ad jus dominativæ poteſtatis. Hæc autem facite, *Dei timorem* qui videt abſcondita cordis, ante oculos habentes.

℣. 23. *Quodcumque facitis, ex animo operamini, ſicut Domino, & non hominibus:*

Omne miniſterium quod impenditis Dominis veſtris, facite non ad oculum, aut coactè, ſed libenter promptoque & liberali *animo*, perindè ac ſi Chriſto *Domino, & non hominibus* ſerviretis.

℣. 24. *Scientes quòd à Domino accipietis retributionem hæreditatis. Domino Chriſto ſervite.*

Dixi, inquit, *ſicut Domino & non hominibus*; quia tametſi fortè exiguum ab hominibus quibus ſervitis expectare poſſitis, ſcire tamen debetis, quòd à *Chriſto Domino* mercedem eximiam *accipietis*. q. d. *Dominus* vos pro ſervitute quam reputabit ſibi impenſam, ex ſervis filios Dei faciet & ad hæreditatem filiorum admittet *pro meritis operum*, ex Græco: ùt *Eph.* 6. ℣. 8. Ne miremini, inquit me dicere, quòd cùm ſerviatis hominibus, mercedem ſitis recepturi à Domino. Nam ſi benè ſervitis, *Domino Chriſto* ſervitis, ita S. *Thomas.*

℣. 25. *Qui enim injuriam facit, recipiet id quod iniquè geſſit: & non eſt perſonarum acceptio apud Deum.*

Græcè *qui autem injuſtè facit*, pænam recipiet injuſtitiæ ſuæ debitam. Significat Deum judicem apud quem *non eſt reſpectus perſonarum*, ſed ponderatio meritorum, non parciturum Dominis, ſi quid injuſtè egerint adversùs ſervos, ùt *Eph.* 6. ℣. 9. ex *Eſtio.*

CAPUT IV.

Orationi inſtare jubet etiam pro ſe & circumſpectè inter gentes converſari: commendat Tychicum & Oneſimum; ſalutationibus Epiſtolam claudit.

℣. 1. *Domini, quod juſtum eſt & æquum, ſervis præſtate: ſcientes quòd & vos Dominum habetis in cælo.*

HOc ad *caput præcedens* refert *S. Thom.* Monet Apoſtolus Dominos, ut non ſolùm præbeant ſervis id quod eis jure debetur veluti victum & veſtitum, & cetera neceſſaria, quæ ſi ſubtrahantur, injuſtè cum iis agitur; verùm etiam ut æquos & humanos ſe eis exhibeant, nec omne debitum ad amiſſim exigant, neque ſeverè puniant ſed ut ad *Epheſ.* 6. dicit; minas remittant: *Scientes* ſeu cogitantes ſe Jeſum Chriſtum *Dominum* ſuperiorem *habere in cælo*, ut *Eph.* 6. ℣. 9. Vide quæ de hac re dicit *Job.* c. 31. ℣. 13. & *ſeq.*

℣. 2. *Orationi inſtate, vigilantes in ea in gratiarum actione:*

Redit ad generalem exhortationem. Hoc enim omnibus convenit ut inſtent orationi, & benè in ea vigilare jubet, ut cogitatio omnis carnalis & ſæcularis abſcedat, ne tædium aut ſocordia obrepat: eſt autem gratiarum actio orationis pars præcipua.

℣. 3. *Orantes ſimul & pro nobis, ut Deus aperiat nobis oſtium ſermonis ad loquendum myſterium Chriſti (propter quod etiam vinctus ſum)*

Non dicit *oſtium* carceris, ſed oris ad proferendum *myſterium* ſalutis humanæ per Chriſtum; vel ut Deus ſubmoveat impedimenta *ſermonis*, ac ſuggerat oportunitatem *loquendi myſterium Chriſti*. Hoc enim modo accipitur ea phraſis 1. *Cor.* 16. ℣. 9., 2. *Cor.* 2. ℣. 12. & *Act.* 14. ℣. 26.; ita legimus in Hebræo *Oſee* 2. ℣. 15. *Oſtium ſpei* pro apertura ſpei. Conſtat ex hoc loco hanc epiſtolam è carcere ſcriptam eſſe, ex *Eſtio.*

℣. 4. *Ut manifeſtem illud ita ùt oportet me loqui.*

Ut myſterium Chriſti *manifeſtè* eloquar *ita ùt* oportet, id eſt, aptè & convenienter ad perſuadendum.

℣. 5. *In ſapientia ambulate ad eos, qui foris ſunt: tempus redimentes.*

Cum iis *qui foris ſunt*, id eſt, cum infidelibus monet prudenter & circumſpectè converſandum, ne aut eorum moribus vitium contrahant, aut eos facto aliquo ſcandalizent & ab Evangelio avertant, vel occaſionem dent perſequendi. *Redimentes tempus*; quid ſit redimere tempus, expoſitum eſt *Epheſ.* 5. ℣. 16., & ſenſus eſt: ut tempus liberum habeatis ad ſerviendum Deo, patiamini ſi opus ſit, etiam diſpendium rerum temporalium.

℣. 6. *Sermo veſter ſemper in gratia ſale ſit conditus, ut ſciatis quomodo oporteat vos unicuique reſpondere.*

Monet ut *ſermo* quem habent cum proximis,

maximè cum infidelibus, *ſemper ſit reſperſus ſale* ſapientiæ, idque *cum gratia*, cum grata jucunditate, vel in dulcedine charitatis, ſic enim futurum ut audientes alliciat & ædificet: & ad hanc gratiam ſermonis pertinet noſſe loqui & *reſpondere unicuique quemadmodum oportet* & convenit, ut ſermone afficiatur; ex *Greg. lib. de cura paſt.*

℣. 7. *Quæ circa me ſunt, omnia vobis nota faciet Tychicus chariſſimus frater, & fidelis miniſter, & conſervus in Domino:*

Eadem ſcribit in fine Epiſtolæ ad *Eph.* ut indè liqueat, utramque eodem tempore & ſcriptam & miſſam fuiſſe, *conſervum* ſuum *in Domino* vocat *Tychicum*, quòd in rebus ad Evangelium Chriſti pertinentibus unà cum *Paulo* laboraſſet.

℣. 8. *Quem miſi ad vos ad hoc ipſum ut cognoſcat, quæ circa vos ſunt, & conſoletur corda veſtra,*

Ut cognoſcat quomodo res veſtræ ſe habeant, mihique renuntiet. Erat enim pro Coloſſenſibus ſolicitus propter Judaïzantes & Simonianos ſinceritati fidei eorum inſidiantes.

℣. 9. *Cum Oneſimo chariſſimo, & fideli fratre, qui ex vobis eſt. Omnia, quæ hìc aguntur, nota facient vobis.*

Dicit ſe mittere eis unà cum Tychico *Oneſimum* quem vocat *fidelem & dilectum fratrem*, ſeu Chriſtianum ex ſervo fugitivo, ut hâc commendatione tegat culpam ejus priorem. Per hunc ſcribit etiam ad Philemonem, undè colligitur tres Epiſtolas ſimul miſſas ad *Eph. Col.* & *Philem. Omnia* ad Evangelii ſucceſſum pertinentia.

℣. 10. *Salutat vos Ariſtarchus concaptivus meus, & Marcus conſobrinus Barnabæ, de quo accepiſtis mandata: ſi venerit ad vos, excipite illum:*

Ariſtarchus Theſſalonicenſis erat & Apoſtolum ſecutus eſſe legitur, *Act.* 19. 20. & 27.; undè & ad cumulum gloriæ cum eodem Apoſtolo captus teneri meruit pro nomine Chriſti, ita *Anſel. Et Marcus conſobrinus* ſeu conſanguineus *Barnabæ.* Hic *Act.* 12 ℣. 25. vocatur Joannes cognomento Marcus; cujus rursùs ſub nomine Joannis mentio fit *Act.* 13. Denique propter ipſum natam eſſe diſſenſionem inter Paulum & Barnabam, narratur *Act.* 15. De ipſo etiam loquitur Apoſt. in 2. *Tim* 4. ℣. 11. Diverſum autem fuiſſe à Marco Evangeliſta, licèt aliqui ſecùs opinentur, ſatis exactè probat *Baron. in Annal. ad annum Chriſti* 45. Addit autem Apoſtolus, quòd ſit *conſobrinus Barnabæ*, vel ut *Marcum* ſic à cognatione tanti viri commendet, ut volunt Græci: vel ut à Marco Evangeliſta diſtinguat. *De quo accepiſtis mandata*, id eſt, literas commendatitias ſeu teſtimoniales; hujuſmodi enim ſolent tradi fidelibus, præſertim clericis profecturis ad aliam quampiam Eccleſiam ab ea in quà commoratus fuiſſet; more ab Apoſtolis primùm introducto, quæ quidem literæ vocabantur *formatæ. Marcus* iis indigebat, quia in *Pauli* offenſionem incurriſſet, non *Barnabus* qui ſatis erat notus, ita ut commendatitiis non indigeret. Sunt qui *mandata*, interpretantur data Coloſſenſibus à *Paulo*, ne Marcum reciperent, tanquam ea nunc revocet mandato contrario propter *Marci* reſipiſcentiam; ſed hoc eſt alienum ab humanitate *Pauli. Mandatum* ergo venerat ab Eccleſia Romana: *excipite illum*, id eſt, hoſpitalitatis officium

illi impendite: hoc enim erat exemplar *formatarum*, ita *Chryſ.* & *Theoph.*

℣. 11. *Et Jeſus, qui dicitur Juſtus: qui ſunt ex circumciſione: hi ſoli ſunt adjutores mei in regno Dei, qui mihi fuerunt ſolatio.*

Et, ſupple, ſalutat vos *Jeſus*. Nomen Jeſu multis erat commune, ut patet ex Hiſtoria Joſephi. *Qui ſunt ex circumciſione*, id eſt, Judæi ſcilicet tres jam nominati, *Ariſtarchus*, *Marcus*, & *Jeſus*. Quamvis enim *Ariſtarchus* eſſet patriâ Theſſalonicenſis, erat tamen gente Judæus, erat enim Judaïca gens toto orbe diſperſa. *Hos ſolos* habeo coöperarios ad promovendum *regnum Dei* quod eſt Eccleſia Chriſti; tales, inquam, *qui mihi* in carcere conſtituto *ſolatium* attulerunt. *Hi ſoli*, id eſt, ferè ſoli, nam plures quàm tres illos, Romæ cum ſinceritate Chriſtum annuntiaſſe ſatis colligi poteſt, ex *Epiſt. ad Rom.* & *Philipp.* At neque *Lucas* & *Timotheus* qui tunc Romæ erant, excludi poſſunt à coöperariis à quibus ſolatium acciperet.

℣. 12. *Salutat vos Epaphras, qui ex vobis eſt, ſervus Chriſti Jeſu, ſemper ſolicitus pro vobis in orationibus, ut ſtetis perfecti, & pleni in omni voluntate Dei.*

Commendat *Epaphram* Coloſſenſibus concivibus à ſolicitudine & labore quem pro illis ſubibat, aſſiduè pro iis Deum orans, ut *perfectè* ſtudeant implere *voluntatem* Dei, & in eo ſtudio perſeverent.

℣. 13. *Teſtimonium enim illi perhibeo, quòd habet multum laborem pro vobis, & pro iis, qui ſunt Laodiciæ, & qui Hierapoli.*

Laborem, græcè *zelum*, id eſt, ſtudium cum æmulatione quale eſt ſponſi pro ſponſa. Tale ſuum ſtudium erga Corinthios ipſe *Paulus* oſtendit, 1. *Cor.* 11. ℣. 2. *Laodicia* & *Hierapolis* erant civitates Coloſſis vicinæ.

℣. 14. *Salutat vos Lucas medicus chariſſimus, & Demas.*

Lucas Evangeliſta *Medicus* fuit, de quo hîc mentio, ex *Hier.* Quòd verò hoc loco tacuit adjutorem, id diſertè expreſſit ad *Philem.* ℣. 24. *Demas & Lucas adjutores mei.*

℣. 15. *Salutate fratres, qui ſunt Laodiciæ, & Nympham, & quæ in domo ejus eſt, Eccleſiam.*

Hoc monet ad confovendam Chriſtianam amicitiam inter fideles urbium vicinarum. *Nymphas* non mulieris, ſed viri nomen eſt, ex græco. Porrò familia Chriſtiana vocatur ab Apoſtolo *Eccleſia* quia eſt fidelium multitudo, ſic ordinata ut in ea alius præſit, alii ſubjecti ſint, idque etiam in his quæ ad religionem & ſalutem animarum ſpectant: quod in unaquaque domo aliquo modo obtinet. Similis locus eſt *Rom.* 16. ℣. 5. & 1. *Cor.* 16. ℣. 19.

℣. 16. *Et cùm lecta fuerit apud vos epiſtola hæc, facite ut & in Laodicenſium Eccleſia legatur: & eam, quæ Laodicenſium eſt, vos legatis.*

Ideò utriſque communem vult eſſe epiſtolam, quia utriuſque erat ratio communis. Nam veriſimile eſt, Laodicenſes ob viciniam loci ab iiſ-

dem

dem doctrinæ Chriſtianæ corruptoribus tentatos fuiſſe à quibus Coloſſenſes, nimirùm à Judaizantibus & Simonianis. *Quæ Laodicenſium eſt.* Horum verborum occaſione abuſus quiſpiam concinnavit atque divulgavit Epiſtolam quamdam velut à *Paulo* ſcriptam ad Laodicenſes: quæ fictitia epiſtola videri poteſt apud *Anſel.*, de qua *Hier.* dicit, legunt quidam ad Laodicenſes Epiſtolam, ſed ab omnibus exploditur. Porrò nonnulli perſuaſi ex hoc loco, *Paulum* verè aliquam ad Laodicenſes Epiſtolam ſcripſiſſe, dicunt eam intercidiſſe, ſicut & aliam quandam ad Corinthios ſcriptam. Sic *Anſ l. Thom.*, *Greg.* Fefellit certò hos ambiguitas verborum hujus loci prout latinè leguntur: ſed hanc ambiguitatem planè diſſolvit lectio græca, quæ ſic habet. *Et eam quæ ex Laodicea eſt, ut & vos legatis:* ex quo probabilior nobis eſt eorum ſententia (ait *Eſtius*) qui putant hìc agi de Epiſtola ab ipſis Laodicenſibus ſcripta ad *Paulum*, quæ contineret magnam teſtificationem fidei & charitatis eorum, ideòque *Paulum* voluiſſe ut eam legerent Coloſſenſes, illorum ſcilicet exemplo provocandi ad majorem fidei & charitatis profectum, ita *Chryſ.*, *Theod.* & *Oecum.*

℣. 17. Et dicite Archippo : vide miniſterium, quod accepiſti in Domino, ut illud impleas.

Hic *Archippus* Coloſſenſium fuit Epiſcopus qui poſt Epaphram regendam Eccleſiam ſuſcepit, ex *Thom.*; vel Diaconi functus fuit officio, ex *Primaſio* : vel meliùs ejus Eccleſiæ Presbyter fuit, ut ſenſus ſit, *dicite Archippo* veſtræ Eccleſiæ Presbytero, *ut miniſterium* ſibi ab Epaphra diſcedente injunctum in his quæ Domini ſunt, probè, & diligenter exequatur.

℣. 18. *Salutatio, meâ manu Pa* *Memores eſtote vinculorum meorum. G* *tia vobiſcum. Amen.*

Vinculorum ſuorum tertiò meminit hoc pite, non quaſi ſubſidium tacitè poſtulans, ut confirmentur in fide pro qua viderent ip pati.

IN EPISTOLAM
B. PAULI
APOSTOLI
Ad Theſſalonicenſes.

ARGUMENTUM.

THeſſalonia Macedoniæ Metropolis à qua Theſſalonicenſes dicti: ad quos, cùm pſeudoapoſtolos non admiſiſſent, ſed conſtantes in fide etiam perſecutiones fortiter tuliſſent, conſolatoriam hanc ſcribit epiſtolam Paulus, illorum fidei & conſtantiæ congratulans. Hortatur ut caſtè conjugio utantur, & ab immoderata triſtitia quâ mortuos lugebant quaſi qui omninò periiſſent, eos revocat & certiſſimâ ſpe reſurrectionis conſolatur. Primam tempore ſcriptam cenſet Epiſtolam Anſel., *non è Corinthio ſed ex Athenis miſſam., ait Baron, an.* 52. §. 22.

CAPUT I.

Congratulatur eorum fidei, & patientiæ.

℣. 1. *Paulus, & Silvanus, & Timotheus Eccleſiæ Theſſalonicenſium in Deo Patre, & Domino Jeſu Chriſto.*

℣. 2. *Gratia vobis, & pax....*

P*Aulus* in his duabus Epiſtolis nudum abſque epitheto nomen ſuum poſuit, vel propter reverentiam *Silvani*, ne ſupra eum ſè extollere videretur ſi peculiarem præ illo titulum uſurparet: vel quia recenter inſtructi erant, veriſimile eſt quòd ex hoc paſſi fuiſſent offendiculum, ait *Oecum. Silvanus* idem cum *Sila*, 2. *Cor.* 1. ℣. 19.; & *Timotheus*, quia comes *Paulo* fuerat profectionis ad Theſſalonicenſes, & laborum particeps. *Eccleſiæ Theſſalonicenſium in Deo Patre*, id eſt, quæ Eccleſia *eſt in Deo Patre*, tanquam efficiente & gubernante principio, & *in Domino Jeſu Chriſto*, ùt ſalutis ejus authore per meritum Paſſionis: vel *Eccleſiæ Theſſalonicenſium* congregatæ *in Deo*, &c. *Gratia* eſt beneficium Dei gratuitum ad ſalutem pertinens, ùt eſt fides, juſtitia, ejuſque partes & incrementa. *Pax* autem eſt hujuſmodi bonorum quieta poſſeſſio.

℣. 2. . . . . gratias agimus Deo ſemper pro omnibus vobis, memoriam veſtri facientes in orationibus noſtris ſinè intermiſſione,

Gratias agimus, ſcilicet pro beneficiis in vos omnes collatis, ùt fide, charitate, ſuſtinentiâ.

℣. 3. Memores operis fidei veſtræ, & laboris, & charitatis, & ſuſtinentiæ ſpei Domini noſtri Jeſu Chriſti, ante Deum & Patrem noſtrum:

Sinè intermiſſione, id eſt, nunquam intermittimus facere memoriam veſtri, quotieſcumque oramus: nam ſumus *memores* quomodo fides veſtra non eſt otioſa, ſed ſemper bonum opus agit; vel *memores* veſtri *operis* ex fide profecti, & *laboris* ex charitate profecti, & patientiæ quâ propter ſpem adventûs Chriſti Domini multa adverſa toleratis coram Deo: adaptat fidei opus, charitati laborem, & ſpei ſuſtinentiam. *Ante Deum* id eſt, coram Deo; & refertur ad vocabulum *Memores.*

℣. 4. Scientes fratres, dilecti à Deo, electionem veſtram:

Scientes, id eſt, cùm cognoverimus: illud autem *à Deo* tripliciter ordinari poteſt; 1° cum participio *ſcientes*: & ſenſus eſt, *ſcientes à Deo* ſeu ex Dei revelatione *veſtram electionem*: 2° cum voce *electionem*, ut ſenſus ſit: ſcientes vos à Deo electos eſſe. 3° cum vocabulo *dilecti*, quem ordinem *Eſtius* poſt *S. Thomam* eligit: ſicque ea pars *dilecti à Deo* continet cauſam ſequentis, *electionem veſtram.* q. d. *Scientes* vos eſſe electos ad vitam æternam, non propter opera veſtra bona quæ jam comme-

moravi, ſed ex mera & gratuita *Dei* erga vos *dilectione*, à qua velut fonte etiam ipſa bona veſtra profluunt. Erat hæc ſcientia non abſolutæ certitudinis, ſed magnæ probabilitatis & fiduciæ ex optimis fidei, ſpei & charitatis initiis conceptæ, ùt *Philipp.* 1. ℣. 6.

℣. 5. *Quia Evangelium noſtrum non fuit ad vos in ſermone tantùm, ſed & in virtute, & in Spiritu ſancto, & in plenitudine multa, ſicut ſcitis quales fuerimus in vobis propter vos.*

Confirmat Apoſtolus quod ℣. 4. dixerat, *ſcientes electionem veſtram.* Quod enim hìc commemorat, magnum erat argumentum *electionis* eorum. *Quia Evangelium noſtrum*, id eſt, prædicatio noſtra *non fuit ad vos in ſermone tantùm, ſed etiam in virtute* operis, vel *in virtute* miraculorum, ùt *Marc. ult.* ℣. 20., *Heb.* 2. ℣. 3. & 4. *Et in Spiritu ſancto*, quia per impoſitionem manuum noſtrarum dabatur Spiritus ſanctus: vel non tantùm prædicavi, ſed & vos credidiſtis operante in vobis Spiritu ſancto. *Et in plenitudine multa*, quia plenariè vos inſtruximus & ſpiritualibus gratiis authore Deo replevimus, & copioſè in vobis talia operati ſumus. *Sicut ſcitis*, ac ſi dicat: nam & ipſi mihi teſtes eſtis quomodo fuerimus inter vos converſati veſtræ ſalutis causâ, ut non ſolùm verbo, ſed & exemplo vos informaremus, ita *Anſel.*; quibus verbis tacitè innuit, quod *cap. ſeq.* & *cap.* 3. *ſeq. Epiſt.* clarè exponit, nempè ſe manibus ſuis laboraſſe ne eos ſumptu gravaret, ùt 1. *Cor.* 9. ℣. 12. *Act.* 20. ℣. 34. *Quales fuerimus*, id eſt, quàm humilis converſatio & tanta ut immemor juris ac poteſtatis meæ cum fatigatione manibus operaremur.

℣. 6. *Et vos imitatores noſtri facti eſtis, & Domini, excipientes verbum in tribulatione multa; cum gaudio Spiritûs ſancti:*

Et vos non ſolùm credidiſtis Evangelio quod vobis prædicavi, ſed etiam *facti eſtis imitatores* mei, Apoſtoli veſtri; imò quod ampliùs eſt, etiam *Chriſti Domini*, ùt 1. *Cor.* 11. ℣. 1.; in eo quòd ſicut Chriſtus Dominus & nos ejus Apoſtoli propter Evangelium à nobis prædicatum multa mala à Judæis infidelibus paſſi ſumus, ita & vos propter Evangelium à vobis fide ſuſceptum multam à veſtris civibus afflictionem (de qua *cap. ſeq.* ℣. 14. & *Act.* c. 17.) paſſi eſtis; quâ tamen non obſtante ſuſcepiſtis Evangelium non quomodocumque, ſed *cum gaudio Spiritûs ſancti*, id eſt, cum gaudio ſpirituali quod in vobis excitavit amor Chriſti & ſpes gloriæ promiſſæ, ùt *Rom.* 12. ℣. 12.

℣. 7. *Ita ut facti ſitis forma omnibus credentibus in Macedonia, & in Achaïa.*

Ita ut fueritis exemplo omnibus qui per Macedoniam & Achaïam crediderunt in Chriſtum. Quamvis enim quidam antè credidiſſent, ùt Philippenſes; poterant tamen omnes ab iis accipere exempla conſtantis & alacris fidei & prompti animi ad pericula pro fide ſubeunda.

℣. 8. *A vobis enim diffamatus eſt ſermo Domini, non ſolùm in Macedonia, & in Achaïa, ſed & in omni loco fides veſtra, quæ eſt ad Deum, profecta eſt, ita ut non ſit nobis neceſſe quidquam loqui.*

Diffamatus, id eſt, divulgatus & quaſi ſigno dato quaquaversùm perſonuit *ſermo Chriſti Domini*, id eſt, verbum Evangelicum, ut mirum

℣. 10. *Salutat vos Ariſtarchus concaptivus meus, & Marcus conſobrinus Barnabæ, de quo accepiſtis mandata: ſi venerit ad vos, excipite illum:*

Ariſtarchus Theſſalonicenſis erat & Apoſtolum ſecutus eſſe legitur, *Act.* 19. 20. & 27.; undè & ad cumulum gloriæ cum eodem Apoſtolo captus teneri meruit pro nomine Chriſti, ita *Anſel. Et Marcus conſobrinus* ſeu conſanguineus *Barnabæ.* Hic *Act.* 12 ℣. 25. vocatur Joannes cognomento Marcus; cujus rursùs ſub nomine Joannis mentio fit *Act.* 13. Deniquè propter ipſum natam eſſe diſſenſionem inter Paulum & Barnabam, narratur *Act.* 15. De ipſo etiam loquitur Apoſt. in 2. *Tim* 4. ℣. 11. Diverſum autem fuiſſe à Marco Evangeliſta, licèt aliqui ſecùs opinentur, ſatis exactè probat *Baron. in Annal. ad annum Chriſti* 45. Addit autem Apoſtolus, quòd ſit *conſobrinus Barnabæ*, vel ut *Marcum* ſic à cognatione tanti viri commendet, ut volunt Græci: vel ut à Marco Evangeliſta diſtinguat. *De quo accepiſtis mandata*, id eſt, literas commendatitias ſeu teſtimoniales; hujuſmodi enim ſolent tradi fidelibus, præſertim clericis profecturis ad aliam quampiam Eccleſiam ab ea in quâ commoratus fuiſſet; more ab Apoſtolis primùm introducto, quæ quidem literæ vocabantur *formatæ. Marcus* iis indigebat, quia in *Pauli* offenſionem incurriſſet, non *Barnabus* qui ſatis erat notus, ita ut commendatitiis non indigeret. Sunt qui *mandata*, interpretantur data Coloſſenſibus à *Paulo*, ne Marcum reciperent, tanquam ea nunc revocet mandato contrario propter *Marci* reſipiſcentiam; ſed hoc eſt alienum ab humanitate *Pauli. Mandatum* ergo venerat ab Eccleſia Romana: *excipite illum*, id eſt, hoſpitalitatis officium

illi impendite: hoc enim erat exemplar *formatarum*, ita *Chryſ.* & *Theoph.*

℣. 11. *Et Jeſus, qui dicitur Juſtus: qui ſunt ex circumciſione: hi ſoli ſunt adjutores mei in regno Dei, qui mihi fuerunt ſolatio.*

Et, ſupple, ſalutat vos *Jeſus*. Nomen Jeſu multis erat commune, ut patet ex Hiſtoria Joſephi. *Qui ſunt ex circumciſione*, id eſt, Judæi ſcilicet tres jam nominati, *Ariſtarchus*, *Marcus*, & *Jeſus*. Quamvis enim *Ariſtarchus* eſſet patriâ Theſſalonicenſis, erat tamen gente Judæus, erat enim Judaïca gens toto orbe diſperſa. *Hos ſolos* habeo coöperarios ad promovendum *regnum Dei* quod eſt Eccleſia Chriſti; tales, inquam, *qui mihi* in carcere conſtituto *ſolatium* attulerunt. *Hi ſoli*, id eſt, ferè ſoli, nam plures quàm tres illos, Romæ cum ſinceritate Chriſtum annuntiaſſe ſatis colligi poteſt, ex *Epiſt. ad Rom.* & *Philipp.* At neque *Lucas* & *Timotheus* qui tunc Romæ erant, excludi poſſunt à coöperariis à quibus ſolatium acciperet.

℣. 12. *Salutat vos Epaphras, qui ex vobis eſt, ſervus Chriſti Jeſu, ſemper ſolicitus pro vobis in orationibus, ut ſtetis perfecti, & pleni in omni voluntate Dei.*

Commendat *Epaphram* Coloſſenſibus concivibus à ſolicitudine & labore quem pro illis ſubibat, aſſiduè pro iis Deum orans, ut *perfectè* ſtudeant implere *voluntatem* Dei, & in eo ſtudio perſeverent.

tamen audaciam prædicandi omiſit, quamvis cum multo labore ac difficultate propter adverſarios qui populi tumultum contra ſe concitabant; quin potiùs *fiduciam* adauxit, eò quòd ſciret, ita Deo viſum eſſe ut ſinè præviis periculis non fructificet.

℣. 3. *Exhortatio enim noſtra non de errore, neque de immunditia, neque in dolo,*

Non de errore, id eſt, de falſa doctrina aut per impoſturam quaſi vos per eam fallere vellemus, ùt Philoſophi Gentiles; *neque de immunditia* velut illa Simonis Magi; *neque in dolo*, quaſi in tradendo Evangelio non Chriſti gloriam neque ſalutem veſtram, ſed lucrum & gloriam noſtram ſpectaremus; quemadmodùm Judæi pſeudoapoſtoli, ùt de his dicit 2. *Cor.* 11. ℣. 13.

℣. 4. *Sed ſicut probati ſumus à Deo ut crederetur nobis Evangelium: ita loquimur non quaſi hominibus placentes, ſed Deo, qui probat corda noſtra.*

Sed ſicut habiti fuimus *à Deo* fideles, integri & ſinceri, quibus ùt miniſtris ſuis committeret *Evangelium* prædicandum, *ita* cum omni fide & ſinceritate illud prædicamus, ùt 1. *Timi.* 1. ℣. 12., 2. *Cor.* 2. ℣. 17. *Non* velut *hominibus placere* ſtudentes, & per hoc eorum affectibus & cupiditatibus doctrinam noſtram accommodantes, uti pſeudoapoſtoli faciunt, *ſed Deo* placere cupientes, quem fallere non poſſumus, utpotè cordium inſpectorem, *Gal.* 1. ℣. 10.

℣. 5. *Neque enim aliquando fuimus in ſermone adulationis, ſicut ſcitis: neque in occaſione avaritiæ Deus teſtis eſt:*

Pergit ſuam in Evangelio tradendo ſinceritatem declarare, non ſumus, inquit, locuti vobis placentia, ſed utilia, ùt noſtis: nec occaſione Evangelii lucrum privatum quæſivimus; cujus rei Deum teſtem invoco: eſt enim juramentum, ex *Eſtio.*

℣. 6. *Nec quærentes ab hominibus gloriam, neque à vobis, neque ab aliis.*

Obliquè notat vitia pſeudoapoſtolorum & carnalium verbi Dei miniſtrorum, quæ ſunt hominibus placere & aſſentiri, quæſtum ex Evangelio venari, gloriam ſuam quærere.

℣. 7. *Cùm poſſemus vobis oneri eſſe ùt Chriſti Apoſtoli: ſed facti ſumus parvuli in medio veſtrûm, tamquam ſi nutrix foveat filios ſuos.*

Cùm poſſemus vobis oneri eſſe, id eſt, vos gravare exigendo à vobis ſtipendia, *ùt* ceteri *Chriſti Apoſtoli* exigunt vel accipiunt à ſuis auditoribus, ùt 1. *Cor. toto cap.* 9. & 2. *Cor.* 11. ℣. 9. Nos nec rebus veſtris paſci nec laudibus veſtris magnificari quæſivimus: *ſed facti ſumus parvuli:* vel ùt Græci legunt, *lenes, mites*, placidi, id eſt, humiliter ac ſubmiſsè nos gerentes, nec authoritatem præferentes, nec allegantes poteſtatem. More matris prolem nutrientis, quæ parvulo fit parvula, dum ſe ei quodammodò coæquat, ejuſque moribus aſſimulat, blandiens non imperans.

℣. 8. *Ita deſiderantes vos, cupidè volebamus tradere vobis non ſolùm Evangelium Dei, ſed etiam animas noſtras: quoniam chariſſimi nobis facti eſtis.*

Adeò vos diligentes & ſpiritu foventes, ùt nutrix ſuos quos aluit pueros, *cupiebamus vobis non ſolùm* impertiri doctrinam Evangelicam, *ſed etiam* vitam noſtram impendere: id autem volebamus, non quòd à vobis quidquam ſperaremus præmii, ſed quia vos ex animo diligebamus.

℣. 9. *Memores enim eſtis fratres laboris noſtri, & fatigationis: nocte ac die operantes, ne quem veſtrûm gravaremus, prædicavimus in vobis Evangelium Dei.*

Non dicit beneficiorum quibus vos affecimus, ſed quod longè majoris erat, ſollicitudinis, *laboris noſtri* ac ſudoris. Ob id, *ne cui veſtrûm* eſſemus oneri, cùm tamen poteſtatem haberemus tamquam Chriſti Apoſtoli. *Nocte & die* per quæ aſſiduitatem operandi ſignificat. Non commemorat, quòd accepiſſet aliqua à Philippenſibus, ne Theſſalonicenſes pudore gravet, ùt *Philipp.* 4. ℣. 16.

℣. 10. *Vos teſtes eſtis, & Deus, quàm ſanctè, & juſtè, & ſine querela, vobis, qui credidiſtis, fuimus:*

Hujus rei, quam dicturus ſum, *vos teſtes* appello, imò & *Deum* teſtem advoco: vos teſtes eſtis eorum quæ conſpexiſtis, eorum autem quæ non conſpexiſtis Deus teſtis eſt, nempè quòd ſinè dolo, quòd non ficté, quòd non ad placendum hominibus, quòd ſinè propoſito quidquam accipiendi, *vobiſcum qui credebatis, fuerimus*, ita *Oecum.*

℣. 11. *Sicut ſcitis, qualiter unumquemque veſtrûm (ſicut pater filios ſuos)*

Paulò antè comparavit ſe nutrici ſeu matri foventi filios ſuos, nunc ſe comparat patri filios ſuos inſtituenti: ita hæc *ſcitis*, *ſicut* & alia.

℣. 12. *Deprecantes vos, & conſolantes, teſtificati ſumus, ut ambularetis dignè Deo, qui vocavit vos in ſuum regnum, & gloriam.*

Senſus eſt, prout noſtis quemadmodùm unumquemque veſtrûm perindè ùt pater filios ſuos cum precibus exhortati fuerimus ad fidei perſeverantiam, & conſolati ſuper afflictione propter Evangelium exurgente, & *conteſtati ſumus, ut ambularetis dignè Deo*, converſaremini ſicut decet cultores ac ſervos Dei, ùt *cap.* 4. ℣. 1. & *ſeq.* *Qui vocavit vos* per fidem & baptiſmum: nam efficax intelligitur vocatio quâ facti fideles, incorporati fuerant Eccleſiæ quæ eſt *regnum* Dei, & futuræ *gloriæ* pignus acceperant Spiritum ſanctum.

℣. 13. *Ideò & nos gratias agimus Deo ſinè intermiſſione: quoniàm cùm accepiſſetis à nobis verbum auditûs Dei, accepiſtis illud, non ùt verbum hominum, ſed (ſicut eſt verè) verbum Dei, qui operatur in vobis, qui credidiſtis.*

Verbum auditûs Dei vocat Evangelii doctrinam ab ipſo Deo traditam, ſive ea ſcripto mandata ſit, ſive non. Cùm enim hæc Epiſtola *Pauli* ſit omnium prima, nondùm utiquè literis conſignaverat verbum quod prædicabat. *Accepiſtis*, id eſt, credidiſtis, inquit, ei tanquam *verbo Dei*; quicumque enim Evangelio credunt

ſicut oportet, id eſt, fide Chriſtianâ ſuſcipiunt verbum Dei quale reverà eſt, nempè *ùt verbum Dei*, id eſt, ùt verbum quod Deus ipſe locutus eſt; quia cùm ſit prima veritas, néc falli poteſt nec fallere. Qui autem non ita credunt, *accipiunt ùt verbum hominum*, id eſt, ùt dubium aut ùt probabile tantùm, aut ùt humanâ ſolùm ratione vel authoritate firmatum, quomodo recipiuntur placita Philoſophorum. *Qui operatur*: rectiùs juxta *S. Aug. de præd. Sanc.* c. 19. legitur *quod*, ſcilicet verbum *operatur*; Græcè ἐνεργεῖται quod ſemper paſſivè ſumitur: ut ſenſus ſit; quod agitur, incitatur (nimirùm agente Deo) *in vobis qui credidiſtis*, id eſt, qui illud ùt ſemen quoddam fructiferum fide ſuſcepiſtis: agitur autem ad omne genus piarum actionum. Loquitur *Apoſt.* de verbo credito, id eſt, de fide ipſa, quæ per charitatem operatur ùt *Gal.* 5. ℣. 6.; ex *Eſtio*.

℣. 14. *Vos enim imitatores facti eſtis fratres Eccleſiarum Dei, quæ ſunt in Judæa in Chriſto Jeſu: quia eadem paſſi eſtis & vos à contribulibus veſtris, ſicut & ipſi à Judæis:*

Ex hoc, inquit, liquet verbum Dei operatum eſſe in vobis, quia *facti eſtis imitatores Eccleſiarum Dei* id eſt, Chriſtianarum, *quæ in Judæa ſunt*, in eo ſcilicet quòd à ſuis civibus propter verbum Dei talia paſſi fuiſſent qualia illi à Judæis, de quibus *Heb.* 10. ℣. 32. & *ſeq.*, *Act.* c. 2. & 4.; de Theſſalonicenſibus autem *Act.* 17.

℣. 15. *Qui & Dominum occiderunt Jeſum, & Prophetas, & nos perſecuti ſunt, & Deo non placent, & omnibus hominibus adverſantur,*

Et quid mirum ſi proprios contribules Ju-

dæi affligant, quando ipſum quoque *Dominum* crucifixerunt, ùt *Act.* 3. ℣. 15. & c. 7. ℣. 52. *Joan.* 19. ℣. 11.; nec à propriis & domeſticis ſuis, Prophetis manus impias abſtinuerunt. Quin potiùs conſolamini vos & gratulamini vobis ob ſocietatem paſſionum Chriſti & Prophetarum ejus, ùt *Mat.* 23. ℣. 32.; erat enim conſenſus & communio ſceleris inter ipſos & patres eorum. *Et nos* Chriſti Apoſtolos *perſecuti ſunt*, *à Deo* diſplicent & exoſi ſunt & omni hominum generi.

℣. 16. *Prohibentes nos Gentibus loqui ut ſalvæ fiant, ut impleant peccata ſua ſemper: pervênit enim ira Dei ſuper illos uſque in finem.*

Impedientes *nos* quantùm in ipſis eſt, *ne Gentibus* annuntiemus Evangelium ſalutis, atque ita dum peccare non deſinunt, *ſemper peccata* peccatis accumulant, donec tandem *impleant* eorum menſuram uſque ad ſummum, quando jam non aliud eis reſtabit quàm terribile judicium Dei. *Pervenit*, græcè *prævenit*, & ſenſus eſt, cùm poſt hanc vitam ſit tempus iræ & vindictæ divinæ ſuper malos, in iſtos tamen ùt in alios egregiè malos, *ira Dei* etiam in hac vita exercetur & tempus ſuum quodammodò *prævenit*, dum juſto Dei judicio propter præcedentia peccata ſubindè in alia atque alia graviora cadere permittuntur; *prævenit*, inquam, non aliquando ceſſatura, ſed permanſura *uſque in finem*: id eſt, ad extremum uſque; quâ phraſi ſignificatur æternitas, ùt *Pſal.* 9. ℣. 19. Hîc ergo ſignificatur Judæorum tanquam à Deo reprobatorum juſta derelictio in peccatis & futura damnatio, ùt 2. *Theſ.* 2. ℣. 11. Loquitur autem Apoſtolus de Judæis qui illo erant tempore, non tamen de omnibus iis; nam & ipſe Judæus

erat & paulò antè laudaverat Chriſtianas Eccleſias quæ erant ex Judæis, ſed de populo ſeu multitudine quæ Chriſtum non recepit juxta *Joan.* 1. ℣. 11.; & de cujus infidelitate atque abjectione latiùs agit *Rom.* 9., ita *Eſtius.*

℣. 17. *Nos autem fratres deſolati à vobis ad tempus horæ, aſpectu, non corde, abundantiùs feſtinavimus faciem veſtram videre cum multo deſiderio:*

Reſpicit ad id quod ſuperiùs dixit, quòd tanquam pater cum filiis converſatus ſit. *Nos*, inquit, ô *fratres*, *orbati vobis*, orphani, relicti à vobis tanquam chariſſimis pignoribus *ad* breve *tempus*, id eſt, per hanc exigui temporis abſentiam, idque dumtaxat *aſpectu*, *non corde* (nam *in corde* vos ſemper habemus) vehementi ſtudio egimus cum magno veſtri deſiderio, ut citiſſimè *faciem veſtram* videremus, id eſt, vobis præſentes eſſemus etiam corpore.

℣. 18. *Quoniam voluimus venire ad vos: ego quidem Paulus, & ſemel, & iterùm, ſed impedivit nos ſatanas.*

Quoniam voluimus, id eſt, omninò ſtatueramus *venire ad vos*: ac nominatim *ego Paulus*, qui de meo deſiderio ac voluntate certiùs quàm de aliorum teſtari poſſum: atque id *voluimus ſemel & iterum* adornantes profectionem, *ſed impedivit* adverſarius nempè diabolus: alibi dicitur prohibitus *à Deo*, ùt *Act.* 16.; hìc verò dicit, ſe impeditum *à Satana*, quia mali homines progreſſum Evangelii impediebant, vel inſidias ſtruentes in via, vel turbas adversùs *Paulum* concitantes, ex *Hier.*

℣. 19. *Quæ eſt enim noſtra ſpes, aut gaudium, aut corona gloriæ? Nonne vos ante Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum eſtis in adventu ejus?*

Pro qua re nunc ſpero quòd in futuro mercedem accepturi ſumus, niſi pro vobis; aut undè nunc & in futuro gaudemus, niſi de ſanctitate veſtra; aut *quæ corona noſtræ gloriæ* quæ victoribus debetur, niſi vos? Coram *Domino noſtro Jeſu Chriſto*, cùm advenerit redditurus unicuique ſecundùm opera ſua?

℣. 20. *Vos enim eſtis gloria noſtra & gaudium.*

Certè *vos eſtis*, vel vos eritis *gloria noſtra & gaudium* coram Domino *in adventu ejus*, id eſt, per vos ero glorioſus in regno Chriſti, ut meritò de vobis gloriari poſſim. Hinc convincuntur hæretici qui nos calumniantur quòd beatiſſimam Dei matrem iiſdem aut ſimilibus nominibus ſalutemus *vitam*, *ſpem*; quam ſic vocamus, quatenùs vitam mundo peperit & ſalutem nobis impetret à filio, ùt notat *Eſtius*.

CAPUT III.

Oſtendit ſe conſolatum eſſe ex eorum fide & conſtantia, quæ ex Timotheo ad eos miſſo reſciverat, & magno ſe eos viſendi deſiderio teneri, & illis benè precatur.

℣. 1. *Propter quod non ſuſtinentes amplius, placuit nobis remanere Athenis ſolis:*

Dixit quia *deſolati ſumus à vobis*, qui eſtis gloria noſtra; *propter quod* ego *non ſuſtinens ampliùs* deſiderium veſtri, & cùm tamen aditus ad vos nondum daretur, viſum fuit mihi adventum & præſentiam meam per alium mihi conjunctiſſimum ac velut alterum me ſupplere, ſic ut ego *ſolus* tam fideli ac neceſſario comite deſtitutus relinquerer ac remanerem *Athenis*.

℣. 2. *Et miſimus Timotheum fratrem noſtrum, & miniſtrum Dei in Evangelio Chriſti ad confirmandos vos, & exhortandos pro fide veſtra:*

Ad confirmandos vos, id eſt, ut vos in fide confirmaret & exhortaretur ad perſeverantiam, ſive, ut conſolaretur vos ſuper negotio fidei veſtræ, nequis propter adverſitates quibus Evangelium paſſim exagitatur, deſpondeat animam; ita *Græci* & *Ambroſianus*.

℣. 3. *Ut nemo moveatur in tribulationibus iſtis : ipſi enim ſcitis quòd in hoc poſiti ſumus.*

Ut nemo turbetur ob afflictiones iſtas & preſſuras quas & vidiſtis coràm & poſteà audiſtis, me pati propter Evangelium; q. d. Novum vobis videri non debet quòd hæc patiar: *ſcitis enim*, me *in hoc* ipſum delectum & prædeſtinatum eſſe à Deo, ut paſſionibus meis quas Evangelii causâ ſuſtineo, Chriſti nomen illuſtrem. *Act.* 9. ℣. 15. Vel *poſiti ſumus* nos & vos, & omnes Chriſti fideles, ùt *Act.* 14. ℣. 21., 2. *Tim.* 3. ℣. 12., ita *Anſel.*

℣. 4. *Nam & cùm apud vos eſſemus, prædicebamus vobis paſſuros nos tribulationes, ſicut & factum eſt, & ſcitis.*

Prædicebam vobis forè ut Evangelii causâ paterer afflictiones & perſecutiones; prædicebat autem vel novâ revelatione divinitùs acceptâ; vel de ea re certiùs ex veteri oraculo ad Ananiam facto, *Act.* 9. ℣. 16. *Sicut & factum eſt* poſteà, & vos ipſi *ſcitis*; loquitur de tumultu adversùm ſe concitato, cùm eſſet Theſſalonicæ, quamquam & ad alias perſecutiones quas poſt ſuum indè diſceſſum paſſus fuerat, extendi poteſt ſententia.

℣. 5. *Propterea & ego ampliùs non ſuſtinens, miſi ad cognoſcendam fidem veſtram : ne fortè tentaverit vos is, qui tentat, & inanis fiat labor noſter.*

Hæc igitur, inquit, cauſa eſt ob quam *ego* veſtri deſiderium non diutiùs ferens *miſerim* ad vos Timotheum, ut cognoſcerem quemadmodùm ſe haberet fides veſtra; num firma eſſet & conſtans, an aliquâ parte labefactata, ab eo *qui tentat*; pro quo Ambroſiani lectio habet,

qui *tentator* eſt, ùt *Mat.* 3; qui occaſione mearum afflictionum *vos tentaverit* & impulerit ad aliquem fidei defectum, atque ita *labor* quem vobis inſtruendis inſumpſi, reddatur irritus & infructuoſus.

℣. 6. *Nunc autem veniente Timotheo ad nos à vobis, & annunciante nobis fidem & charitatem veſtram, & quia memoriam noſtri habetis bonam ſemper, deſiderantes nos videre, ſicut & nos quoque vos:*

Annuntiante nobis quia inter adverſa benè permanetis in *fide*, nec deſeruiſtis *charitatem* quâ Deum & proximos vel etiam inimicos diligitis; & referente, quia memores eſtis, & nihil niſi bonum cogitaſtis, ſemper optantes *nos videre, ſicut & nos quoque* deſideramus vos cernere.

℣. 7. *Ideò conſolati ſumus fratres in vobis in omni neceſſitate, & tribulatione noſtra per fidem veſtram,*

Propter hæc, inquit, à Timotheo nuntiata conſolationem accepi *in vobis*, ſive per vos, id eſt, per fidem veſtram ſuper omni afflictione & periculis in quibus verſor, q. d. nihil iſtorum malorum grave duco, poſteaquam cognovi fidem veſtram de qua metuebam, eſſe in tuto. *Neceſſitatem* non indigentiam, ſed preſſuras & pericula vocat, ùt *Pſal.* 24. ℣. 17. ex *Hier.*

℣. 8. *Quoniam nunc vivimus, ſi vos ſtatis in Domino.*

Non dicit animum recipimus aut reſpiramus à malis, ſed quod majus erat, *nunc vivimus*; vitam ducens firmitatem fidei illorum, & mortem dimoveri ab ipſa, ita *Oecum* & *Hier.*

℣. 9. *Quam enim gratiarum actionem poſſumus Deo retribuere pro vobis in omni gaudio, quo gaudemus propter vos ante Deum noſtrum,*

Et tantum eſt, inquit, receptum propter vos gaudium, quòd ne inveniamus quidem, quomodo dignè gratias agamus *ante Deum noſtrum*, id eſt, in conſpectu Dei noſtri; ſignificat hoc gaudium ſuum non eſſe mundanum aut carnale, ſed ſpirituale ac Deo probatum, utpotè de bono ſpirituali conceptum.

℣. 10. *Nocte ac die abundantiùs orantes, ut videamus faciem veſtram, & compleamus ea quæ deſunt fidei veſtræ?*

Oratio intenſa & multùm extenſa ſignificatur verbis *abundantiùs*, & *nocte & die*. Complet autem ſive ſupplet ea *quæ deſunt fidei* cujuſpiam, qui eum pleniùs inſtruit in eis quæ ſunt religionis Chriſtianæ, vel docens ea quæ nondùm audivit: hoc modo complementum fidei acceperunt Apollo Alexandrinus & Epheſii quidam tantùm ſcientes baptiſma, & an ſpiritus S. eſſet, ignorantes. *Act.* c. 18. & c. 19.; vel qui conſolatione ſuâ & exhortatione id agit, ut quis firmus & conſtans in fide ſit, ùt *Luc.* 17. ℣. 5.; vel qui perfectiùs eum inſtituit in fide, non quidem alios à prioribus articulos aut alia fidei myſteria tradens, ſed eadem diligentiùs explicans, & rationibus illuſtrans, & contra infideles confirmans. Primus & tertius modus complementi potiſſimùm hìc ſignificari videntur: undè *cap.* 4. eos pleniùs inſtruit de reſurrectione mortuorum, & *in* 2. *Epiſt.* errorem de die judicii removet &c. ex *Eſtio.*

℣. 11. *Ipſe autem Deus, & Pater noſter, & Dominus noſter Jeſus Chriſtus dirigat viam noſtram ad vos.*

Verba ſunt optantis cum precatione ut proſperum iter habeat ad eos, ea facturus quæ dixit. Veriſimile eſt exauditum fuiſſe, ex iis quæ narrantur de ſecundo ejus itinere in Macedoniam. *Act.* 20.

℣. 12. *Vos autem Dominus multiplicet, & abundare faciat charitatem veſtram in invicem, & in omnes, quemadmodùm & nos in vobis:*

Vide quantam vult eſſe charitatem, quòd etiam precatur ut abundent & exuberent in charitate *in invicem*, ſeu *mutuâ inter vos & in omnes*; hoc enim eſt Chriſtianorum, ut non tantùm fratres diligant, verùm etiam *omnes* homines, & credentes & incredulos. *Quemadmodùm & nos* abundare faciat charitate erga vos: vel *quemadmodùm* ego charitate abundo erga vos omnes, ùt qui etiam mori paratus ſum pro veſtra ſalute.

℣. 13. *Ad confirmanda corda veſtra ſinè querela in ſanctitate, ante Deum & Patrem noſtrum, in adventu Domini noſtri Jeſu Chriſti cum omnibus ſanctis ejus. Amen.*

Ut charitas, inquit, confirmet *corda veſtra* in omni bono, vos, inquam, reddendo irreprehenſibiles & ſinè offenſione viventes quoad externam converſationem, idque cum ſanctimonia, id eſt, puritate privata animi & corporis, ut tales ſitis *ante Deum*, id eſt, in conſpectu Dei Patris noſtri quem nihil latet, & non ſolùm in oculis hominum qui tantùm

vident quæ foris ſunt: *in adventu Chriſti* judicis recepturi ab eo glorioſam mercedem; vel potiùs ut *in adventu Chriſti* venturi tales ſitis & inveniamini *cum omnibus ſanctis ejus*, id eſt, cum omnibus per ipſum ſanctificatis quibus dicet, *venite benedicti*, &c.; vel *cum omnibus ſanctis* agite quæ dixi, quia ſic agunt omnes ſancti. *Amen*, id eſt fiat, verè, ita *Anſel.*

CAPUT IV.

Hortatur ad ſanctitatem vitæ, conſolatur eos ſuper morientibus quos reſurrecturos docet, Reſurrectionis modum exponens.

℣. 1. *De cetero ergò, fratres, rogamus vos & obſecramus in Domino Jeſu, ut quemadmodùm accepiſtis à nobis quomodo oporteat vos ambulare, & placere Deo, ſic & ambuletis ut abundetis magis.*

Hortatur ad profectum vitæ Chriſtianæ. *Obſecramus*, græcè, *exhortamur per Dominum Jeſum*, ut ſicut *à nobis* didiciſtis, quemadmodùm *vos ambulare* ſeu *converſari oporteat* & quibus actionibus Deum promereri, *ſic & ambuletis*, *ut* in eo quod dixi, *magìs* magiſque proficiatis: exigens profectum, jam cepiſſe agnoſcit.

℣. 2. *Scitis enim quæ præcepta dederim vobis per Dominum Jeſum.*

Quæ præcepta ambulandi & rectè vivendi *dederim vobis* non ex me, ſed *per Dominum Jeſum*, ùt 1. *Cor.* 7. ℣. 10.

3. *Hæc eſt enim voluntas Dei, ſanctificatio veſtra: ut abſtineatis vos à fornicatione,*

Voluntas hìc intelligitur ea, quæ in præceptis conſiſtit & à Theologis vocatur *voluntas ſigni*: & ſenſus eſt, hoc vult & exigit Deus à vobis, ſeu præceptum Dei eſt, ut ſanctificemini, abſtinentes ab omni immunditia, ab omni illicito concubitu: ſed meliùs *ſanctificatio* pro ſanctitate ſeu ſanctimonia, ùt ſæpè juſtificatio pro juſtitia ſumitur hebræâ phraſi, ex *Eſtio*.

℣. 4. *Ut ſciat unuſquiſque veſtrûm vas ſuum poſſidere in ſanctificatione, & honore:*

In ſanctificatione, ſive in mundiſſima purificatione, & *honore*, id eſt, ne inhonoretur opprobrio turpitudinis. *Vas* eſt proprium corpus, ùt 1. *Reg.* 2. ℣. 5.; vel propria uxor, ſeu corpus uxoris, ex *Aug. lib. de nupt. cap.* 8. & *lib.* 4. *cont. Jul. cap.* 10., & *Thomâ in comment.*; pro quibus facit locus ſimilis 1. *Pet.* 3. ℣. 7. Re tamen benè expenſâ videtur utrumvis dictorum rectè intelligi: nam pro eo, quod Apoſtolus hìc dicit *vas ſuum*, alibi in iiſdem ferè circumſtantiis dicit corpus ſuum aut corpora ſua: ùt *Rom.* c. 1. ℣. 24. & c. 12. ℣. 1., 1. *Cor.* 6. ℣. 18. & c. 12. ℣. 23., & 2. *Cor.* 4. ℣. 7. Ut ſenſus ſit, *ut ſciat unuſquiſque veſtrûm* corpore ſuo, vel uxore ſuâ uti *in ſanctitate & honore*, id eſt, caſtè & honeſtè: & *non* ùt ſequitur ℣. *ſeq.*, *in paſſionibus deſiderii.*

℣. 5. *Non in paſſione deſiderii, ſicut & Gentes, quæ ignorant Deum:*

Sive *morbum* cum *S. Aug.*, ſive *paſſionem* legas, ſignificat Apoſtolus motum libidinis adeò vehementem atque effrænem, ut erumpat in

actus quibus dignitas conjugalis dehoneſtetur; cujuſmodi quidem actus mortalia peccata ſunt etiam in conjugibus: qui verò conjuges à talibus abſtinent, neque tamen ſolius generationis causâ commiſcentur, ſed voluptatem in eo opere quærunt, intra limites conjugalis caſtitatis ſe interim cohibentes, niſi gravior accedat circumſtantia, non plus quàm venialiter peccant juxta doctrinam Apoſtoli 1. *Cor.* 7. ℣. 50; hi proindè vas ſuum adhuc poſſident in ſanctificatione & honore, licèt minùs perfectè, quàm ſi ſolius generationis causâ convenirent, ita *Eſtius*. *Sicut & gentes* &c. quibus verbis ſignificat, *Dei* ignorantiam fuiſſe cauſam, cur Gentiles ſeſe in omne genus vitiorum & voluptatum immergerent, ùt *Epheſ.* 4. ℣. 19.

℣. 6. *Et ne quis ſupergrediatur, neque circumveniat in negotio fratrem ſuum: quoniam vindex eſt Dominus de his omnibus, ſicut prædiximus vobis, & teſtificati ſumus.*

Ne quis ſupergrediatur, id eſt, *ne quis* terminos ſuì conjugii tranſgrediens alienum torum invadat ac violet, atque ita ampliùs quàm fas ſit, appetendo, proximum ſuum *in* hujuſmodi *negotio* fraudet, injuriâque afficiat, quæ deſcriptio eſt adulterii, ex *Hieron.* ad *Eph.* 4. ℣. 19. Alii ſed minùs rectè intelligunt de fraude & injuria quæ fit in mercimoniis & aliis contractibus, ùt *Thom.* *Quoniam* Chriſtus *Dominus*, quem judicem omnes expectamus, *horum omnium* quæ dixi, *vindex* adveniet secùs quàm Gentes exiſtimant, *ſicut* cùm apud vos eſſemus conteſtando ac denunciando *vobis diximus*, ùt fieri ſolet in re gravi. Nam Gentiles ferè pro nihilo hujuſmodi peccata ducebant.

℣. 7. *Non enim vocavit nos Deus in immunditiam, ſed in ſanctificationem.*

Non vocavit nos Deus ad cultum & religionem ſuam, non fecit nos Chriſtianos eo fine, ut *immunditiam* & ſordidam vitam duceremus, ſed ut ab impuritate vitæ prioris emundati *ſanctimoniæ* ſtuderemus, ut exemplo Chriſti vivamus; ex *Hier.*

℣. 8. *Itaque qui hæc ſpernit, non hominem ſpernit, ſed Deum: qui etiam dedit Spiritum ſuum ſanctum in nobis.*

Reſpicit ad ea quæ dixit, *ſcitis, quæ præcepta dederim vobis per Dominum Jeſum*, quibus ſignificavit ſe proponere Dei præcepta, quoniam & Chriſtus Deus eſt. Igitur *qui ſpernit* ac rejicit illa præcepta, *non tam ſpernit hominem* Dei miniſtrum à quo proponuntur, quàm ipſum *Deum* à quo data ſunt. At nihilominùs etiam ille non hominem ſpernit, ſed Deum, qui recuſat obedire legibus ac mandatis ab humana legitima poteſtate profectis, ſive ea poteſtas ſit Eccleſiaſtica, ſive politica, ut *Rom.* 13. ℣. 1. *Luc.* 10. ℣. 16. *Matth.* 18. ℣. 17. *Qui etiam dedit* &c. quæ pars, prout in vulgata legitur, pertinere videtur ad commendandam hominis præcipientis authoritatem. q. d. qui ſpernit ea quæ nos Apoſtoli præcipimus, non nos homines ſpernit, ſed Deum qui per Spiritum ſanctum quem nobis impertivit, nos fecit verbi ſui miniſtros ac poteſtatem dedit præcipiendi, ut 1. *Cor.* 7. ℣. 40. Græci legunt, *Qui dedit Spiritum ſanctum ſuum in vos*, & explicant hoc modo; qui per Spiritum ſuum quem vobis dedit in baptiſmo, vos ſanctificavit & in vobis habitat; igitur injuria ejus qui memorata Dei præcepta ſpernit, polluens ſe per immunditiam, peculiariter etiam redundat in Spiritum ſan-

ctum, quem peccando expellit & contumeliâ afficit, ita & *Cajet.*

℣. 9. *De charitate autem fraternitatis non neceſſe habemus ſcribere vobis: ipſi enim vos à Deo didiciſtis ut diligatis invicem.*

De charitate fraterna, quâ nimirùm vos invicem Chriſtiani diligatis, non admodùm opus habetis, ut hâc epiſtolâ vos admoneam, utpotè à Deo docti, vel edocti, ut *Iſa.* 54. ℣. 13. *Joan.* 6. ℣. 45. qui enim doctus eſt à Deo, ad eandem rem non indiget hominis magiſterio, *Heb.* 8. ℣. 11. ex *Jerem.* 31. & 1. *Joan.* 2. ℣. 20. & 27. ita *Aug. lib. de gratia*, *cap.* 13. & 14. & *in Pſ.* 118., qui à *Deo doctos* intelligit non ſolùm *intellectu* quomodo ſunt, qui ſciunt & non faciunt; ſed *affectu* quomodo ſunt omnes & ſoli qui faciunt quod faciendum noverunt: quem ſenſum Apoſtolus declarat *verſu ſequenti.*

℣. 10. *Etenim illud facitis in omnes fratres in univerſa Macedonia. Rogamus autem vos fratres ut abundetis magis,*

In omnes fratres, id eſt, paſſim erga omnes Chriſtianos opera dilectionis exercetis, non ſolùm in urbe veſtrâ, ſed & *in univerſa Macedonia:* & neceſſaria eſt conſequentia, doctus eſt à Deo, ergo facit; & contrà, non facit, ergo non doctus eſt à Deo, ut *Joan.* 6. *Rogamus autem vos* ut in ea fraterna charitate quam à Deo didiciſtis, eodem doctore ſtudeatis perficere & ignotos quoque diligere, ait *Hier.*

℣. 11: *Et operam detis ut quieti ſitis, & ut veſtrum negotium agatis, & operemini manibus veſtris, ſicut præcepimus vobis: & ut honeſtè ambuletis ad eos, qui foris ſunt: & nullius aliquid deſideretis.*

Quidam pauperes abutentes beneficentiâ, otio vacabant diſcurrentes per domos & inhiantes menſis divitum atque in res alienas curioſi, adeò ut hoc nomine etiam apud infideles malè audirent; hujuſmodi vitia & *hoc loco*, & *in 2. Ep. cap. 3.* caſtigat: *quieti ſitis* à curioſitate quæ non ſinit cor curioſi eſſe quietum, ita *Anſel.*; vel aliorum quietem ne turbetis, placidè & ſinè tumultu agite, propria curate, operi veſtro intendite; prohibet duo vitia ſæpe conjuncta otioſitatem & curioſitatem. *Operemini manibus veſtris*, Græcè, *propriis manibus veſtris operemini*, *ſicut præcepimus* cùm apud vos eſſemus. Ad ea facienda vos hortor ut iis obſervatis decenter vos geratis erga eos qui non ſunt Chriſtiani, ſed adhuc à Chriſti fide & veſtra ſocietate alieni, apud quos mendicare, aut propter inopiam impudentiùs agere ſcandaloſum ſit, ac veſtræ profeſſioni dedecoroſum. *Et nullius aliquid*, id eſt, nullam rem cujuſcumque fidelis *deſideretis*, nedum rogetis aut tollatis, ait *Anſel.* Malè ex hoc loco Hæretici damnant religioſos mendicantes cùm nec ipſi manibus operentur. Neque enim omnibus præcipitur ut manibus operentur aut mechanicum aliquid exerceant, ſed iis qui egent, & ſublimioribus functionibus ùt prædicationi verbi Dei non ſunt addicti, ex *Eſtio*.

℣. 12. *Nolumus autem vos ignorare fratres de dormientibus, ut non contriſtemini, ſicut & ceteri, qui ſpem non habent.*

Non dubium quin Theſſalonicenſes fuerint de reſurrectione & de adventu Chriſti judicis coram ab Apoſtolo diligenter inſtituti; verùm quia hæc fides nondum ſatis erat fixa animis eorum, fiebat ut pro veteri conſuetudine quaſi adhuc Gentiles eſſent, ſpem reſurrectionis non habentes, mortuos ſuos immoderatiùs lugerent: hoc igitur vitium in eis nunc corrigit Apoſtolus, q. d. Mors ob quam caros veſtros velut extinctos lugetis tantùm ſomnus eſt, à quo ſint ad vitam excitandi, ùt 1. *Cor.* 15. ℣. 18.; undè & cœmeterium, græcè, dormitorium dicitur. Non prohibet *ne contriſtentur* ſuper mortibus amicorum, ſed ne more infidelium contriſtentur; ex *Aug. ſerm.* 32. *de verb. Ap.*, & *Beda*.

℣. 13. *Si enim credimus quòd Jeſus mortuus eſt, & reſurrexit: ita & Deus eos, qui dormierunt per Jeſum, adducet cum eo.*

Quia *ſi credimus quòd Jeſus mortuus eſt*: ita pro certo credere debemus, quia & *Deus eos qui dormierunt per Jeſum*, id eſt, qui dormierunt in fide Chriſti Jeſu; vel per meritum Chriſti Jeſu *adducet* eos (ut ſignificet ſe loqui de ſola fidelium ac piorum reſurrectione, ùt 1. *Cor.* 15.) & ſiſtet in ipſius adventu redivivos. Nam oportet membra capiti ſuo conformari, eòque adduci ubi caput eſt, ùt 1. *Cor.* 15. Ubi ſunt qui carnem Chriſti reprobant? inquit *Chryſ.*

℣. 14. *Hoc enim vobis dicimus in verbo Domini, quia nos, qui vivimus, qui reſidui ſumus in adventum Domini, non præveniemus eos, qui dormierunt.*

Hoc quod dicturus ſum, *vobis dico* tanquam *verbum Domini*, tanquam doctrinam à Chriſto acceptam, quòd *nos qui* viventes erimus ac relicti ſive ſuperſtites uſque *in adventum Chriſti Domini*, non ſolùm non glorificabimur & regnabimus cum Chriſto ſinè illis qui jam obdormierunt, ſed nec eos ad Chriſti occurſum *præveniemus*: Loquitur Apoſtolus in prima perſona, non velut dubius, an fortè ipſo vivo futurus eſſet Domini adventus; nam hujuſmodi opinionem inſtantis diei Domini disertè in 2. *Epiſt.* rejicit: ſed ita loquitur partim ut in expectationem teneat erectos & ſuſpenſos Theſſalouicenſes, quo diem illum quaſi brevi venturum ſemper præſentem habeant, & ſemper ad eum parati ſint, ùt initio Cap. ſeq.; partim hoc ait in perſona electorum, qui in adventu Domini ſuperſtites erunt, id eſt, vivi reperientur; ex *Eſtio.*

℣. 15. *Quoniam ipſe Dominus in juſſu, & in voce Archangeli, & in tuba Dei deſcendet de cælo: & mortui, qui in Chriſto ſunt, reſurgent primi.*

Magnificum Domini adventum deſcribit, *deſcendet* inquit, *ipſe Dominus* Jeſus, non per nuntium, ſed in ſua perſona & corpore juxta dictum Angeli *Act.* 1. ℣. 11.; *in juſſu*, id eſt, cum hortatu, cum clamore vel cantu, ùt nautæ & milites ſe mutuò ſolent incitare ad rem ſtrenuè agendam, in qua ſignificatione eâ voce uſus eſt *Hier.* in *Jer m. Cap.* 25. 48. & 51. Hoc ſi placeat, intelligi poterit clamor ille de quo *Mat-*

th. 25 ℣. 6. Verùm Græci vocem illam in propria ſignificatione accipiunt & intelligunt *in juſſu* ſeu in imperio & mandato Domini, quo repentè jubebit omnes miniſtros ſuos præſto eſſe, & comites ad ſuum deſcenſum: Alii referunt ad illam vocem de qua *Joan.* 5. ℣. 28. *Omnes qui in monumentis ſunt audient vocem filii hominis*, ſcilicet Chriſti eos à morte ad vitam revocantis: quæ vox qualiſcumque illa ſit, inſtrumentum erit excitationis omnium mortuorum, uti vox Chriſti inſtrumentum fuit reſuſcitationis Lazari. *Joan.* 11. ℣. 43. Item *deſcendet in voce Archangeli*, id eſt, Archangelo Mihaële velut præcone Dominici adventûs clariſſimum ſonitum quaquâverſùm edente. *In tuba Dei*, ſeu tuba noviſſima, ùt 1. *Cor.* 15., ut non ſit aliud quàm vox Archangeli, quæ ita vocatur à claritate & magnitudine ſoni penetraturi (ut ita dicam) uſque ad aures mortuorum dormientium in ſepulchris. Cùm enim divinæ virtutis ſit mortuos excitare, meritò vox illa quâ id fiet, *tuba Dei* nominatur. Hujus tubæ ac vocis meminit etiam Dominus, *Matth.* 24. ℣. 31. *Et mortui qui in Chriſto ſunt, reſurgent primi.* Nimirùm continuò ad vocem Archangeli & ad ſonitum tubæ reſuſcitandi electi, ut deindè miniſterio Angelorum congregentur in unum locum, ùt 1. *Cor.* 15. ℣. 52. *Primi*, græcè eſt *primùm*, ùt, *S. Aug.* legit *de Civit. Dei*, *lib.* 20. *cap.* 20. Si ad hominis tubam terra videtur promoveri, quantò magis ad Dei, ait *Hier.*

℣. 16. ***Deinde nos, qui vivimus, qui relinquimur, ſimul rapiemur cum illis in nubibus obviam Chriſto in aëra, & ſic ſemper cum Domino erimus.***

Deindè & nos qui vivimus, qui relinquimur, græcè, qui reſidui ſumus: quæ verba ab Apo-

Domini, & mortuum qui ante in Christo m
ſunt; ſed inter reſurrectionem aliquoru
raptum omnium : ita *S. Thomas in com*
Relinquit autem Apoſtolus hìc intellige
id quod 1. *ad Cor. cap.* 15. ℣. 52. exprimit, n
eos, qui reſidui erunt, ad beatam immor
tem eodem momento immutandos, quo
tui ad eam reſurgent. Immutabuntur aut
qui reſidui erunt, vel ſinè morte & re
ctione de quibus hìc non ſit mentio, ita
vita hac mortali transferendi ſint ſimul
mel ad ſtatum incorruptionis, ùt græci v
vel potiùs ùt 1. ad *Cor.* c. 15. ℣. 51. dix
hi etiam priùs morituri ſunt; ſed, quia
turæ quies reſurrectionem illorum non p
det, & velut modica tantùm ac breviſſim
dam dormitatio mors illorum futura ſit
inter *mortuos & dormientes* de quibus
1. *ad Cor.* Paulus agit, cenſeri non poſſunt.
res autem, quandonam hi morituri, q
nam revicturi ſunt? Quidam reſpondent
turum in raptu quo in ſublima ferentur a
ſtum : quo ſenſu & mors & reſurrectio
mutatio in ipſo raptu perficiendæ ſun

cantis, *rapientur obviam Christo*: Raptus hic non erit violentus, cùm fiat per virtutem agilitatis, ſed propter celeritatem raptus dicitur: & quia magnum etiam momentum adferet Chriſtus motui iſti, trahens ac rapiens ad ſe Beatos. Quod dicitur *in Nubibus* vexat aliquos qui cùm poſt innovationem cælorum nullas in cælo nubes futuras putent, per nubes hìc intelligunt glorioſa Beatorum corpora, imò aliqui ipſum Chriſti corpus: ſed minùs rectè, ut patet ex *Act.* 1. ℣. 9. & *Matth.* 17. ℣. 5., ubi nubem interpretari ipſum Chriſti corpus vel Beatorum corpora res ipſa non patitur: Hinc alii meliùs vel nubes veras, vel conſtitutionem quamdam aëris denſam nubi candidæ ſimilem quæ Dei providentiâ per momentum ibidem aderunt, intelligi putant. *Et ſic ſemper cum Domino erimus*, id eſt, Dominum facie ad faciem in eadem æternitatis gloria videbimus, ait *Hier.*

℣. 17. *Itaque conſolamini invicem in verbis iſtis.*

Itaque in verbis iſtis, quæ diximus de adventu Chriſti & piorum reſurrectione & ſocietate, vel gloria perenni omnium juſtorum, mutuam fidem & ſpem excitando *invicem conſolamini*, ita *Anſel.*

CAPUT V.

Incertum eſſe diem Domini, vigilar
& bonis operibus intentum eſſe m
commendat eos qui præſunt.

℣. 1. *De temporibus autem, &
mentis, fratres non indigetis ut ſc
mus vobis,*

DE reſurrectione indiguiſtis i
per Epiſtolam noſtram, ſ
t mporibus quibus futura
utrum æſtate an hyeme, ſi
ĉte an die, ſive quo menſ
poſt quot annos venturus ſit
ſtus, & *momentis*, id eſt, quâ horâ diei v
ĉtis, non eſt neceſſe *ut ſcribamus vobis*; qu
prodeſſet vobis hoc ſcire, imò nec à me
poſſunt, quia Dominus ea latere volu
Act. 1. ℣. 7. ex *Chryſ.*

℣. 2. *Ipſi enim diligenter ſcitis
dies Domini, ſicut fur in nocte, it
niet.*

Quia vos *ipſi* ſcrutando ſcripturas, vel
à nobis planè noſtis, *quia dies Domini*,
dies judicii vel dies mortis nullo ſcien
ſperante *veniet*, *ſicut fur* qui latenter
dum dormiunt homines, ùt qui dives obd
mat evigilans nihil inveniat, ita *Anſel.*

℣. 3. *Cùm enim dixerint pax, & ſecuritas: tunc repentinus eis ſuperveniet interitus, ſicut dolor in utero habenti, & non effugient.*

Omnibus quidem veniet ille dies, ùt fur nocturnus, ſed ſolos malos opprimet imparatos, undè & iis ſolis *interitum* adferet. *Superveniet*, græcè, inſtat, & ſicut mulierem gravidam ex improviſo, dum aliud agit, occupant dolores partûs, ſic repentè ſuperventurum interitum; & *non effugient*, q. d. nec ullâ ratione poterunt *effugere* malum imminens, ſed certiſſimè ab eo comprehendentur, quod nunc non expectant, ait *Hier.*

℣. 4. *Vos autem fratres non eſtis in tenebris, ut vos dies illa tamquam fur comprehendat:*

Vos cùm ſitis illuminati per fidem vivam, non eſtis in cæcitate ignorantiæ, infidelitatis & cupiditatum ſæcularium, *ut dies illa* Domini *vos* operibus tenebrarum deditos ac ſomno ignorantiæ & negligentiæ conſopitos *velut fur* nocturnus inveniat & *comprehendat*: idem de die mortis & exitûs ſingulorum quo judicium particulare agitur, vult intelligi, ex *Aug. Ep.* 80. *ad Heſychium.*

℣. 5. *Omnes enim vos filii lucis eſtis, & filii diei: non ſumus noctis, neque tenebrarum.*

Filii lucis, id eſt, fide illuminati, & ad opera lucis ac diei (quæ ſunt opera fidei ac ceterarum virtutum) exercenda per Chriſti gratiam vocati, ùt *Eph. ſ.* 5. ℣. 8. dicit *omnes vos*, non quòd ſciret, *omnes* fideles qui erant Theſſalonicæ, nemine excepto, juſtos eſſe, ſed quia de ſingulis eam habebat fiduciam quòd juſti eſ-

℣. 6. *Igitur non dormiamus ſic ceteri, ſed vigilemus, & ſobrii ſi*

Quia, inquit, non noctis, ſed diei filii *igitur ne dormiamus* quaſi in nocte, id corripiat nos oblivio judicii Domini & peccatorum, uti ceteris contingit, ni infidelibus, qui ſunt noctis filii; *ſed vig & ſobrii ſimus*, quaſi in die: hoc eſt ſimus in expectatione judicis venturi qu *vigilare*; ſemperque juſtis ac temperati nibus intenti, quod eſt *ſobrios eſſe*, ùt 13. ℣. 13. Eo quòd in die eſſe noſtri ſi trii, ait *Chryſ.*

℣. 7. *Qui enim dormiunt, noct miunt: & qui ebrii ſunt, nocte ſunt.*

Senſus eſt, experientiâ notum eſt, h nocte dormire & nocte inebriari, id e ſomnum & ebrietates plerùmque nocte gere velut tempus commodum; ſciunt quàm malè congruant diei hujuſmodi act Nos igitur qui diei ſumus filii, ab iis a bus quæ per ſomnum & ebrietatem ſign

nibus incumbamus, quæ per ſobrietatem ſignificantur: quale eſt omne genus honeſtarum & piarum actionum; innuit filiis lucis, non ſolùm vigilandum, ſed etiam pugnandum, dum eis fidem & charitatem pro lorica, & ſpem pro galea ſuppeditat, ùt *Eph.* 6. ℣. 13. & *ſeq. Iſa.* 59. ℣. 17. *ſpem*, inquam, cœleſtium bonorum, quâ caput noſtrum, id eſt, principium & intentio operum in Deum erecta perſiſtat.

℣. 9. *Quoniam non poſuit nos Deus in iram, ſed in acquiſitionem ſalutis per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum*,

Confirmat quòd dixit ſpem pro galea aſſumendam eſſe: nam inquit, *Deus non poſuit*, conſtituit, ordinavit nos *ad iram*, ſeu vindictam, id eſt, non prædeſtinavit nos ad æternam damnationem: ſed ad æternam ſalutem efficaciter acquirendam, ùt *cap.* 3. ℣. 3., ubi, *in hoc poſiti ſumus* etiam ſumitur pro deſtinati ſumus. Sunt autem verba bonæ ſpei ac fiduciæ quibus Theſſalonicenſium animos excitat, ut per bona opera contendant eò ad quod electi ſunt, pervenire. Ex eo quòd Apoſtolus negat, Deum nos poſuiſſe *in iram*, conſequens eſſe docet, reprobos à Deo poſitos in iram vindicativam in æternum; ùt *ad Rom.* ex *Caj. Per Dominum*, id eſt, Deus per Chriſtum nos prædeſtinavit ad ſalutem: vel Deus nos prædeſtinavit ad ſalutem per Chriſti merita nobis acquirendam, ùt *Epheſ.* 1. ℣. 5. & *alibi*.

℣. 10. *Qui mortuus eſt pro nobis: ut ſive vigilemus, ſive dormiamus, ſimul cum illo vivamus*.

Idcircò, inquit, *mortuus eſt pro nobis* Dominus Jeſus, & reſurrexit; *ut ſive vigilemus*, hoc eſt, vivamus; *ſive dormiamus*, id eſt, mortui ſimus, unà *cum illo* æternâ vitâ fruamur; ex *Hier*.

℣. 11. *Propter quod conſolamini i cem: & ædificate alterutrum, ſicu facitis.*

Quia hæc ſpes eſt nobis, quia Chriſtus tuus eſt ad horam pro nobis, ut nos ſe cum illo vivamus, *conſolamini invicem* in bis iſtis, & mutuam ſalutem promovete pii monibus, quibus ad ſpem beatæ reſurrect & vitæ æternæ fratrum animi excitentur quod dicitur, pericula ne formidetis, et moriamur, vivemus, ait *Chryſ.*

℣. 12. *Rogamus autem vos fratre noveritis eos, qui laborant inter vos præſunt vobis in Domino, & mo vos,*

Rogamus, ſive exhortamur, *ut noveritis* agnoſcatis, id eſt, rationem ac reſpectum h tis eorum *qui laborant inter vos* docendo & ſti Sacramenta adminiſtrando & cetera q lutis veſtræ ſunt, procurando; & eorun *præſunt vobis* in his quæ ad religionem C Domini ſpectant, & *monent vos*, de iis agere, aut fugere debeatis.

℣. 13. *Ut habeatis illos abundan in charitate propter opus illorum: cem habete cum eis.*

Item rogamus ut æſtimetis eos ſummo *ut habeatis eos* magno in pretio *propter op* cellentiſſimum in quo verſantur, quod eſt curatio ſalutis veſtræ; idque faciatis non tu, aut ſimulatione, ſed *in charitate* ſive charitatem, quâ tales diligi juſtum eſt. or tamen honor debetur à fidelibus ſive in obedientia & reverentia conſiſtit, ſive in ſubminiſtratione bonorum temporalium qui benè præſunt quàm qui malè; quamv

his qui malè præſunt, debeatur honor juxta Apoſtolum ad *Rom.* 13. ℣. 1. ad *Tit.* 3. ℣. 1. & 1. *Pet.* 2. ℣. 18; quod eſt contra *Wiclef* qui damnatus eſt *in Conc. Conſtan art.* 18. *Pacem habete* ac retinete *cum eis* qui vobis præſunt, cavete ne quâ occaſione diſſidium inter vos & illos excitetur; græcè *in vobis ipſis*, id eſt, inter vos, ita *Oecum.*

℣. 14. *Rogamus autem vos fratres, corripite inquietos, conſolamini puſillanimes, ſuſcipite infirmos, patientes eſtote ad omnes.*

Nunc ad Prælatos eſt ſermo, & partes quaſdam eorum officii attingit; *Rogamus*, græcè, *exhortamur*, caſtigate curioſos & pacis quietem turbantes, atque indiſciplinatos & vagos, otioſos & laborem fugientes; *conſolamini puſillanimes*, ne in adverſis animum deſpondeant. *Suſcipite infirmos* in fide, in conſcientia, vel in actionibus, quique in via Dei facilè ſcandalizantur, ùt *Rom.* c. 14. ℣. 1. & c. 15. ℣. 1.; *patientes*, id eſt, lenes & manſueti *eſtote* erga omnes non ſolùm infirmos & puſillanimes, verùm etiam erga inquietos, ùt *Tit.* 3. ℣. 2., 1. *Tim.* 2. ℣. 24. Nihil enim huic pharmaco adæquari poterit maximè doctori, ait *Chryſ.*

℣. 15. *Videte ne quis malum pro malo alicui reddat: ſed ſemper quod bonum eſt ſectamini in invicem, & in omnes.*

Attendite non ſolummodò ut vos non reddatis *malum pro malo*, ſed *videte* ne alius reddat, ne fideles ſint vindictæ cupidi. Quin potiùs *ſemper*, id eſt, omni occaſione ſtudete omnibus benefacere, fidelibus & infidelibus & perſecutoribus veſtris: & iſta major eſt Philoſophia, ait *Chryſ.*

℣. 16. *Semper gaudete.*

In proſperis & in adverſis gaudio ſpirituali; ſeu in Domino *Philip.* 4. ℣. 4.; vel in conſcientiæ puritate, ex *Hier.*

℣. 17. *Sine intermiſſione orate.*

Quod quomodo ſit intelligendum diximus, *Luc.* 18. *Epheſ.* 6. ſcilicet multùm & frequenter *orate.* Continuum cordis deſiderium quidem continua oratio eſt, ut ait *Anſel.*, ſed huic præcepto non ſatisfaceret niſi frequentes orationis actus conjunctos habeat.

℣. 18. *In omnibus gratias agite: hæc eſt enim voluntas Dei in Chriſto Jeſu in omnibus vobis.*

In omnibus gratias agite, id eſt, in bonis ut in virtutibus, in his quoque rebus quæ contrariæ videntur & præter ſcopum: omnia enim ad id quod utile eſt, facit Deus, quanquam nos diſpenſationem ejus ignoremus. *Hæc eſt enim voluntas Dei*, ut grati ſitis erga eum qui ſemper beneficia præſtat *per Chriſtum Jeſum*, ita *Oecum.* Vel hæc non mea, ſed Dei præcepta ſunt, nam voluntas Dei eſt Chriſto docente tradita, ut vos hæc faciatis; ex *Chryſ.*

℣. 19. *Spiritum nolite extinguere.*

Hæc ad perfectos, *Spiritum ſanctum* ne extinguite, quantùm in vobis eſt; ita *Aug. Ep.* 23. *ad Bonifac.*; vel charismata ejus quæ dantur ad aliorum utilitatem, de quibus 1. *Cor.* 12. ſic *Chryſ.* q. d. Nolite prohibere quo minus quiſque proferat in medium id quod à Spiritu ſancto accepit, ſive ut linguis loquatur, ſive ut eas interpretetur, ſive ut enuntiet occulta myſteria, ſive ut ſcripturas exponat; hæc enim prohibere, eſſet Spiritum S. in donis ſuis extinguere. Sed & illi extinguunt qui miracula quæ

etiam hodiè Spiritûs ſancti operatione multis in locis fiunt, obſcurare conantur, ex *Eſtio*.

℣. 20. *Prophetias nolite ſpernere.*

Prophetias vocat ſermones quibus ex inſpiratione divina proferebantur occulta quædam, ſive ea eſſent res futuræ, ſive ſcripturarum ſenſus, ſive alia quæcumque latentia myſteria, ùt 1. *Cor*. 14.

℣. 21. *Omnia autem probate: quod bonum eſt tenete.*

Omnia quæ dicuntur à fratribus tanquam prophetantibus *probate*, id eſt, diligenter expendite, dijudicate qualia ſint: & *quod bonum* & ſanæ doctrinæ conſentaneum, id *retinete*. Non de omnibus omninò hoc dicit, ſed de iis quæ nova proferebantur à fratribus, & probata nondùm erant, hæc enim dijudicari oportebat, ùt 1. *Cor*. 14. ℣. 29. Ea verò quæ ab ipſo, ceteriſque Apoſtolis tradita erant Eccleſiis, non dijudicari vult, ſed teneri ùt 2. *Theſ*. 2. ℣. 14. & 1. *Cor*. 11. ℣. 2. Porrò quæ dijudicanda & probanda adhuc occurrebant, ea non ab omnibus probari præcipit, ùt volunt hæretici, ſed à præfectis ad quos id officii ſpectabat, ùt *Heb*. 5. ℣. 14. 1. *Cor*. c. 2. ℣. 14. & 15.; non ad omnes, ſed ad paucos qui ſpirituales & qui præditi ſunt *dono diſcretionis* ſpirituum de quo 1. *Cor*. 12. ℣. 10.: ſic ut hujuſmodi judicium ſubmittatur Romano Pontifici, non cuique privato: ſimilis locus eſt 1. *Joan*. 4. ℣. 1. ex *Eſtio*.

℣. 22. *Ab omni ſpecie mala abſtinete vos:*

Non ſolùm ab eo quod veraciter malum eſt, ſed etiam ab ipſa ſimilitudine mali *abſtinete vos*: ita *Oecum*.

℣. 23. *Ipſe autem Deus pacis ſanctificet vos per omnia: ut integer ſpiritus veſter, & anima, & corpus ſinè querela in adventu Domini noſtri Jeſu Chriſti ſervetur.*

Clauſurus Epiſtolam precatur eis à Deo pacem & ſanctitatem, *per omnia*, græcè ὁλοτελεῖς quaſi dicat, totaliter atque omni ex parte perfectos, ùt legit *Hier. in Ep.* 150. *ad Hedib. quæſt.* 12. Plerique uno vocabulo vertunt, *ſanctificet vos totos.* Quæſtio eſt quid Apoſtolus ſignificet per ſpiritum, Animam & corpus. Sunt qui per ſpiritum intelligunt Spiritum S. ſive gratiam ab eo procedentem quam ipſis ſervari precatur. Sed maximè probabile eſt (ait *Eſtius*) quòd per *ſpiritum* intelligatur rationalis pars animæ; per *animam* verò pars ejuſdem ſenſitiva quâ communicamus cum brutis animantibus: ſic enim ſpiritus & Anima diſtinguuntur in Cantico trium puerorum *Benedicite ſpiritus & Animæ juſtorum Domino.* Senſus igitur hujus loci eſt; Precor ut Deus pacis vos totos ac per omnia ſanctificet, id eſt, ſpiritu, Animâ & Corpore mundos conſtituat, ut hæc omnia integrè & omni ex parte coram Deo & hominibus *ſinè querela* ſeu irreprehenſa *ſerventur in adventu Domini* quando reddet unicuique ſecundùm opera ſua. Idcircò autem Apoſtolus ita ſtudioſè partes hominis recenſet, ne quis exiſtimaret ſatis eſſe, ſi corporis munditiés conſervetur; cùm imprimis neceſſè ſit tam ſuperiorem animæ partem, quàm inferiorem, id eſt, mentem, voluntatem, ſenſus tam internos quàm externos ab omni ſorde peccati puros cuſtodire.

℣. 24. *Fidelis eſt, qui vocavit vos : qui etiam faciet.*

Vide animi modeſtiam, quoniam pro eis oraverat, ait : Ne exiſtimetis quòd meis precibus ſalvemini, ſed ex ejus bonitate *qui vocavit vos* per Evangelium, donando fidem & juſtitiam, verax & *fidelis eſt* in promiſſis, *qui* proindè *etiam faciet*, ut immaculati inveniamini in adventu Domini, hoc eſt, idem ipſe dabit perſeverantiam, hanc enim omnibus electis promiſit in quorum numero vos eſſe confido, ùt 1. *Cor.* 1. ℣. 8. ex *Chryſ.*

℣. 25. *Fratres orate pro nobis.*

Ut ſermo Dei curat & clarificetur, ùt 2. *Epiſt.* c. 3. ℣. 1.; idque orat citrà Chriſti mediatoris injuriam, ùt notat *Eſtius.*

℣. 26. *Salutate fratres omnes in oſculo ſancto.*

Ut ad *Rom.* & *Cor.*

℣. 27. *Adjuro vos per Dominum ut legatur epiſtola hæc omnibus ſanctis fratribus.*

Propтereà *adjurat*, ut ſi propter ſimplicem juſſionem neglexerint agere, vel ſaltem propter ſacramentum adjurationis faciant, ita *Oecum.* & *Anſel.*; quod fieri neceſſe erat propter quoſdam fratres inordinatè viventes, de quibus plura in *Epiſt.* 2., quos volebat conſcios eſſe eorum quæ ſcribebat, ut corrigerentur.

℣. 28. *Gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti vobiſcum. Amen.*

Concludit valedicendi formâ ſolitâ.

IN SECUNDAM EPISTOLAM B. PAULI APOSTOLI Ad Theſſalonicenſes.

ARGUMENTUM.

Quia ſicut ſtatuerat Theſſalonicenſes reviſere, Paulo non licuit, alteram Athenis, vel Româ, vel ut priorem Corintho ſcribit Epiſtolam: & quia Chriſti adventu tanquam jam inſtante terrebantur, oſtendit quidem futurum, ſed non tam brevi, nec ante Antichriſti adventum. Coercendos docet inquietos & turbulentos & otioſè ac gratis viſitantes.

CAPUT I.

ratulatur illorum fidei & conſtantiæ, lens eos merito patientiæ accepturos ęmium, perſecutores autem pœnas.

1. *Paulus, & Silvanus, & Timo- Eccleſiæ Theſſalonicenſium in Patre noſtro, & Domino Jeſu ſto.*

Æc in priori Epiſtola expoſita ſunt. Addens *noſtro* innuit dignitatem vocationis noſtræ, quâ vocati ſumus in ſocietatem & fraternitatem filii Dei.

2. *Gratia vobis & pax à Deo Pa- oſtro, & Domino Jeſu Chriſto.* hac precatione in ſuperioribus Epiſtolis.

3. *Gratias agere debemus ſemper pro vobis, fratres, ita ut dignum quoniam ſupercreſcit fides veſtra, undat charitas uniuſcujuſque ve- in invicem:*

ut dignum eſt, id eſt, ut par eſt, ſive

℣. 4. *Ita ut & nos ipſi in vobis riemur in Eccleſiis Dei, pro patie veſtra, & fide, & in omnibus per tionibus veſtris, & tribulationibus, ſuſtinetis*

Ut nos ipſi de vobis & glorîemur apud Eccleſias Dei de tolerantia & fide veſtr ter ferendo perſecutiones Evangelii cau bis illatas: ut *Heb.* 11., ubi fidei efficacia ferenda fortiter quæque adverſa, multis ctorum exemplis latè probat Apoſtolus.

℣. 5. *In exemplum juſti judicii ut digni habeamini in regno Dei, quo & patimini.*

In exemplum, græcè documentum ſe nifeſtationem *juſti judicii Dei:* quæſtio eſt modò Apoſtolus dicat, ea quæ Theſſalo ſes patiuntur, aut ipſos qui talia patiu eſſe in manifeſtationem ſeu probationem *judicii Dei.* Græci quidem mentem Ap ſic explicant: *Quas* afflictiones *ſuſtinetis*, monſtretur juſtum Dei judicium: quando vos afflictos coronat, & illos qui vos a runt, punit, juſtitia ejus apparet: ita *Th* Verùm non videtur quomodò juſtum D dicium, quod in futuro ſæculo manifeſta demonſtretur hominibus ex eo quòd Th nicenſes affligerentur: nam oppreſſio bon & proſperitas malorum in hoc ſæculo, tentare ſolet homines ad negandam Dei tiam, ut patet ex *Pſal.* 72. ℣. 3. & *ſeq.*

bonis non parcit in hoc ſæculo, cogitandum utique relinquit quâ ſeveritate malos plectet in futuro judicio, ſic *Anſel.* & *Th.*; ùt 1. *Pet.* 4. ℣. 17. Quas ſuſtinetis, inquit, *ut digni habeamini*, vel ut digni ſitis habiti, & ille vos dignos duxerit *regno ſuo* ob afflictiones veſtras; ille enim dignatus eſt eos in afflictionibus confirmare, ùt *Philip.* 1. ℣. 28. & *ſeq.* Vel meliùs quas afflictiones ſuſtinetis eo fine & fructu, ut per eas repurgati, atque mundati, tanquam aurum in camino probationis efficiamini digni regno Dei, in quod nihil intrat quod non ſit omni ex parte purum. *Apoc.* 11. ℣. 27. *Pro quo* regno Dei conſequendo *patimini*, ut ſignificetur præmium quod ſpectant ii qui patiuntur: vel propter quod Dei regnum à vobis creditum & ſperatum, impii vos affligunt, ùt *Mat.* 5. ℣. 10. & *ſeq.* Monſtrat hic locus contra hæreticos vitam æternam quæ in regno Dei intelligitur, non ita gratiæ Dei tribuendam eſſe, ut non etiam dignitati & meritis hominum à gratia Dei profectis retribuatur.

℣. 6. Si tamen juſtum eſt apud Deum retribuere tribulationem iis, qui vos tribulant:

Si tamen non dubitantis eſt, ſed affirmantis; Græci habent *ſiquidem*, vel quandoquidem *juſtum eſt*, *Deum* reddere *retributionem:* vel ùt Græci legunt, *tribulationem iis, qui vos tribulant;* verùm id non ſtatim, ſed ſuo tempore ùt *Apoc.* 6. ℣. 10. & *ſeq.*

℣. 7. Et vobis, qui tribulamini requiem nobiſcum in revelatione Domini Jeſu de cælo cum Angelis virtutis ejus,

Requiem, græcè, remiſſionem, relaxationem ſcilicet à preſſuris hujus mundi, quam *Joan. Apoc.* 14. ℣. 13. vocat *requiem à laboribus.* Additur

hic *nobiſcum*, id eſt, cum Apoſtolis Cl
& miniſtris Evangelii; *in revelatione*, id
cùm *Dominus* revelabitur, veneritque ad
cium *Angelis* ſuis comitatus, *Mat.* c. 1
27. & c. 24. ℣. 31. *& alibi.*

℣. 8. *In flamma ignis dantis vindic iis, qui non noverunt Deum, & non obediunt Evangelio Domini n Jeſu Chriſti.*

1. Senſus eſt, Chriſtum venturum cum
flammeo, id eſt, urente ſimul & lucent
& horrorem primo ſtatim aſpectu omnibu
piis inferat, & contactu eoſdem cruciab
urat; qui ignis conflagrationis vocari ſolet
jus alibi frequens eſt mentio: ut Pſ. 49.
& Pſ. 96. ℣. 3. *Iſa.* c. 66. ℣. 15. *Dan.* 7. ℣. 9. &
Joël. 2. ℣. 3.; qui ignis etiam bonos purga
ut. 1. *Cor.* 3. ℣. 13. *& ſeq.*, & innovabit c
& terram, id eſt, mundum univerſum
Pet. 3. ℣. 10. *& ſeq.* Participium *dantis* no
genitivum *ignis* aut *flammæ*, ſed ad *Do
Jeſu* referendum ex græco, ut ſenſus ſit; C
ſtum de cœlo venturum qui per ignem i
infligat ultionem omnibus *iis*, *qui Deum no
verunt*, etiam quibus Chriſtus non eſt præ
tus; nam & his ignorantia Dei peccatum
& non ſolùm pœna peccati, quia Dei nc
legis eſt naturæ, à qua nemo ratione uten
cuſatur, *Sap. toto cap.* 13. *Pſ.* 18. ℣. 1. & *Pſ*
℣. 6., *Aug. lib.* 2. *qq. Evang. q.* 46., *lib.* 10.
cap. 6. Et quidem ii *qui Evangelio* audito
obediunt, id eſt, non credunt, graviùs
cant & proinde graviùs punientur, quàm
non audito Chriſti Evangelio Deum igno
ex *Aug. lib. de grat. cap.* 3. Qui verò cre
quidem Evangelio, ſed non vivunt ut cred
cum *iis qui non obediunt Evangelio*, cenſe

i infideles & vani fideles luent *pœnas*,
ıorarias ſed *æternas*; nec in modico do-
ſed *in interitu*, id eſt, in morte perpe-
ıon quâ illi quibus accidit, eſſe deſinant,
uà ſemper & in æternum ſint miſeri :
remoti *à facie*, id eſt, à præſentia viſionis
ni, *& à gloria virtutis ejus*, ita ut nec eam
nt gloriam quam virtus ejus oſtendet in
dabit ſanctis; ſicut ſcriptum eſt, *tollatur*
s, *ne videat gloriam Dei*. Nam in judicio
unt boni & mali *formam ſervi*, ac dein-
ım mali in gehennam præcipitati fuerint,
ſublevabuntur ad videndum claritatem
itatis ejus, ita *Anſel.* Vel ſenſus eſt, ven-
ı eâ formâ, gloriâ, majeſtate, & oſten-
fortitudinis ac potentiæ, ut ſola ejus præ-
ı & conſpectus ſeu facies palàm mundo
eſtata ſufficiat ad perdendum impios. Si
dæmones præſentiam Chriſti verſantis in
non ſuſtinebant, quantò minùs præſen-
ejus cum tanta majeſtate venientis ad ju-
m impii ſuſtinere poterunt. Hæc de pœ-
piorum retulit ad conſolationem piorum
iam non ſolùm pertinebat, ut ſcirent qui-

℣. 10. *Cùm venerit glorificari in ſanctis ſuis, & admirabilis fieri in omni qui crediderunt, quia creditum eſt teſtimonium noſtrum ſuper vos in die*

Reflectit ſermonem ad gloriam electorum tempore non ſeparabitur à vindicta impior ſimul explicat quod proximè dixerat, *à g virtutis ejus*. Ea quæ dixi, inquit, tunc ra ſunt, *cùm venerit Dominus, ut glorific* id eſt, glorioſus appareat *in ſanctis ſuis*. nimirùm fiet, dùm eos ad gloriæ ſuæ ſi tudinem evehet & membra capiti, hoc ſibi ipſi reddet conformia. Et ut appareat *a rabilis* in fidelibus ſuis, dum eos olim abj & miſeros, uſque ad miraculum clarc beatos efficiet, ùt *Sap*. 5. ℣. 1. 2. & *ſeq*. *creditum eſt teſtimonium noſtrum ſuper* quod alii clariùs ita reddunt, *quia fides h eſt teſtimonio noſtro inter vos*, vel *apud v die illo*. Doctrinam Evangelicam *teſtimo* vocat, quia ſincerus Evangelii prædicator ſui capitis inventa, ſed viſu vel auditu d tùs accepta tanquam teſtis fidelis trader docere debet. Undè Chriſtus Apoſtolos t ſuos eſſe præcipit *Luc. ult*. & *Act*. 1.; quo fideliter feciſſe legitur *Act*. 4. ℣. 33. ex

℣. 11. *In quo etiam oramus ſemper vobis: ut dignetur vos vocatione Deus noſter, & impleat omnem vo tatem bonitatis, & opus fidei in vi te,*

In quo, græcè, *in quod* vel *ad quod*, i ad quam rem ſcilicet ut etiam in vobis Ch cùm venerit, glorificetur & admirabilis Nos Deum *pro vobis* aſſiduè *oramus*; p tes, *ut vos dignos habeat* iſtà *vocatione De*

ſter, ſcilicet fidei vocatione & ſanctæ converſationis perſeverantiâ, quæ in termino hujus vitæ completur, quæ quidem eſt efficax vocatio ad regnum & gloriam Sanctorum, ut *Apoc.* 19. ℣. 9. Et hæc vocatio non eadem eſt cum electione, ſed potiùs effectum electionis. Quos enim ab æterno Deus elegit ad gloriam, eis in tempore dat ſanctæ fidei perſeverantiam; in qua conſiſtere diximus hujus loci *vocationem*. *Et ut*, inquit, *compleat* æternum beneplacitum bonitatis ſuæ, quâ vos elegit ad conſortium gloriæ Chriſti. Completur illud in hac vita maximè per donum perſeverantiæ. *Et ut* in vobis perficiat & perducat ad finem *opus fidei*, id eſt, patientiam in adverſis, per quam maximè fidei & gratiæ virtus relucet. De hoc fidei opere loquitur *Jac.* 1. ℣. 3; quod plerophoriam vocat: ex *Chryſ.*

℣. 12. *Ut clarificetur nomen Domini noſtri Jeſu Chriſti in vobis, & vos in illo ſecundùm gratiam Dei noſtri, & Domini Jeſu Chriſti.*

Ita impleat hoc in vobis, *ut* in præſenti vita *nomen Domini noſtri Jeſu Chriſti* clarum & glorioſum appareat in bonis operibus veſtris, *& vos* in alia vita clarificemini *in illo*, & hoc, *ſecundùm gratiam Dei noſtri* Patris, & *Domini Jeſu Chriſti*, id eſt, ſecundùm quod Pater & Filius per gratiam ſancti Spiritûs electis ſuis gratuitâ bonitate tribuunt ſuprà quàm mereri poſſunt, ita *Anſel.* Expetit à nobis quod poſſumus, ut quod non poſſumus, largiatur, ait *Hier.*

næ quamvis multæ (quod prioribus ſa
accidit ſæpè) ſed etiam regna & prov
omnes aut penè omnes recedent ab Ec
Catholica & ab obedientia ejus quem ſui
terris Vicarium, ſuæque Eccleſiæ Chriſti
ſtorem conſtituit, hoc eſt, ſucceſſoris Bea
tri Apoſtoli Romani Pontificis; ita *S. T*
Anſel. & *Lyran. Homo peccati*, hebraicè
tur, homo inſigniter malus ac ſceleroſus &
omnium peccatorum, qualis Antichriſt
Hier. ad Algaſ.; quia ſuperbia in eo tant
ut extollat ſe ſupra omne quod dicitur D
ſeſeque tanquam Deum oſtentet, & co
ciat; idem *perditionis filius dicitur*, id eſt
imo perditione digniſſimus & æternæ per
ni deſtinatus, ùt Chriſtus Judam prodit
appellavit *Joan.* 17. ℣. 12. Erit igitur Anti
ſtus homo non diabolus, aut dæmon in aſſ
to corpore, non diabolus incarnatus, ſed
boli organum præcipuum.

℣. 4. *Qui adverſatur, & extoll*
ſupra omne, quod dicitur Deus, aut

ſaluti: & *extollitur ſupra* omnem vero aut falſo nomine Deum; *Sunt* enim, ùt 1. *Cor.* 8., *qui dicuntur Dei*, propter quos Apoſtolus hìc dicit *ſupra omne* &c.; & evertet omnem cultum ſeu verum ſeu falſum, ùt aras, delubra, ſtatuas, ſimulacra, ut ipſe ſolus colatur, ùt Nabuchodonoſor *Judith* 3. & Antiochus *Dan.* 11., & ita erigetur, *ut ſedeat* & ſe adorari jubeat *in Templo Dei.* Dubium eſt de quo templo loquatur Apoſtolus: quidam Hieroſolymitanum intelligunt, ſed cùm hoc deſtructum ſit tempore *Pauli*, intelligi deberet de alio loco prioris à judæis vel ab ipſo Antichriſto ut in eo ipſe colatur, reædificandum; quod tamen *Paulus* non dignaretur vocare templum Dei. *Cajetanus* putat non aliquod determinatum templum ſignificari, ſed ſenſum eſſe, quòd in quocumque templo Deo dicato ſeſſurus ſit Antichriſtus tanquam illud ſibi dicatum eſſet. Veriùs tamen per templum Dei Eccleſiam ſignificari arbitrantur *Hieron.*, *Thom.* & Græci: ut ſicut in templo Dei quod erat Hieroſolymis, ſtetit abominandum idòlum deſolationis, *Dan.* 9., 1. *Machab.* 1., & *Matth.* 24., ita in Eccleſia Dei videatur ſeſſurus homo peccati, quem abominationes illæ priores præfiguraverunt. Sedebit itaque in templo Dei oſtentaturus ſe pro Deo; quia Eccleſiam Dei invadet, ejuſque loca occupabit, & multi de Eccleſia eum recipient, intellige per Hæreſim & Schiſma priùs ſeparati, ùt ait *S. Thom.* Quæ omnia Romano Pontifici qui ſe Chriſti Vicarium profitetur & ſervum Dei & ſervum ſervorum ejus, competere minimè poſſunt, ùt impiè fingunt hæretici, ex *Eſtio*.

univerſalem, qua nimirùm non tantùm
næ quamvis multæ (quod prioribus ſ
accidit ſæpè) ſed etiam regna & prov
omnes aut penè omnes recedent ab Ec
Catholica & ab obedientia ejus quem ſi
terris Vicarium, ſuæque Eccleſiæ Chriſt
ſtorem conſtituit, hoc eſt, ſucceſſoris Be
tri Apoſtoli Romani Pontificis; ita *S.*
Anſel. & *Lyran.* *Homo peccati*, hebraicé
tur, homo inſigniter malus ac ſcelerosus
omnium peccatorum, qualis Antichriſt
Hier. ad Algaſ.; quia ſuperbia in eo tant
ut extollat ſe ſupra omne quod dicitur I
ſeſeque tanquam Deum oſtentet, & c
ciat; idem *perditionis filius dicitur*, ideſt
mo perditione digniſſimus & æternæ pe
ni deſtinatus, ùt Chriſtus Judam prodit
appellavit *Joan.* 17. ℣. 12. Erit igitur Ant
ſtus homo non diabolus, aut dæmon in aſ
to corpore, non diabolus incarnatus, ſe
boli organum præcipuum.

℣. 4. *Qui adverſatur, & extol*
ſupra omne, quod dicitur Deus, aut

ſaluti: & *extollitur ſupra* omnem vero aut falſo nomine Deum; *Sunt* enim, ùt 1. *Cor.* 8., *qui dicuntur Dei*, propter quos Apoſtolus hìc dicit *ſupra omne* &c.; & evertet omnem cultum ſeu verum ſeu falſum, ùt aras, delubra, ſtatuas, ſimulacra, ut ipſe ſolus colatur, ùt Nabuchodonoſor *Judith* 3. & Antiochus *Dan.* 11., & ita erigetur, *ut ſedeat* & ſe adorari jubeat *in Templo Dei.* Dubium eſt de quo templo loquatur Apoſtolus: quidam Hieroſolymitanum intelligunt, ſed cùm hoc deſtructum ſit tempore *Pauli*, intelligi deberet de alio loco prioris à judæis vel ab ipſo Antichriſto ut in eo ipſe colatur, reædificandum; quod tamen *Paulus* non dignaretur vocare templum Dei. *Cajetanus* putat non aliquod determinatum templum ſignificari, ſed ſenſum eſſe, quòd in quocumque templo Deo dicato ſeſſurus ſit Antichriſtus tanquam illud ſibi dicatum eſſet. Veriùs tamen per templum Dei Eccleſiam ſignificari arbitrantur *Hieron.*, *Thom.* & Græci: ut ſicut in templo Dei quod erat Hieroſolymis, ſtetit abominandum idolum deſolationis, *Dan.* 9., 1. *Machab.* 1., & *Matth.* 24., ita in Eccleſia Dei videatur ſeſſurus homo peccati, quem abominationes illæ priores præfiguraverunt. Sedebit itaque in templo Dei oſtentaturus ſe pro Deo; quia Eccleſiam Dei invadet, ejuſque loca occupabit, & multi de Eccleſia eum recipient, intellige per Hæreſim & Schiſma priùs ſeparati, ùt ait *S. Thom.* Quæ omnia Romano Pontifici qui ſe Chriſti Vicarium profitetur & ſervum Dei & ſervum ſervorum ejus, competere minimè poſſunt, ùt impiè fingunt hæretici, ex *Eſtio.*

℣. 5. *Non retinetis quòd cùm adhuc eſſem apud vos, hæc dicebam vobis?*

Tacita hæc objurgatio eſt, q. d. Cùm hæc vobis præſens dixerim, non debebatis commoveri rumoribus aliquorum dicentium inſtare diem Domini; cùm non ſit venturus niſi præceſſerit Antichriſtus.

℣. 6. *Et nunc quid detineat ſcitis, ut reveletur in ſuo tempore.*

Ex iis quæ dixi vobis, optimè noſtis quæ cauſa ſit, quòd Antichriſtus modò non veniat, ſed tandem ſuo ac congruenti tempore divinitùs præſtituto, venturus ſit ac manifeſtandus: noverant hoc Theſſalonicenſes; at nos neſcimus, ait *Eſtius*, & conjecturis utimur. Veteres per illud quod *detineat*, intelligunt Romanum imperium, mentemque Apoſtoli eſſe dicunt, Antichriſtum non priùs quàm hoc deletum ſit, revelandum: id quod *Paulus* apertè ne Romanos offenderet, dicere noluiſſe credunt. Alii delationis cauſam interpretantur, quòd priùs oporteat Evangelium prædicari in univerſo orbe: quia *tunc*, inquit Dominus, *veni t conſummatio Matth.* 24. ℣. 14. *Eſtius* probare conatur Apoſtolum; hìc defectionem, de qua ℣. 5. locutus eſt, ſignificare velle; ut ſenſus ſit. *Scitis*, inquit, partim ex ſermone meo, partim ex antedictis, *quid detineat*, ſeu removetur adventum illius hominis peccati: non enim revelabitur, niſi priùs defectio ſeu diſceſſio venerit. Nam non ſolùm oportet defectionem præcedere diem Domini, verùm etiam adventum Antichriſti. Quod ſi nec iſtud placet, ait *Eſtius*, lubens cum S. Auguſtino fatebor, me quid Apoſtolus dicat, ignorare: ùt & *S. Thomas* inſinuat dicens, rem non eſſe multùm neceſſariam ad ſciendum.

℣. 7. Nam myſterium jam operatur iniquitatis: tantùm ut qui tenet nunc, teneat, donec de medio fiat.

Catholici commentatores non pauci, *Hieronymus* imprimis, locum hunc de Nerone interpretantur; ſed ſenſu nonnihil variant. Nam alii *myſterium* in accuſativo caſu accipiunt, ut ſenſus ſit, Antichriſtum etſi nondùm venerit, jam tamen in alio ſibi multùm ſimili, tamquam in figura ac præcurſore ſuo videlicet in Nerone myſterium iniquitatis operari. Alii *myſterium* in nominativo caſu ſumentes reddunt ſenſum hujuſmodi: *Nam myſterium iniquitatis*, id eſt, Nero (quem ſic vocari ab Apoſtolo dicunt, quia eſt typus Antichriſti) jam talia quædam operatur, ſicut facturus eſt Antichriſtus. Hanc Veterum de Nerone interpretationem everti putat *Eſtius* ex hoc ſolo quòd hæc Epiſtola tribus annis ante Neronem ſcripta ſit: ideò aliam hujus loci dat explicationem, juxta quam verbum *operatur* paſſivè ſumitur pro *agitur* ſeu *peragitur*, & per *myſterium iniquitatis* intelligitur iniquitas arcana & latens quæ aliquando in publicum proferenda & palàm graſſatura eſt per eum ſcilicet quem paulò poſt vocat *illum iniquum*. Agebatur autem illud myſterium jam tempore Apoſtolorum per *Iniquos* illius præcurſores, hominum ſeductores hæreticos: ut ſenſus ſit. Etſi nondùm venerit Antichriſtus in perſona, jam tamen adeſt in emiſſariis ac præcurſoribus ſuis: nam iniquitas ejus de qua locutus ſum, nunc occultè & quaſi in myſterio agitur & exercetur per hæreticos. Ea iniquitas eſt Chriſtum & regnum ejus totis viribus oppugnare, atque ad imitationem Diaboli ejus divinitatem ad ſe rapere: cui iniquitati ſubſerviunt omnium ſæculorum hæretici, dum prætenſo Chriſti nomine, Chriſtum & Eccleſiam ejus oppugnantes,

Antichriſto ad apertam ejus impietatem viam ſternunt. Interpretationem hanc confirmat *Joan. Epiſt.* 1. c. 2. ℣. 18. & c. 4. ℣. 3. Quo utroque loco clarè ſignificatur, quod *Paulus* hìc obſcurè dicit, ſcilicet Antichriſtum venturum quidem ac revelandum ſuo tempore, ſicut edocti erant fideles; ſed jam tum eum adfuiſſe in ſuis præcurſoribus, per quos agebatur myſterium iniquitatis, olim in ejus perſona palàm manifeſtandæ: quò etiam pertinet ℣. 1. *cap.* 4. *Epiſt.* 1. & ℣. 7. *Epiſt.* 2. *Joannis*. *Tantùm ut qui tenet, teneat.* Quidam ſic interpretantur; *tantùm* qui modò imperat, imperet Romano Imperio, donec de medio tollatur. Paulò aliter *Hieronymus*: tantùm ut Romanum Imperium quod nunc univerſas Gentes tenet, recedat & *de medio fiat.* At verò rationes, quibus ℣. 5. oſtendimus intelligi nòn poſſe defectionem à Romano imperio, probant, nec hìc de eodem imperio agi. Undè conformiter ad ea quæ ℣. 5. diximus, ſenſus hujus loci videtur: *myſterium iniquitatis* nunc agitur, erupturum aliquando in apertam apoſtaſiam: interim verò dum agitur, quicumque *tenet* Chriſtum & veram ejus religionem, firmiter *retineat*, *donec de medio* Eccleſiæ *fiat* apoſtaſia, de qua ſuprà, id eſt, magna illa defectio quâ regna & populi ab Eccleſia recedent, ita *Anſel.*, *Gaig.* & *Eſtius.*

℣. 8. *Et tunc revelabitur ille iniquus, quem Dominus Jeſus interficiet ſpiritu oris ſui, & deſtruet illuſtratione adventûs ſui eum:*

Poſtquam, inquit, è medio Eccleſiæ facta fuerit apoſtaſia, tunc ſtatim *iniquus ille*, id eſt, Antichriſtus veniet atque in apertum ſe proferet, videlicet princeps futurus & caput omnium impiorum, maximè eorum qui ab Eccle-

ſia defectionem fecerint: *quem Dominus Jeſus* in adventu ſuo perditurus eſt *ſpiritu oris ſui*, id eſt, ſolo majeſtatis imperio, cujus juſſiſſe feciſſe eſt, ait *Hieron.* Reſpicit Apoſtolus ad *Iſaiæ* c. 11., ubi de Chriſto ℣. 4. dicitur: *Et percutiet terram virgâ oris ſui, & ſpiritu labiorum ſuorum interficiet impium.* Hæ ſcripturæ ſignificant, Antichriſtum modo prorſus ſtupendo, ſolâ juſſione Chriſti, ſinè hominum miniſterio à medio tollendum. Sunt qui hìc Spiritum S. interpretantur, ùt *Auſel.* Prior tamen ſenſus magis germanus videtur. *Et deſtruet illuſtratione* præſentiæ ſuæ, ùt legit *Amb. & Aug.*; nam ſicut adventu ſolis fugantur tenebræ, ſic iniquum illum exhibitione præſentiæ ſuæ Dominus deſtruet. Hic autem adventus Domini ſecundùm quandam latitudinem intelligendus eſt, ut ſub eo etiam comprehendatur adventus & prædicatio præcurſorum ejus, aliaque ſigna venturi Domini prænuntia, quo tempore aliquantulâ pace fruetur Eccleſia ſignificatâ *Apoc.* 8. per *ſilentium* illud quod *factum* dicitur *in cælo quaſi mediâ horâ.* Alii ſic Apoſtolum explicant: *quem iniquum Dominus Jeſus*, priuſquam veniat ad judicium, *interficiet*; ceterùm in ipſo adventu *deſtruet* omnes ejus reliquias. Et vivente adhuc Antichriſto prædicantibus Enoch, & Eliâ multi Judæorum credituri ſunt in Chriſtum; reliqui quos ſeduxerit, illo interfecto redituri ad mentem ac ſeſe fratribus Judæis in unitatem fidei Chriſtianæ ſociaturi; ex *Eſtio.*

℣. 9. *Cujus eſt adventus ſecundùm operationem ſatanæ, in omni virtute, & ſignis, & prodigiis mendacibus,*

Redit ad deſcriptionem Antichriſti. Qui, inquit, adveniet inſtrumentum diaboli futurus

per quod ille efficaciter operetur, facturus omne genus *mendacium* miraculorum; vocantur autem *mendacia* juxta *Auguſtinum* & interpretes hujus loci; vel quia fallaciter & illuſoriè non autem verè fient, ùt ea quæ ſuperant facultatem naturæ creatæ; vel quia ad mendacium, id eſt, errorem homines inducent; vel quia ſive verè fiant ùt ventos, tempeſtates, ignem è cœlo deducere, quoſdam languidos ſanare, ſive fallaciter & per illuſionem, ùt mortuos ſuſcitare; omnia tamen in genere miraculorum (qualia ſe facere jactabit) falſa erunt & mendacia, utpotè facta in confirmationem erroris. Iſta prædixit Apoſtolus ne ſeducerentur qui tum victuri, erant, aït *Chryſ.*

℣. 10. *Et in omni ſeductione iniquitatis iis, qui pereunt: eò quòd charitatem veritatis non receperunt ut ſalvi fierent. Ideò mittet illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio,*

Et in omni ſeductione, id eſt, cujus adventus futurus eſt non ſolùm in ſignis mendacibus, ſed in omni ſeductionis modo, velut blanditiis, donis, promiſſis &c.; *iis qui pereunt*, id eſt, reprobis: nihil enim Antichriſti potentia & fraudes valebunt adversùs electos, conformiter ad illud quod Chriſtus dicit *Matth.* 24. ℣. 24. Reprobos vocat *pereuntes*, id eſt, deſtinatos ad perditionem, etiam in hac vita inchoandam; eâdem ratione quâ electi dicuntur ſalvi fieri in hac vita, inchoativè ſcilicet ùt ad *Tit.* 3. ℣. 5. *Eo quod charitatem*, &c. his verbis datur ratio præcedentium, q. d. reprobos ſic ſeducendos, juſtitiâ Dei permittentis id exigente, proptereà quòd veritatem à Chriſto annuntiatam *non receperint ut* eâ per fidem ſuſceptâ *ſalvi fierent.* Hæc ratio explicatur per ſequentia: *Ideò*

mittet illis Deus operationem, græcè, *efficaciam erroris*, illuſionis, impoſturæ &c. quaſi dicat Apoſtolus, quoniam veritatem non receperunt, *ideò mittet*, id eſt, ùt dicit *S. Aug. l.* 20. *de civ. Dei c.* 19. *Deus diabolum facere permittet*: ſimiliter *S. Th. in comm.* Vel *mittet Deus operationem erroris*, quatenùs juſto ſuo judicio in pœnam mittet hominem, cui permittet, ut Diabolo efficaciter in ipſo operante decipiat & in errorem ducat eos qui veritatem recipere noluerunt. *Mittet* autem, ait *Eſtius*, non quòd authoritatem vel mandatum fallendi homines ei daturus ſit, ſed quia adventum ejus quatenùs ad puniendum peccata hominum ordinatur, procuraturus ſit. Nec in eo quòd additur, *ut credant mendacio*, id eſt, falſæ doctrinæ, ſignificatur Deum mendacium aut mendacii fidem intendere: ſed vel *Ut* conſecutiva particula eſt, hoc ſenſu: ita fiet *ut credant mendacio*: vel ſignificatur intentio Dei punientis per id quod non tantùm eſt pœna, verùm etiam peccatum: quid enim apud Deum juſtius, quàm ut qui veritatem ſuſcipere noluerunt, in errorem incidant & falſitati credant? Undè diſcimus quædam ita eſſe peccata ut etiam præcedentium pœnæ ſint peccatorum. Quod cùm Apoſtolus *Rom.* 1. de Gentilium philoſophorum peccatis oſtenderit, hoc loco de Judæis præcipuè futurum aſſerit: ùt disertè docent *Hier.* ad *Algas.*, *Theod.*, *Theoph.* & *Oecum.*, & probant ex Chriſti prædictione *Joan.* 5. ℣. 43. ex *Eſtio.*

℣. 11. *Ut judicentur omnes, qui non crediderunt veritati, ſed conſenſerunt iniquitati.*

Conſenſerunt iniquitati, id eſt, approbaverunt, amplexi ſunt injuſtitiam, vel oblectati ſunt injuſtitiâ ex *Theoph.*; ut ſenſus ſit, ita deniquè fiet, ut quicumque *veritati* ſibi prædica-

tæ fidem habere & per eam juſtificari noluerunt, *ſed* potiùs elegerunt acquieſcere falſitati & quæ eam ſequitur, injuſtitiæ, *judicentur* à Deo, id eſt, condemnentur & puniantur eâ pœnâ de qua *ſup. cap.* 1. ℣. 9. Poteſt & cauſaliter accipi id quod ait, *ut judicentur*, nam miſſio Antichriſti, juſta deſertio eorum qui veritatem non receperunt, ut credant mendacio, ceteraque mala quæ reprobis obveniunt, ordinantur ad bonum juſtitiæ divinæ in punitione impiorum declarandæ tanquam ad finem; ex *Cajet.*

℣. 12. *Nos autem debemus gratias agere Deo ſemper pro vobis fratres dilecti à Deo, quòd elegerit vos Deus primitias in ſalutem in ſanctificatione ſpiritûs, & in fide veritatis :*

Poſt declarationem eorum quæ Chriſti adventum præcedent, quæ & triſtia & auditu horrenda erant, redit ad ea quibus Theſſalonicenſium animos in fiduciam erigat. q. d. Sint quidem iſta quæ diximus aliis horrori, his inquam qui perditi ſunt, in quos & dæmones plurimùm habent ditionis; nobis verò gratiæ ſunt *Deo pro vobis* agendæ, quandoquidem vos ipſe elegerit & charitate complexus ſit. Si verò nos ipſi pro vobis gratias Deo referimus, longè magis id ipſum factitare debetis, ita *Theoph.*; *quod elegerit vos*, ſignificare voluit electionis noſtræ cauſam non eſſe merita noſtra, ſed bonitatem quâ nos prior dilexit: *primitias* vocat tanquam primogenos fructus Deo oblatos, ut *Rom.* 16. ℣. 5., 1. *Cor.* 16. ℣. 15. Elegit autem vel aſſumpſit vos Deus in ſalutem mediis ad eam conceſſis, nimirùm *ſanctificatione ſpiritûs & fide veritatis* Evangelicæ; ſanctificationem ſpiritûs vocat vel tanquam cauſæ, ut intelligatur Spiritus ſanctus cui ſanctificatio tanquam authori ap-

propriant; vel tanquam ſubjecti, ut ſpiritus accipiatur humanus, id eſt, anima in qua ſanctitatis donum principaliter reſidet, ut *priori Ep. cap.* 5. ℣. 23. *In*, idem eſt quod *per*, ex *Chryſ.*

℣. 13. *In qua & vocavit vos per Evangelium noſtrum in acquiſitionem gloriæ Domini noſtri Jeſu Chriſti.*

Senſus eſt, Deum vocaſſe Theſſalonicenſes ad fidem & ſanctitatem *per Evangelium* Pauli *in acquiſitionem glorioſam Chriſti Domini*, hoc eſt, ut eſſent glorioſa ejus poſſeſſio ſanguine ipſius acquiſita: conformiter ad ſcripturas quæ ſæpius teſtantur, Eccleſiam ex gentibus collectam eſſe glorioſam Chriſti hæreditatem; ut *Pſal.* 2. & 15. & *Iſaiæ* 49. & alibi. Vel ſenſus eſt, Deum ea quæ dicta ſunt feciſſe, ut gloriam Chriſto Domino noſtro acquireret & cumularet, utpotè per cujus meritum ea omnia præſtitiſſet: ex *Chryſ.*, & *Theoph.*

℣. 14. *Itaque fratres ſtate: & tenete traditiones, quas didiciſtis, ſive per ſermonem, ſive per epiſtolam noſtram.*

State, id eſt, Perſiſtite firmi & conſtantes in fide & vocatione veſtra: *& tenete traditiones* quas ego vos docui. Etenim ſcripta & non ſcripta præcepta tradiderunt Apoſtoli, utraque obſervatione & fide digna: igitur & Eccleſiæ quoque vel non ſcripta traditio ſervanda eſt. Traditio eſt, nihil quæras ampliùs: hæc *Chryſ.* Hic locus facit contra hæreticos, qui nulli rei fidem haberi volunt quæ non expreſsè habeatur in Scripturis; ut notat *Gaig.*; vide *Iræn. lib.* 3. *cont. hæreſ.* c. 2. & 4., *Tert. l. de coromil.* c. 3., *Baſil. ad Amphil. cap.*29., *Epiph. hæreſ.*61., *Aug. Ep.* 118. *ad Jan.*

℣. 15. *Ipſe autem Dominus noſter Jeſus Chriſtus, & Deus & Pater noſter, qui dilexit nos, & dedit conſolationem æternam, & ſpem bonam in gratia,*

Precatur illis à Deo *conſolationem* & confirmationem in omni bono, q. d. Idem *ipſe Dominus noſter Jeſus Chriſtus, & Deus* Chriſti *Pater*, qui idem eſt *Pater noſter* tanquam filiorum adoptionis, *qui dilexit nos* ùt Pater filios, quos conſtituit per adoptionem ſuos hæredes ac filii ſui naturalis cohæredes. Ex græco autem conſtat, poſtrema verba hujus ſententiæ, quæ ſunt in *verſu ſeq.*, *exhortetur* & *confirmet*, etiam ad filium referri debere: hinc hæc, *dilexit* & *dedit*, etiam ad filium referenda ſunt: igitur uterque *dilexit nos*, quatenùs ab æterno voluit nobis bonum adoptionis & vitæ æternæ, & *dedit conſolationem* æternis bonis innixam, quam parit in nobis ſpes æternorum bonorum quæ nobis promiſit: & *ſpem bonam in gratia* ſive per gratiam, ut humana merita, quæcumque non ex gratia ſunt, excludat à beneficiis commemoratis & potiſſimùm à beneficio dilectionis & electionis divinæ; ex *Eſtio*.

℣. 16. *Exhortetur corda veſtra, & confirmet in omni opere, & ſermone bono.*

Exhortetur, græcè, conſoletur inter perſecutiones & tribulationes quas patimini pro regno Dei; ùt *cap.* 1. ℣. 5. *Et confirmet* ſeu ſtabiliat & perſeverare faciat in omni bona doctrina atque in omni genere bonorum operum: id eſt, per omne opus bonum & ſermonem; ex *Chryſ.*

CAPUT III.

Rogat ut pro ipſo orent, ut inquietos & otioſè viventes vitent, & contumaces notent.

℣. 1. *De cetero fratres orate pro nobis ut ſermo Dei currat, & clarificetur, ſicut & apud vos:*

Superiùs precatur ille pro ipſis, petit nunc ab ipſis precationem non ut liberetur à periculis, ſed ut prædicatio *currat*, & apud omnes ei fides adhibeatur. *Sicut & apud vos* cucurrit & creditus eſt: hoc etiam encomium habet, ùt notat *Oecum.*

℣. 2. *Et ut liberemur ab importunis, & malis hominibus: non enim omnium eſt fides.*

De his qui adverſabantur prædicationi loquitur, qualis erat Alexander faber ferrarius, ex *Chryſ.*; vel notat malos Chriſtianos in genere; vel Judæos peculiariter, ſive eos qui cùm Chriſto nomen dediſſent, Judaïſmum tamen fovebant, ſive qui Chriſtianam fidem & prædicatores ejus perſequebantur, ùt *Act.* 13. 14. & 17. *Non enim*, inquit, omnes qui ſe fideles profitentur, verè & ex animo tales ſunt, ſed multi eorum facti ſunt Chriſtiani & falſi fratres; undè non mirum ſi curſum verbi Dei impediunt, quia non *omnium eſt fides*, id eſt,

non omnibus datur ut credant, non omnes pertinent ad propoſitum Dei vocantis ad fidem efficaci ſuâ vocatione, ut *Rom.* 10. ℣. 16.

℣. 3. *Fidelis autem Deus eſt, qui confirmabit vos, & cuſtodiet à malo.*

Fidelis, id eſt, verax in promiſſis, fideliter adimplens quæ promiſit, *qui confirmabit*, ſive firmos & ſtabiles vos faciet in bono ne ſitis fluctuantes omni vento doctrinæ, *& cuſtodiet à malo*, non ut nihil adverſitatis patiamini, ſed ut nihil poſſit nocere vobis; vel *à malo*, id eſt, à diabolo, quòd omnium malorum caput ſit & princeps, ut *Mat.* 13. ℣. 19. & *Eph.* 6. ℣. 16. Hæc promiſſio ad electos, non ad omnes fideles pertinet, ùt contendunt hæretici, in quorum tamen electorum numero quiſque fidelium ſe collocare debet per ſpem & bonam fiduciam; ut 1. *Cor.* c. 1. ℣. 8. & c. 10. ℣. 13., & 1. *Theſ.* 5. ℣. 24. Quin & hoc loco nihil aliud quàm fiduciam exigi, probat quod ſequitur.

℣. 4. *Confidimus autem de vobis, in Domino, quoniam quæ præcipimus, & facitis, & facietis.*

Quæ præcipimus, id eſt, quòd præcepta à me vobis tradita ſervatis, & ſi quid minùs ſervatum eſt hactenùs, id inpoſterùm meliùs ſervaturi eſtis.

℣. 5. *Dominus autem dirigat corda veſtra in charitate Dei, & patientia Chriſti.*

Dirigat corda veſtra, id eſt, rectas faciat voluntates veſtras exiſtentes *in charitate Dei* Patris ut eum toto corde diligatis, *& patientia Chriſti* ut parati ſitis libenter pati pro Chriſto ſicut ille paſſus eſt pro vobis: vel juxta Græcorum interpretationem, opto vobis ut Chriſtus

Dominus corda veſtra dirigat, moveatque magis ac magis ad diligendum Deum; & ad ſuſtinentiam Chriſti, id eſt, ad expectandum patienter adventum Chriſti remuneratoris: nam hujus expectationis in utraque epiſtola jam ſæpe meminit, & ad hunc modum ſæpè Scriptura loquitur: ùt *Pſal.* 24. ℣. 3. & 5., *Pſ.* 26. ℣. 14., *Pſ.* 32. ℣. 20., *Pſ.* 36. ℣. 9. & *Pſal.* 39. ℣. 1.

℣. 6. *Denuntiamus autem vobis fratres in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, ut ſubtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinatè, & non ſecundùm traditionem, quam acceperunt à nobis.*

Denuntiamus, græcè, præcipimus *vobis nomine* & authoritate *Chriſti Domini* cujus ſumus Vicarii, idque poteſtate ab eo acceptâ, ùt. 1. *Cor.* 5. ℣. 11.; ne converſemini cum hujuſmodi Chriſtiano qui quod eſt ordinis & officii, non facit & facientes turbat & ambulat non ſecundùm doctrinam & inſtitutionem à me illi traditam: hanc traditionem Græci interpretantur ipſius *Pauli* exemplum propoſitum ipſis ad imitandum, cujus meminit *verſu ſequenti*. Simpliciùs dicitur; Apoſtolum in genere loqui de inſtitutione vitæ Chriſtianæ ſub qua imprimis illud comprehenditur, unumquemque operi ſuo intentum eſſe debere, ex quo, ſi egeat, victum ſibi paret, ùt ſuprà *in priore Epiſt.* c. 4. ℣. 11. Significatur hìc aliqua excommunicatio, non major tamen quia hos non tradidit ſatanæ, ùt 1. *Cor.* 5. ℣. 5. & 1. *Tim.* 1. ℣. 20.; nec minor, hæc enim non à conſortio fidelium, ſed tantùm à Sacramentis removet hominem. Fuit itaque media inter illas quas hodiè majorem & minorem vocamus; quæ nunc in communi plebe

fidelium exolevit; ſed adhuc uſum habet, ut *Cajetanus* teſtatur, in monaſteriis dum vel à templo, vel à converſatione fratrum, vel à menſa aliqui propter delicta ſeparantur: ita *Eſtius*.

℣. 7. Ipſi enim ſcitis quemadmodùm oporteat imitari nos: quoniam non inquieti fuimus inter vos:

Quoniam non inquieti, græcè, *inordinati*; ut ſenſus ſit, non egimus vitam inordinatam & incompoſitam apud vos, non fuimus otioſi, inhiantes laboribus & menſis alienis, nos qui ſumus forma credentium, ait *Hier.*

℣. 8. Neque gratis panem manducavimus ab aliquo, ſed in labore, & in fatigatione, nocte & die operantes, ne quem veſtrûm gravaremus.

Neque gratìs panem manducandum à quoquam accepimus; quod ait *gratìs*, intellige ſecundùm quod homines inconſiderati & carnaliter affecti judicant. Non enim *gratìs* manducat panem qui Evangelium annuntians, de Evangelio vivit etiamſi manibus non operetur, accipit enim rem jure debitam; ex *Chryſ.* juxtà *Mat.* 10. ℣. 10. & *Luc.* 10. ℣. 7. & 1. *Cor.* 9. ℣. 7. & *ſeq.* Vel *gratìs*, hoc eſt, ſinè pretio, cujuſmodi eſt opera aut pecunia quâ panis emitur; nam etſi prædicatori Evangelico victus jure debeatur, non tamen ùt pretium laboris, ſed ùt honorarium, 1. *Tim.* 5. ℣. 17. *Sed in*, ſeu cum *labore* & ſudore *nocte & die operantes* manducavimus panem, ne cui veſtrûm eſſemus oneri, videlicet accipiendo vitæ neceſſaria; hæc autem ſcribit, non ſolùm ad Theſſalonicenſes qui tenuiores erant, ſed & ad Corinthios divites 2. *Cor.* c. 11. ℣. 9. & c. 12. ℣. 13. Non ergo reſpicit ad paupertatem Theſſalonicenſium, ſed loqui-

tur ad hunc modum, vel quia id carnales homines onus reputant, ſi quid dandum ſit Eccleſiæ miniſtris; vel eâ ratione quâ debitum omne ſolet onus vocari.

℣. 9. Non quaſi non habuerimus poteſtatem, ſed ut noſmetipſos formam daremus vobis ad imitandum nos.

q. d. Si ego cui ſtipendium ratione Evangelii annuntiati debebatur, jure meo ceſſi, nihil à vobis accipiens, ſed opere manuum vitæ neceſſaria quærens; quantò minùs ferendum eſt ut otioſi ex alieno vivant? Exemplum enim dare voluit victum proprio labore quærendi; ex *Chryſ.*

℣. 10 Nam & cùm eſſemus apud vos, hoc denuntiabamus vobis: quoniam ſi quis non vult operari, nec manducet.

Hoc ſcilicet opus manuum *denuntiabamus*, græcè, *præcipiebamus vobis:* idem opus præcepit *in prima Epiſt.* c. 4. ℣. 11. Dicit, *ſi quis non vult.* Nam ſi quis velit ſed non poſſit, ſive ob virium imbecillitatem, ſive quia non invenit quod operetur, is huic ſententiæ non ſit obnoxius. *Non manducet*, id eſt, dignus non eſt qui manducet: vel ne detur ei quod edat, ut ſic ipsâ neceſſitate compellatur ad opus: hæc ſit inquietudinis non ſolùm pœna, ſed emendatio, ait *Hier.* Facit hic locus contra validos & pigros mendicantes: peſſimè tamen ab hæreticis detorquetur contra Ordines mendicantes ab Eccleſia approbatos, qui non otioſi ſed pro ſalute proximorum laborare debent: ex *Eſtio.*

℣. 11. *Audivimus enim inter vos quoſdam ambulare inquietè, nihil operantes, ſed curioſè agentes.*

Notat duo vitia ferè conjuncta otium & curioſitatem, nam qui nihil operis manuum faciunt, huc illuc circumcurſitant, faciunt ſe ſpectatores & cenſores operum alienorum. Inquirentes quid in unaquaque civitate vel provincia geratur & domo, ait *Hier.*

℣. 12. *Iis autem, qui ejuſmodi ſunt, denuntiamus, & obſecramus in Domino Jeſu Chriſto, ut cum ſilentio operantes, ſuum panem manducent.*

Iteratio eſt præcepti, cujus jam antè meminit: cui jungit obſecrationem *in Domino*, ſeu per Dominum ſeu authoritatem à Chriſto datam, ut *priori Ep.* c. 4. *Ut panem ſuum*, q. d. ex *Hier.* & *Chryſ.*, non alienum ſed *ſuum* ipſorum *panem* comedant, qualis maximè eſt quem quiſque ſuo labore quæſivit. *Quietem* opponit curioſitati & operationem otio.

℣. 13. *Vos autem fratres nolite deficere benefacientes.*

Monet ne propter hoc quòd quidam liberalitate fratrum abutantur ad otium & inertiam, remiſſiores fiant ad largiendum. Nam etſi cibo illi ſint indigni, non deeſſe tamen alios, infirmos, afflictos, miſeros, veros Chriſti pauperes in quos beneficentiam exerceant, ſed & priores illos in neceſſitate non eſſe deſerendos.

℣. 14. *Quòd ſi quis non obedit verbo noſtro per epiſtolam, hunc notate, & ne commiſceamini cum illo ut confundatur:*

Verbo veſtro legit *Chryſ.* Si quis non ac-

quieſcit vobis ipſis dicentibus, ea quæ *per epiſtolam* hanc meam didiciſtis, illum mihi denuntiate. Verùm lectio Chryſoſtomi ne in græcis quidem codicibus hodiè reperitur. Aliqui has voces *per epiſtolam* referunt ad ſequentia, ut ſenſus ſit: ſi quis præcepto noſtro non obedit, eum mihi *per Epiſtolam* ſignificate, ut pro diſciplina Eccleſiaſtica mihi commiſſa ſeveriùs cum eo agam: ſed plerique ad ſuperiora referunt hoc ſenſu, ſi quis non obedit præcepto meo quod per hanc epiſtolam vobis ſignifico, eum *notate*, ut vitetur ab omnibus. Hæc autem notatio non aliud erat quàm illa excommunicatio de qua ſuprà ℣. 6. locuti ſumus, quâ nimirùm Præfecti publicè ac nominatim eos deſignabant à quorum conſortio fidelibus eſſet abſtinendum, de qua *Theoph.* & *Aug. l.* 3. *Cont. Epiſt. Parm.* c. 4. & *Cajet.* *Ut confundatur*, id eſt, ut pudore ſuffundatur, cùm viderit ſe ab omnibus vitari, & ad mentem redeat; ex *Chryſ.*

℣. 15. *Et nolite quaſi inimicum exiſtimare, ſed corripite ùt fratrem.*

Cùm ſuperiùs dixiſſet non oportere edere eum qui otioſus eſt, veritus ne fame periret, adjunxit, vos autem fratres ne defatigemini in benefaciendo: ita & hìc cùm dixiſſet, *ne commiſceamini*, timuit ne ſegregatus abſorberetur vehementiori triſtitiâ, ùt 2. *Cor.* 2. ℣. 7.; ideò ſubjungit, ne ùt *inimicum* habeatis, ſed admonete, q. d. *Corripite* ipſum non velut inimico iraſcentes, ſed tanquam *fratrem* admonentes, ita *Oecum.* Hinc colligitur licere excommunicatum inſtruere & hortari ad ea quæ ſalutis ſunt ùt 1. *Cor.* 5. ex *Cajet.*

℣. 16 *Ipſe autem Dominus pacis det vobis pacem ſempiternam in omni loco. Dominus ſit cum omnibus vobis.*

Quia novit ex admonitionibus & objurgatio-

nibus pugnas & contentiones oriri, cùm ii qui hoc patiantur, exaſperantur ad reprehenſiones, precatur eis pacem à Deo pacis. *In omni loco*, pro quo Græci legunt, *in omni modo*, Syriaci *in omni re:* & ſenſus eſt, ut nulla ex parte re inquatur diſſentionis occaſio.

℣. 17. *Salutatio, meâ manu Pauli: quod eſt ſignum in omni epiſtola. Ita ſcribo.*

Quod eſt ſignum &c. Hanc cautionem adjecit Apoſtolus in fine hujus epiſtolæ quam ſcripſit omnium ſecundam, ne deinceps ſuppoſititiis epiſtolis velut à *Paulo* miſſis, deciperentur: quod jam Theſſalonicenſibus contigiſſe liquet ex *hujus Epiſt.* c. 2. ℣. 2. Sed quæſtio eſt, quale ſignum intelligat: *Anſelmus*, illud eſſe in his verbis, *Salutatio, meâ manu Pauli*, & verba, *in omni epiſtola*, de epiſtolis ad Theſſalonicenſes mittendis interpretatur. At verò longè probabilius eſt, ait *Eſtius*, quod & ſecundo loco tradit *Anſelmus*, *ſignum* intelligi verba ſtatim ſequentia.

℣. 18. *Gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti cum omnibus vobis. Amen.*

Refertur hæc pars ad ſalutationem: vult enim dicere, ſe ſuâ manu ſolere hujuſmodi ſalutationem ſeu bonam interpretationem adjungere in calce ſuarum Epiſtolarum: quod profectò videre eſt in omnibus Paulinis epiſtolis, etiam eâ quæ ad Hebræos eſt, comprehensâ. Omnes enim gratiæ precatione clauduntur, licèt non iiſdem omninò verbis. Quod non ita in aliis epiſtolis reperitur, inter quas ſola prima *Petri* hujuſmodi gratiæ precatione clauditur: ex *Eſtio*.

IN PRIMAM EPISTOLAM B. PAULI APOSTOLI Ad Timotheum.

ARGUMENTUM.

Timotheus Lyſtrenſis patre Gentili, matre Judæâ natus, ob virtutem juvenis inſtitutus à Paulo Epheſiorum Epiſcopus, admonetur functionis Epiſcopalis & quales Eccleſiæ miniſtros eligere debeat, quidque etiam, quoque pacto inſtituere cujuſque ſexûs & conditionis homines oporteat. Scribens ei à Laodicæa in Aſia per Tychicum Diaconum, ex Theoph. & Oecum; vel in Macedonia ex Nicopoli, ex Baron.

CAPUT I.

Notat eos qui legem, fabulaſque Judaïcas Evangelio miſcebant: aſſerit ſe à Chriſto vocatum, Timotheo commendat fidem & bonam conſcientiam.

℣. 1. *Paulus Apoſtolus Jeſu Chriſti ſecundùm imperium Dei Salvatoris noſtri, & Chriſti Jeſu ſpei noſtræ:*

Modeſtiam oſtendit dicens ſe Apoſtolum non a ſeipſo, ſed *ſecundùm imperium*, ſive ùt alii vertunt, *delegationem*, pro quo in aliis Epiſtolis eſt, *ſecundùm voluntatem Dei.* Vocat ſe Apoſtolum Jeſu Chriſti *ſecundùm imperium Dei* patris qui eſt Salvator noſter, id eſt, author ſalutis noſtræ per filium ſuum: quo nomine Deus Pater etiam vocatur ad *Tit.* 3. ℣. 4. Imperium illud Deo Patri adſcribitur, licèt & filius & ſpiritus S. juſſerint, quia una eſt SS. Trinitatis voluntas, ait *Oecum.* Addit *ſpei noſtræ*, per oppoſitionem contra Judaïzantes, qui in lege & ceremoniis ſpem ſalutis ſuæ collocabant, cùm ſpes noſtra ſit Chriſtus, quia per ejus paſſionem & merita, non autem aliunde, veniam peccatorum, veram legis obedientiam & vitam æternam ſperamus; ex *Eſtio.*

℣. 2. *Timotheo dilecto filio in fide. Gratia, miſericordia, & pax à Deo Patre, & Chriſto Jeſu Domino noſtro.*

Dilecto, græcè, *germano filio in fide*; Timotheum ſic vocat, non quòd eum ad fidem convertiſſet & Chriſto genuiſſet, ùt Corinthios 1. *Cor.* 4. ℣. 15. & Oneſimum *Epiſt. ad Philem.* ℣. 10.; ſed cùm jam eſſet Chriſtianus & bonum redderetur teſtimonium à fratribus, uſque adeò *Paulo* placuit, ut eum peregrinationis ſuæ comitem, & prædicationis ſocium aſſumeret, *Act.* 16. Nam à matre & avia adhuc puer fide Chriſtianâ fuit imbutus, 2. *Ep.* c. 1. ℣. 5. & c. 3. ℣. 15. *Filium in fide* vocat, quia eum pleniùs & accuratiùs inſtituit, vel quia *Paulo* ſeni tanquam filius patri ſubſerviret in Evangelio *Phil.* 2. ℣. 22. *Miſericordiam* hìc precatur (quod facere non ſolet), ut oſtendat majorem erga ipſum affectum, & majori opus eſſe miſericordiâ præceptoribus, ex *Chryſ.*; tum etiam ut fontem gratiæ & pacis, omniumque Dei beneficiorum quibus ſalvamur, apertiùs demonſtraret; omnia enim ex Dei miſericordia promanant, ùt dicitur ad *Tit.* 3. ℣. 5., ex *Aug. in inchoata expoſ. Epiſt. ad Rom.* Non eſt inſolens, ordine non exactè ſervato, effectui cauſam velut explicando ſubjungere, ùt hoc loco gratiæ miſericordiam; cùm alioqui gratia ex miſericordia promanet, & nos ideò Deus in gratiam recipiat, quia miſeretur: ut ſit miſericordia in remiſſione peccatorum, gratia in virtutum ampliatione, pax in præmiorum conſecutione. Vel gratia eſt ſpiritûs donatio quâ Epiſcopi armantur: miſericordia, per quam à ſæculi miſeria, maliſque omnibus liberentur: pax animi tranquillitas, & pacis æternæ guſtus ac prælibatio, quâ vitiis ſuperatis in pacata requieſcant Eccleſia, ùt notat *Eſpencæus.*

M 2

℣. 3. *Sicut rogavi te ut remaneres Epheſi cùm irem in Macedoniam, ut denuntiares quibuſdam ne aliter docerent.*

Cajet. putat, hæc verba, *ſicut rogavi te*, manere ſuſpenſa uſque ad ℣. 18. hoc modo: *Sicut rogavi te*,.,. ita & nunc idem *præceptum commendo.* Alii ſupplent, *ita facito*, *ſicut rogavi te ut remaneres*, *& ut denuntiares*; id eſt, vices meas ageres ordinando Eccleſiam Epheſi. *Ut denuntiares*, ſeu præciperes *quibuſdam*; nam hoc vocabulum poteſtatem ſignificat: ex quo intelligitur, Timotheum ab Apoſtolo apud Epheſios cum poteſtate relictum fuiſſe, quæ poteſtas alia non fuit quàm Eccleſiaſtica & Epiſcopalis. Proindè illi quibus præcipere debebat, in Eccleſia erant; nam alioqui præcipere iis non potuiſſet: juxta 1. *ad Cor.* 5. ℣. 12. De iis ergo loquitur Apoſtolus, qui Chriſto nomen dederunt, ſed ſub hoc nomine falſa, noxia & inutilia quædam docebant; quales maximè erant Judaïzantes & Simoniani: quos nomine non expreſſit, ne nominatim objurgati pejores fierent. Hic incipit Epiſtolæ velut narratio, quæ cùm ſit quædam quaſi Paſtoralis regula, quâ *Paulus* in Timotheo omnes de omnibus ad Eccleſiæ regimen ſpectantibus inſtruit, primùm quidem in ſpiritualibus ad caput quartum, exindè in temporalibus. *Hoc* igitur *capite* tradit ducendæ fidei formam: *ſequenti* divinum cultum: *tertio* agit de officiis Eccleſiaſticis; atque ita eo quo debet eſſe intentio, proſequitur ordine, ùt notat *Eſpencæus*. *Ne aliter docerent*, id eſt, ne Timotheus pateretur vel doctores diverſa docere, vel auditores diverſis abuti doctoribus; ne diverſam vel illi doctrinam inducerent, vel hi

diſciplinam ſequerentur. Duo igitur ad Prælatum pertinent; prius ut falſa docentes & contrà quàm acceperint evangelizantes anathemate cohibeat ùt *Gal.* 1. ℣. 9. Poſterius, ut ſi quos contingat malè docere, populum prohibeat ne illis intendat: ſic *Eſpen. Ne aliter* quàm nos *docerent*, diverſam adferrent doctrinam; *Aliter* enim hìc idem eſt quod præter, ſeu contrà, ùt *Gal.* 1. ℣. 8. & 9., & 2. *Joan.* ℣. 10. In quo notat Judaïzantes, ex *Chryſ.*

℣. 4 *Neque intenderent fabulis, & genealogiis interminatis: quæ quæſtiones præſtant magìs quàm ædificationem Dei, quæ eſt in fide.*

Fabulas dicit adulterina dogmata, qui enim hæc loquitur alio utitur præceptore, ait *Oecum.*; vel ùt *Eſtio* placet, intelligit ea quæ non ſunt fidei contraria, ſed nihil tamen ad pietatem faciunt, utpotè fabuloſa, vana, inutilia. Quo docendi vitio utinam nulli doctores & concionatores Chriſtiani laborarent. Poſſunt hæc etiam cum *S. Thomâ* ad audientes referri. Notat autem Judaïzantes, qui ut apud Gentiles Chriſtianos eſſent in pretio & quæſtum facerent, fabulas quaſdam à majoribus confictas & traditas pro vera & ſacra hiſtoria ingerebant. Undè eas ad *Titum* c. 1. *Judaïcas fabulas* appellat; cujuſmodi ſunt de juſtificationibus carnis, lotionibus & variis baptiſmatum generibus, quibus illi mandata divina irritabant, ſecundùm quod eis improperant *Iſaïas* c. 29. ℣. 13., Chriſtus *Matth.* c. 15. ℣. 3., *Marc.* 7. ℣. 6. & 7., & Apoſtolus *ad Col.* 2. ℣. 8. & *ad Tit.* 1. ℣. 14. Appoſitè ad rem *Thomas* & *Lyranus* obſervant periculoſum illum in Eccleſia primitiva errorem fuiſſe quòd legalium obſervatio ad ſalutem neceſſaria & cum Evan-

gelio ſervanda foret, ortum à converſis è Judaïſmo ad Chriſtianiſmum dicentibus. *Niſi circumcidamini ſecundùm morem Moyſis, non poteſtis ſalvari. Act.* 15. ℣. 1.; quem errorem ipſi Apoſtoli rejecerunt *eodem cap.* 15. Undè meritò dogma hoc falſum, erroneum, fabuloſum eſſe, ut cui non ſubſit veritas, ait *Eſpencæus* poſt *Brunonem. Et genealogiis interminatis*, id eſt, fine carentibus; avos namque & progenitores numerabant, ùt Judæi divinum Abraham, in illis gloriantes, cùm ipſi nihil laude dignum facerent: dicit *fine carentes*, quia nullum finem habent utilem docentibus, aut audientibus; ait *Oecum.* Vel *interminatæ* quòd ſint infinitæ per traducem ex *Ambroſiano*: vel meliùs quòd res ſit infiniti negotii *quæſtiones* omnes & difficultates quæ in exquirendis & conſtituendis genealogiis occurrere ſolent. Nec tamen hoc *Paulus* refert ad genealogiam Salvatoris quæ habet juſtam utilitatem, ſed ad eas quæ materiam præbent innumerabilium quæſtionum, ad *ædificationem* verò, ſeu ad pietatem, quæ homines ad Deum promovet & adducit (quod fit per *fidem*) nihil planè conferunt. Pro *ædificatione* Græci legunt *diſpenſationem Dei*, quâ diſpoſuit & ordinavit, ut myſteria religionis fide ſuſcipiantur cùm ſint incomprehenſibilia: cui ordinationi reſiſtunt, qui *quæſtiones* de illis movent tanquam ratione comprehendi poſſint, ita *Cajet.* Ubi enim fides eſt, nulla quæſtionis neceſſitas eſt, ait *Chryſ.*

℣. 5. *Finis autem præcepti eſt charitas de corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta.*

Ratio hìc datur præcedentium, cur ſcilicet attendendum non ſit tum legalibus obſervantiis, tum genealogiis nunquam finiendis; nimirùm quòd ad legis impletionem minimè fa-

ciant, ſed impediant potiùs; quaſi dicat, docent illi & attendunt fabulas & origines, ſed *finis*, impletio, & conſummatio *præcepti*, id eſt. Legis (parte pro toto acceptâ) *charitas eſt*, non occupatio circa nugas. Quæſtio eſt quo ſenſu Apoſtolus hic charitatem dicat eſſe *Finem præcepti*. Quidam de cauſa finali exponunt, hoc modo, Charitas eſt id ad quod omnia legis præcepta referuntur. ita *Aug. Ench. cap. penult.* & *lib. de Doct. Chriſt. c.* 35., *Thom. in comm.*, *Cajet.* & *Eſpenc. Eſtio* tamen præplacet, quia *Paulus* eâdem voce græcâ τέλος alibi utitur ad ſignificandum perfectionem, conſummationem ut *Rom.* 10. ℣. 4., hic etiam intelligere *perfectionem* &c. ut ſenſus ſit, Perfectio autem legis *eſt charitas*; quia Lex per charitatem impletur, & ſinè ea impleri non poteſt: quod planiùs ſignificat alia *Pauli* ſententia *Rom.* 13. *Plenitudo legis eſt dilectio*. Ita locum hunc, ait *Eſtius*, exponunt *Ambroſianus* & *Heſſelius*; favent & Græcorum commentarii: quin & *Aug. præf. in pſal.* 31. Atque hoc eſt quod de præceptis diligendi Dei & proximi Dominus ait *in Evang. Matth. c.* 22. *In his duobus præceptis univerſa lex pendet & prophetæ*. Charitatem quam *dixit eſſe finem legis*, certis notis commonſtrat, & ab ea diſtinguit quâ non Deus & proximus ſicut oportet diliguntur, ſed quâ diligitur mundus & quæ in eo ſunt; de qua *in* 2. *ad Tim.* c. 3. ℣. 2. & c. 4. ℣. 9. & 1. *Joan.* c. 2. ℣. 15. Charitas igitur quam commendat Apoſtolus eſt *ex corde puro*, id eſt, procedens ex voluntate vacua cupiditatibus pravis; & *conſcientia bona*, quod *Aug.* additum putat propter ſpem quæ eſt affectus bonæ conſcientiæ: ille enim, inquit, *l. de doct. chr. c. ult.*, & *in Pſal.* 31., ad id quod credit & diligit, perventurum ſe eſſe deſperat, cui malæ conſcientiæ ſtimulus ineſt.; vel per hæc verba *ex*

3. ℣. 18.; nec poteſt compati vel malam v vel ſimulatam fidem, quæ ore fateatur, neget; *Tit.* 1. ℣. 16. ex *Eſpenc.*

℣. 6. *A quibus quidam aberran converſi ſunt in vaniloquium*,

A quibus virtutibus poſtquam *quidam* verunt, ſive ab iis deficientes, ſive ea rep tes, *converſi ſunt ad vaniloquium*; id eſt flexerunt ad ſtudia, doctrinas, diſputat inanes & infructuoſas, legalia poſt Chriſ ventum ſervatu neceſſaria tradentes, err dum putabant, ſe ea implere quæ magis grediebantur, rati brutorum ſanguine & miamatis odore Deum delectari, peccat ferri, ait *Eſpenc.* poſt *Anſel.*

℣. 7. *Volentes eſſe legis doctores*, *intelligentes neque quæ loquuntur*, *que de quibus affirmant*.

Volentes, id eſt, affectantes honorem tulum magiſterii quo vocentur Nomodic li, Rabbi, ut *Matth.* 23. ℣. 7. *Non in gentes* temporum diſpenſationem; ſive

Phariſæorum diſcipulos. Eadem noſtræ ætatis hæreſiarchis vitia communia ſunt; ex *Eſtio*, *Eſpen.* & *Lact.* *lib.* 4. *cap.* 30.

℣. 8. *Scimus autem quia bona eſt lex, ſi quis ea legitimè utatur :*

Ipſi non intelligunt legem quam docere volunt, & ideò vanè de ea loquuntur: ſed nos intelligimus eam per Dei gratiam, & ideò verè de ea loquimur: *ſcimus* eſſe bonam, utpotè bono Deo profectam, nihil præcipientem niſi quod bonum eſt. Deniquè bonam, quia ſervata vitam præſtat, ùt *Rom.* 7. ℣. 12. q. d. *Lex* ipſa per ſe *bona eſt*, ſed tibi bona non erit ſi non *eâ legitimè* utaris, nempè in finem ad quem à Deo data eſt. Quod facit imprimis qui eam obſervat & per ejus obſervationem juſtus eſt, *Rom.* 2. ℣. 13.; ſed quia propriis viribus obſervare legem nemo poteſt, ille *eâ legitimè* utitur, qui agnoſcens infirmitatem ſuam ad obſervanda legis præcepta, utitur eâ ùt pædagogo ducente ad Chriſtum, *Gal.* 3. ℣. 24., ut per ejus gratiam juſtificatio legis impleatur in nobis *Rom.* 8. ℣. 4. ita *Chryſ.* & *Anſel.* Mittit autem ad Chriſtum, quia Chriſtum promittit ùt authorem juſtitiæ & ſalutis noſtræ, & quia dum præcipit & minatur & non juſtificat, tacitè hominem admonet, quò confugere debeat, ut ipſius minas evadat, ſcilicet ad medicum & Salvatorem Chriſtum in lege promiſſum, ita *Aug. lib. de ſpir. & lit. cap.* 9. & 10. Sic ut poſtquam Chriſtus prædicatus eſt, relinquamus eam legis partem quæ factorum dicitur, eâ verò utamur, quæ eſt circà dilectionem, ùt notat *Eſpencæus.*

eſt opus lege pædagogo ac manu du
ut ſenſus ſit, *Lex*, ſeu terror Legis *ju*
eſt poſita; non quòd ea non teneatur
quæ lege jubentur, & vitare quæ lege
tur; ſed quia quod impii timore legi
ti faciunt, hoc juſti ſpontè & ob Dei
rem; ita *Gaig.* conformiter *ad Rom.* c
14., c. 7. ℣. 4. & 6., *Gal.* c. 3. & ℣. 1
5. ℣. 18. & 23. Hoc modo etiam intelligi
quod dicitur *Rom.* c. 13. ℣. 3. & 4. Hin
colligunt Hæretici, Chriſtianos abſolut
ab obligatione decalogi, cùm Chriſtus n
ta legis ſervanda præcipiat ei qui vult ad
ingredi: & primo parenti quando rectus
integer, & peccatum nondum intraverat in
dum, lex data fuit à Deo, ne comederet d
ſcientiæ boni & mali: vel *lex juſto non*
ſita, id eſt, impoſita tanquam onus quo
premat metu ac terrore ſupplicii: vel *lex*
non adverſatur, ſed *peccatoribus*, inobſ
tibus, impiis qui Deo cultum debitum no
ſtant, iis qui peccatis grandibus ſunt ob
nefariis & prophanis, impuris, piaculis
minatis, parentum percuſſoribus contra

Chriſti ſpiritu agente, ut ipſe ſibi ſit lex, *Rom.* 2. ℣. 14., lex ei paterna eſt monitio; aliter affectis impoſitum onus & coactio, ait *Eſpen.* Lege ei non eſt opus ad rectè vivendum, qui ex gratia vivit, ait *Orcum.*

℣. 10. *Fornicariis, maſculorum concubitoribus, plagiariis, mendacibus, & perjuris, & ſi quid aliud ſanæ doctrinæ adverſatur,*

Nomine *fornicationis*, tam hic quàm alibi comprehendit omnem viri & feminæ commixtionem extra matrimonium: *plagiarii* dicuntur hominum fures, id eſt, qui homines ſive ſervos ſive liberos abducunt, retinent, vendunt: imò & qui emunt in ſervitutem eos quos liberos eſſe noverunt. *Mendaces* vocat non à qualicumque mendacio, ſed ab eo quod fit ſtudio nocendi, quod perniciosum vocant. *Sanæ doctrinæ adverſari* dicuntur non quæcumque peccata, ſed ea ſolùm quæ ſimpliciter injuſtum ac legis tranſgreſſorem conſtituunt, qualia ſunt, de quibus hic agitur: non quaſi peccatum aliquod non ſit contra ullam Dei legem, ſed quia venialia ſicut imperfectam habent peccati rationem, ita & legi Dei imperfectè repugnant, quatenùs non extinguunt dilectionem Dei ex toto corde, undè nec ſimpliciter ab illis quiſquam legis tranſgreſſor vocatur, ſecùs de mortalibus etiam ſingulis, ut patet *Jac.* c. 2. ℣. 10.

℣. 11. *Quæ eſt ſecundùm Evangelium gloriæ beati Dei, quod creditum eſt mihi.*

Quæ ſana doctrina eſt Evangelio conſentanea; vocat *Evangelium gloriæ beati Dei*, quia per illud Deus qui per naturam beatus eſt, & laude noſtrâ non eget, glorificatur: finis enim Evangelii eſt gloria Dei; *quod creditum* ſeu concreditum *eſt mihi*, id eſt, cujus prædica-

Evangelii prædicandi sibi credito, seu
quòd ad rem tanti momenti exequendam
ſuppeditaverit & quòd feliciter & fortit
ter tot perſecutiones miniſter fuerit, &
fidelem & idoneum judicaverit quem adh
ad miniſterium Evangelii, ùt 1. *Cor*. c. 4.
& c. 7. ℣. 25. Deus autem neminem ju
fidelem quem non faciat, idque inſinua
gratiarum actio; nulla enim Deo debetur
hominem qui fidelis eſt, talem judicet
quòd talem faciat. Quod & locus ad *Co*
tus, haud obſcurè inſinuat. Aut certè, q
Chriſto loquitur, etiam hoc modo pot
telligi: *fidelem me* judicavit ùt homo, qu
lem ùt Deus fecit, ex *Eſtio*. Sic totum D
ſcribit, ut libertatem non tollat arbitrii
Chryſ.

℣. 13. *Qui priùs blaſphemus fui
perſecutor, & contumelioſus: ſed
ricordiam Dei conſecutus ſum, qui
norans feci in incredulitate.*

Vide quomodo augeat Dei miſericor
prioris vitæ faciens mentionem, & oſte

mittit: quo ſenſu Apoſtolus quaſi per gradus peccatum ſuum auget; ut primus ſit maledicere, ſecundus perſequi, tertius per vim opprimere ſeu expugnare ùt *Gal.* 1. ℣. 13. dicitur: ex *Eſtio. Sed miſericordiam à Deo conſecutus*, id eſt, gratiam quâ & peccata remitteret, & immenſis beneficiis me cumularet: *quia ignorans feci in incredulitate.* Aliqui putant *Paulum* ex magnitudine peccati rationem reddere cur miſericordiam conſecutus ſit; non quaſi rationem peteret ex parte peccati; ſed ex bonitate divina quæ tanta eſt, ut potentiam ſuam declarare velit in remiſſione graviſſimorum peccatorum: ita ut ſenſus ſit, quia Deus vidit me per infidelitatem adeò excœcatum, ut cùm tanta mala facerem, tamen ea non viderem, ſed optimè me facere putarem & per hoc penitùs eſſem deſperatus more phrenetici, qui morbum ſuum non agnoſcit: ideò ex mera ſua miſericordia me prævenit atque ſanavit. Alii volunt nullam hìc reddi rationem; ut ſenſus ſit, veniam conſecutus ſum de eo quod ignorans feci per incredulitatem, veniam obtinui totius erroris & infidelitatis meæ: hic ſenſus, etſi verus, non tamen explet Apoſtoli ſententiam, quæ non minùs cauſalis eſt, quàm oratio Chriſti *Luc.* 23. ℣. 34, utì & ſermo Petri *Act.* 3. ℣. 17. *Eſtius* autem dicendum exiſtimat, quòd feciſſe *per ignorantiam* in prædictis Chriſti & Apoſtolorum ſententiis nec allegetur propriè ad exaggerationem peccati, nec ad ejus diminutionem, ùt Græci putarunt; ſed præcipuè adferatur, ùt ratio objecti maximè convenientis, circa quod Deus miſericordiam ſuam exerceat; objectum enim ſeu materia miſericordiæ eſt miſeria: undè quantò miſeria major, tantò magìs nata eſt miſericordiam commovere. Hinc orat Pſalmiſta *Pſ.* 78. *Citò*

quod dicitur *Gen.* 6. ℣. 21. & *Jud.* 17.
& 39. Tale eſt & illud *Rom.* 5. *Ubi abu*
peccatum, *ſuperabundavit gratia.* Nam
immediatè ſubjungit Apoſtolus, *ſuperab*
ſe in ſe gratiam Chriſti. Ex his etiam v
quia ignorans feci, patet nullam meriti
nem ſignificari in *Paulo*, ne quidem ex co
quod Deum provocaret ad gratiam & miſe
diam ei præſtandam. Tantùm enim ùt dictu
magnitudo miſeriæ ſignificatur, velut obje
ſericordiæ divinæ; quæ miſeria, quia p
erat, non poterat ſecundùm rationem mer
ſericordiam provocare, ſed iram. Quamvis
Apoſtolum ſic interpretemur ut hîc non v
extenuare peccata ſua; tamen commun
verior eſt ſententia, hæc eum feciſſe mag
ignorantiam, quàm per malitiam, ut am
randus ſit iis, de quibus ſermo eſt *Joan.*
℣. 2. & *Rom.* 10. ℣. 2., ùt de ſe ipſa di
Phil. c. 3. ℣. 6.

℣. 14. *Superabundavit autem g*
Domini noſtri, cum fide, & dilect
quæ eſt in Chriſto Jeſu.

enim peccata delevit, ſed & adoptionem filiorum contulit, & Apoſtolici muneris dignitatem adjecit, ùt *Rom*. 5. ℣. 20. *Cum fide*, quâ in Chriſtum credidit, & *dilectione* quâ Chriſtum vel in Chriſto proximum dilexit : fidei dilectionem conjungit ; ſinè charitate enim ad ſalutem non ſufficit, ùt notant Græci. Ut videremus utique per fidem, viſi ſumus, ut diligeremus, dilecti ſumus : infunditur gratia, operatur fides per dilectionem, ait *Aug*. *ſer*. 8. *de verb. Apoſt.*

℣. 15. *Fidelis ſermo, & omni acceptione dignus : quòd Chriſtus Jeſus venit in hunc mundum peccatores ſalvos facere, quorum primus & ego ſum :*

A gratia ſibi præſtita Apoſtolus tranſit ad commune beneficium Redemptionis & Salutis humanæ per Chriſtum. Utitur autem magnificâ præfatione, cujus ſenſus eſt : quod jam dicturus ſum, quoad veritatem certum eſt ; quoad utilitatem verò, dignum ut omnibus modis amplectamur. *Fidele* pro vero & certo frequens eſt in Scripturis, maximè verbis & promiſſis attributum. *Ambroſianus* legit, *humanus ſermo* ; quam lectionem *Hier. ad Marcellam* rejicit : *Aug*. verò utrumque legit ; lectio tamen vulgatæ præferenda videtur. *Quòd Chriſtus Jeſus venit in hunc mundum peccatores ſalvos facere*, cujus ſalutis partes ſunt converſio, remiſſio peccatorum, juſtificatio, & glorificatio. Nam ſalus in hac vita inchoatur, in futura perficitur : tacitè Apoſtolus alludit ad nomen *Jeſus* quod Salvatorem ſignificat, ùt patet *Matth*. c. 1. ℣. 21. Ex his & ſimilibus Scripturæ S. locis conſtat, finem principalem adventûs Chriſti fuiſſe ſalutem peccatoris. *Matth*. 9. ℣. 13. & *Luc*. 19. ℣. 10. Ex quo rectè colligitur, Chriſtum non fuiſſe venturum, ſi homo non pec-

puis & inſignioribus ; vel quia ma
erat quantùm ad ſuum ipſius indicium
enim veræ humilitatis eſt & charitatis,
ſum accuſare & alios non judicare. Sic
trariò ſe omnium Sanctorum minimum
Ephes. 3. ; ita de ſe quiſque judicare debe
Th. 2. 2. q. 161.

℣. 16. *Sed ideò miſericordiam c
cutus ſum : ut in me primo oſten
Chriſtus Jeſus omnem patientian
informationem eorum, qui credituri
illi, in vitam æternam.*

Rationem miſericordiæ ſibi à Deo im
reddidit ex parte objecti, id eſt, miſeriæ
nunc eam aſſignat ex parte cauſæ finalis
enim Deus omnia faciat ad oſtenſionem
tatis ſuæ, peculiariter tamen *Paulum* qu
magnus erat peccator, per gratiam ſuam
Chriſtus ad ſe convertere & tam ma
Apoſtolum facere voluit, ut in eo *primo*, i
maximo peccatore Mundo notam facere
n m, id eſt, perfectam ac ſingularem *p*

rit exemplar (ùt Græci legunt) omnibus peccatoribus *qui* uſque ad finem ſeculi in ipſum *credituri ſunt*, & per eandem fidem expectaturi *vitam æternam* : videntes enim peccatores *Paulo*, qui tam graviter peccaverat, impenſam eſſe à Chriſto miſericordiam, audent & ipſi veniam & ſalutem ab eo ſperare, ex *Chryſ.*

℣. 17. *Regi autem ſeculorum immortali, inviſibili, ſoli Deo honor, & gloria in ſecula ſeculorum. Amen.*

Ex conſideratione tanti beneficii per Chriſtum ſibi & in univerſum humano generi exhibiti erumpit in laudem, prædicans illum æterno honore & gloriâ dignum. Idem eſt ſive de tota S. Trinitate, ſive de Deo Patre ſententiam exponas: quidquid enim Deo Patri attribuitur, ad omnes perſonas refertur, ubi non obſtat relationis oppoſitio, quæ hìc non eſt: dicitur autem *ſoli* ad excluſionem duntaxat illius quod à Patre naturâ diverſum eſt. *Regi ſeculorum*, id eſt, totius univerſi, ùt *Pſal.* 144. ℣. 13., *Heb.* 1. ℣. 2., 2. *Tim.* 1. ℣. 9. *Soli Deo honor & gloria* vel per excellentiam quæ tribuitur ùt ſummè bono & perfecto, talis enim *ſoli Deo* debetur, non Angelo, non homini quantumvis ſancto: vel quia *gloria* quæcumque aliis competit, ſolidè in Deum referenda eſt, ùt 2. *Cor.* 10. ℣. 17.; vel Rex ille ſeculorum immortalis & inviſibilis, qui ſolus eſt Deus, honoretur & glorificetur in omnem æternitatem, ita *Auguſt.* l. 2. *de Trinit. cap.* 8. & 17.; ùt *Apoc.* 7. ℣. 12. Poſtremus ſenſus, ait *Eſtius*, maximè probabilis eſt.

ut milites. Alii rectiùs ait *Eſtius*, ad ℣.
cut rogavi te, &c. Poteſt etiam intelligi
ceptum, non quo aliquid Timotheo præ
tur, ſed quo Timotheus præcipere debeat
Secundùm præcedentes in te, id eſt, ſupe
vel de te, q. d. Hoc præceptum tibi com
do ſervandum vel exequendum juxta pr
tias, quæ *de te* præceſſerunt, id eſt, ſecun
revelationes divinas de te factas, juxtà
& electus à *Paulo* in diſcipulum & circum
eſt & Epiſcopus ordinatus eſt; ait *Oecum*. N
Eccleſia primitiva electiones Epiſcoporu
bant per revelationem Spiritûs ſancti; ù
tat *Chryſoſt*. & *Dion. in Eccl. Hier*; vel i
ne *prophetiæ* intelligi poteſt, ſacrarum l
rum cognitio, ùt 1. *Cor.* c. 14.; ita ſenſus
hoc præceptum tibi commendo ut *ſecu*
præcedentes in te prophetias, id eſt, quo
modùm à puero ſacrarum literarum notitia
bes, ita te in illis exerceas & juxtà illas *b*
militiam milites, ita *Gaig.*; id eſt, offi
tuum Epiſcopale ſtrenuè & fortiter admini
Nam ſicut in militia, ſic in Epiſcopatu p
tua eſt adversùs hoſtes pugna, vigiliæ,

℣. 19. *Habens fidem, & bonam conſcientiam, quam quidam repellentes, circa fidem nauſragaverunt:*

℣. 20. *Ex quibus eſt Hymenæus, & Alexander: quos tradidi ſatanæ, ut diſcant non blaſphemare.*

Oportet magiſtrum ſui primùm eſſe doctorem; *fidem* autem dicit quæ eſt circà dogmata: *conſcientiam* verò quæ circa converſationem eſt; *quam*, inquit, conſcientiam quæ eſt de rectè vivendo, *quidam repellentes* etiam *circa fidem* naufragium fecerunt; id enim accidit ſæpè iis qui reprobè vivunt, ut tota fides per apoſtaſiam pereat velut naufragio, ita *Oecum. Ex quibus eſt Hymenæus*, qui negabat futuram reſurrectionem, 2. *Tim.* 2. ℣. 18. *Et Alexander* quem *S. Thom.* non improbabiliter eumdem facit cum *Alexandro ærario*, de quo in 2. *Epiſt.* c. 4. *Baronius* ſuſpicatur eum eſſe de quo *Act.* 19. agitur. *Quos tradidi diabolo* per excommunicationem quâ eos propter hæreſim & blaſphemiam ejeci extra Eccleſiam; qui enim extra Eccleſiam projicitur, exuitur protectione Dei, quâ peculiariter Eccleſiam ſuam protegit: undè conſequenter exponitur lupis graſſantibus extra ovile, ut 1. *Cor.* 5. ℣. 5. *Ut diſcant* non maledicere, non convitiari, ut *Act.* 7., id eſt, corrigentur vel cruciatibus eruditi, ut opus ſatanæ excludatur opere ſatanæ, ait *Anſel.*

postulat preces fieri pro omnibus ho
bus : mulieres tum in habitu, tu
ſermone modeſtas eſſe jubet.

℣. 1. *Obſecro igitur primùm om fieri obſecrationes, orationes, po tiones, gratiarum actiones pro o bus hominibus:*

POſt conſtitutam doctrinæ Cl næ ſummam de lege & gratia ſpecialibus præceptis Timo Epiſcopum inſtruit, & *primù nium fieri* vult *obſecrationes tiones* &c.; quia ex his cetera pendent, petrantur. Dicit autem *primùm omniu* eſt, ante omnia, eo ſenſu quo Chriſtus 6. dixit, *Quærite primùm* regnum Dei. V *nium*, id eſt, ab omnibus ſive à tota Ec *Aug. Epiſt.* 59. *ad Paul.* q. 5. locum hu fert ad preces quas recitat ſacerdos ad a ut *Obſecrationes* ſint preces quæ fiunt in ante conſecrationem; *Orationes* poſt con tionem uſque ad orationem Dominican *ſtulationes*, cùm populus benedicitur.

ner. tim pro aliis oratur. Alii putant, hæc tria pro eodem ſumi; ex *Gaig.* ùt *Eph.* 6. ℣. 18., *Philipp.* 4. ℣. 6. Sive autem diſtinguenda ſint, ſive non; dubium non eſt, quin loquatur Apoſt. de Eccleſiæ precibus publicis, ex *Chryſ.* & *Aug.* *Gratiarum actiones* de beneficiis acceptis, ùt *Philipp.* 4. ℣. 6. *Pro omnibus*, etiam infidelibus, inimicis, perſecutoribus, ùt *Mat.* 5. ℣. 44.; Chriſtus enim communis eſt totius orbis Pater. Sacerdos eſt, dignum igitur eſt, ut omnium curam agat, ait *Chryſ.* *Pro omnibus*, id eſt, pro ſingulis non pro omni genere tantùm: ita ut hic locus oſtendat, nullum in hac vita ita deſperatum quin de ejus ſalute ſperari poſſit; nam oratio ſpei profeſſio eſt. Oſtendit etiam, Sanctorum interceſſiones nihil derogare officio unici Mediatoris Chriſti: ex *Eſtio.*

℣. 2. *Pro regibus, & omnibus, qui in ſublimitate ſunt, ut quietam, & tranquillam vitam agamus in omni pietate, & caſtitate.*

Pro regibus licèt ſint mali & ſanctis infeſti, ait *Anſel.* & *Tert.* *Apol. cap.* 39.; erant enim tunc temporis fidei Chriſtianæ expertes imperii & regnorum Moderatores. Et quia non abſurdum videtur, Chriſtiani animum obturbari cùm ei indicitur rem divinam facienti, & ſacroſancta myſteria pertractanti ut pro infidelibus & regibus deprecetur, proponit & lucrum, ut vel eo allecti id factitemus. Ait namque iſtiuſmodi hominum ſalutem in quietem ceſſuram & tranquillitatem. *In omni pietate & caſtitate*, ſeu honeſtate, id quidem eò adjecit, quia pleriſque belli & tentationum vacatio ad luxum & injuriam aliis inferendam præbet occaſionem: videmus enim profanari Eccleſias & monaſteria; hæreſes, perjuria, blaſphemias, & alia vitia graſſari; denique caſtitatis & honeſtatis nullam

haberi rationem. Regum pace & conregimen & quies ſervatur Eccleſiarum, ait *Eſpenceus.*

℣. 3. *Hoc enim bonum eſt, & acceptum coram ſalvatore noſtro Deo,*

Ut hujuſmodi preces fiant pro omnibus hominibus etiam infidelibus.

℣. 4. *Qui omnes homines vult ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.*

Extenſio eſt ejus quod præcedit, *Salvatore noſtro.* q. d. acceptum id eſſe Deo qui non tantùm noſter eſt Salvator, ſed *omnes homines vult ſalvos fieri*, nimirùm ſalute æternâ, cujus inchoatio in hac vita eſt per fidem de qua addit, *& ad agnitionem veritatis venire;* veritatis ſcilicet ad ſalutem pertinentis, pro qua aſſerenda Chriſtus *Joan.* 18. ℣. 37. dicit, ſe in mundum veniſſe: hujus igitur *veritatis agnitio* fides eſt. Varia eſt hujus loci explicatio: aliqui hoc modo interpretantur, *qui vult omnes homines ſalvos fieri*, modò & ipſi velint, ùt *Ambroſianus*, & *Rupert.* intelligunt: à quibus reipsâ non diſſentiunt qui ſententiam Apoſtoli ad hunc modum ſupplent, *vult* quantùm in ipſo eſt, ita *Catharin.*, quem ſenſum rejecit *Aug.*, quia & hoc ipſum *ut velint*, à divina pendet voluntate: vel Deus *vult ſalvos fieri omnes* quicumque ſalvantur, quia nemo ſalvatur niſi Deo volente, & ideò rogandus eſt Deus ut velit, ita *Aug. Enchir.* 103.; vel *vult* omnis generis homines ſalvari ùt Judæos, Gentiles, ſervos, liberos, principes, privatos, ex *Aug. ibidem;* vel *vult* voluntate antecedente, quatenùs eos creavit non ut puniat, ſed ut participes efficiat beatitudinis; nam punitio & damnatio ex peccato eſt, non ex prima hominis inſtitutione: non igitur illam vult Deus antecedente, ſed conſequente voluntate, ita *Damaſc. lib. 2. de orth. fid.*

cap. 29. Notandum, voluntatem antecedentem interdùm à Doctoribus exprimi per illam phraſim, *quantum in ſe eſt*; ſic *B. Thom. l.* 3. *contrà Gentes c.* 59.; Verùm quia hæc phraſis accipi poſſit in eum ſenſum quem ſuprà rejecimus, ideò S. Doctor videtur *in ſumma* 1. *p. q.* 19. *a.* 6. expreſsè ab illa abſtinuiſſe: ſic *Eſtius*. Vel Chriſtus qui eſt Salvator noſter non nos tantùm, ſed *omnes homines vult ſalvos fieri*, & ad fidem adduci non abſolutâ rationali voluntate, quæ divinæ voluntati per omnia conformis eſt; ſed voluntate deſiderii ſeu pietatis, quam velleitatem vocant; vel Deus *vult omnes ſalvos fieri*, & proindè ſalvos facit, quòd eorum tanta ſit multitudo, ut ſuo quodam modo poſſint dici *omnes*, ùt *Philipp.* 2. ℣. 21.; vel quatenùs vult & facit pios homines velle, ſeu deſiderare omnium ſalutem, ùt 1. *Cor.* 9. ℣. 22.; cùm enim ejus voluntas ſit occulta, rectè hoc eum velle dicimus quod vult in ſuis amicis, qui ſunt homines Dei, idque non tantùm præcipiendo ut velint, ſed etiam hoc ipſum in eis operando; ex *Aug. lib.* 22. *de Civit. cap.* 1. & 2. & hic ſenſus congruit contextui Apoſtolico. Quod enim præcipit pro omnium ſalute orandum eſſe, probat, *quia id bonum eſt & acceptum Deo, quia vult omnes ſalvos fieri*. Id eſt, vult ut omnium ſalutem deſideremus, & hoc ipſum deſiderium in nobis operatur, ideóque non dicit vult omnes ſalvos facere, ſed *fieri*; quo ſermone magìs ſignificatur voluntas noſtra quam à Deo habemus pro ſalute omnium, quàm voluntas quæ propriè ſit ipſius Dei. Quamvis ergo Deus non velit omnes ſalvos facere, ſed ſolos electos, vult tamen omnes ſalvos fieri, ſcilicet per nos & quantùm in nobis eſt, dum præcipit nobis ut omnium ſalutem quæramus, & hoc ipſum ſtudium & deſiderium in nobis

operatur. Vel Deus *vult omnes ſalvos fieri* quatenùs media quædam & auxilia generalia contulit ac poſuit hominibus in univerſum quibus poſſint ad ſalutem perduci, licèt hæc ad ſalutem conſequendam abſque mediis & auxiliis ſpecialibus non ſufficiant. Talia ſunt creatio hominis ad beatitudinem, lex naturæ mentibus omnium impreſſa, beneficium redemptionis Chriſti toti mundo expoſitum. ita *Proſper. lib. 2. de voc. Gent:* De his omnibus explicationibus videri poteſt *Eſtius*, qui duas poſteriores ut ſenſu commodas, & Apoſtolico contextui congruentiores amplectitur & probat, maximè penultimam: quia ultima non perindè poteſt ſingulis hominibus accommodari, velut amentibus, infantibus &c.

℣. 5. *Unus enim Deus, unus & mediator Dei & hominum homo Chriſtus Jeſus;*

Unus eſt *Deus* omnium hominum creator; *unus* etiam *homo Chriſtus Dei* atque omnium *hominum mediator*, & omnium *Jeſus* ſeu redemptor: ergo ſive beneficium creationis ſpectetur quod omnibus commune eſt, ſive beneficium reconciliationis ac redemptionis quod omnibus propoſitum eſt, vult omnes homines ſalvos fieri. At juxta expoſitionem penultimam probatio eſt hujuſmodi. Unus eſt omnium mediator datus à Deo: ergo Dei voluntas eſt partim præceptiva, partim operativa in nobis, ut omnes homines ad ſalutem & veritatis agnitionem, quantùm in nobis eſt, adducamus. Addit, *Homo Chriſtus Jeſus*, ſolus enim homo qualis *Chriſtus*, id eſt, homo juſtus qui proprium haberet meritum, quique pretium infiniti valoris offerre poſſet, inter Deum & homines injuſtos & peccatores *mediator* eſſe potuit, ſalvo jure ejus qui offenſus fuit: ſed quia à puro homine hæc præſtari impoſſibile erat,

erat, ideò hominem illum etiam Deum eſſe oportuit, ita *Chryſ.* & *Aug.* Cui Mediatoris officio, quomodo Sanctorum interceſſio non obſit, jam ſæpiùs dictum & ex ipſo Apoſtolo probatum eſt.

℣. 6. *Qui dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus, teſtimonium temporibus ſuis :*

Declarat quâ ratione Chriſto propriè competat Mediatoris officium, videlicet ratione redemptionis. In eo quòd *ſemetipſum* dicitur dediſſe, ſignificatur eum non invitum traditum fuiſſe, ſed volentem cùm poſſet non pati. *Dedit ſe pro omnibus* ſufficienter non efficaciter; conformiter ad alia ſcripturæ loca, quæ Chriſtum pro *multis* mortuum eſſe & ad *multorum* redemptionem veniſſe, teſtantur, ùt *Matth.* c. 20. ℣. 16. & c. 26. ℣. 28. *Marc.* c. 14. ℣. 24. & ad *Heb.* c. 9. ℣. 28. Reflectere cum *Eſtio* poſſumus, nullâ neceſſitate nos cogi ut hic, *pro omnibus*, ad omnes & ſingulos homines referamus: poteſt enim convenienter & ſecundùm morem Scripturæ ſic accipi pro hominibus omnium gentium ſeu pro hominibus toto orbe diſperſis: ùt *Apoc.* c. 5. ℣. 9. Et quia nobis ignotum eſt qui ſint ex omnibus Gentibus ad redemptionem prædeſtinati; propterea ſic pro omnibus abſolutè oramus, ut quòd ad ſingulos attinet, neminem velimus ab oratione noſtra excluſum. *Teſtimonium* intellige redemptionis factæ per Chriſtum, idque oſtenſum eo tempore quo reſurrexit. Alii redemptionem ejus interpretantur *teſtimonium* divinæ voluntatis quâ vult omnes homines ſalvos fieri: vel intellige Chriſtum per paſſionem ſuam quâ ſemetipſum dedit redemptionem pro omnibus, perhibuiſſe *teſtimonium* veritati, cujus prædi-

candæ gratiâ miſſus fuerat à Patre, ita *Chryſ.* & *Theoph.* Hujuſmodi veritatis teſtimonium, cùm uſque ad mortem dicitur & morte confirmatur, propriè & per excellentiam ab ipſis Apoſtolis Martyrium, id eſt, *teſtimonium* vocabatur. Hic ſenſus confirmatur c. 6. ℣. 13. *hujus Epiſt.* Perhibuit autem Chriſtus hoc *teſtimonium temporibus ſuis*, id eſt, quando tempus à Deo præordinatum & à Prophetis prænuntiatum, erat impletum; quam impletionem alibi vocat plenitudinem temporis, ùt *Gal.* 4. & *Epheſ.* 1. *Suis*, id eſt, congruentibus; ex *Chryſ.*

℣. 7. *In quo poſitus ſum ego prædicator, & Apoſtolus (veritatem dico, non mentior) Doctor gentium in fide, & veritate.*

In quo, ſive *ad quod* teſtimonium, id eſt, ad quam veritatem pro qua Chriſtus uſque ad mortem teſtimonium perhibuit, promulgandam, Ego conſtitutus ſum præco ſeu nuntius, & *Apoſtolus*, hoc eſt, legatus ab eo miſſus, imò etiam *doctor Gentium*; quod illi quodammodò proprium erat, ùt 2. *Ep.* c. 1. ℣. 11., *Rom.* 15. ℣. 16. & *Gal.* 2. ℣. 7. & 8.; ad inſtituendas Gentes *in fide & veritate*, id eſt, ut fidem Chriſti recipiant; vel *doctor Gentium* fidelis & verax, ex *Eſtio*; non in ſyllogiſmis & fallaciis, ſed in iis, quæ pertinent ad fidem & bonos mores, ait *Eſpen.* Apoſtolus hìc per parentheſim interſerit, *veritatem dico, non mentior*: cui græci codices addunt veritatem dico *in Chriſto*; & juramentum interpretantur, q. d. per Chriſtum juro me veritatem dicere: ſed ſciendum, in Græcorum commentariis nullum extare hujus additionis indicium, ut veriſimile ſit, illam hic irrepſiſſe ex c. 9. ℣. 1. ad *Rom.*; ita *Eſtius* qui hæc verba potiùs in confirmationem illius

quod ſequitur, *Gentium Doctor*, putat referenda eſſe.

℣. 8. *Volo ergo viros orare in omni loco, levantes puras manus ſinè ira, & diſceptatione.*

Dixerat pro quibus orandum ſit; nunc de loco agit. Ex quo apparet, etiam hanc partem de publicis Eccleſiæ precibus accipi debere, quod magis probabile fiet ex ſequentibus. Non igitur ſenſus eſt, omnem omninò locum aptum eſſe orationi, ùt forum, theatrum &c.; quamvis, id veriſſimum ſit de oratione interna; nullus enim locus ėſt in quo non poſſit Chriſtianus mente in Deum elevatâ petere quæ petenda ſunt, quod eſt orare. Quæres, quomodo igitur Apoſtolus hic vult orandum eſſe *in omni loco*? Sunt qui dictum hoc ab Apoſtolo interpretantur adversùs Judæos exiſtimantes orationem ſolo loco templi Jeroſolymitani circumſcriptam eſſe: quem commentarium poſt *Heſſelium* refellit *Eſtius* ex hoc ſolo, quòd lex apertè *Deut.* 30. juberet Iſraëlitas etiam in terra captivitatis ſuæ Deum invocare; quamvis extra locum à Deo inſtitutum ſacrificia offerre prohiberet. Vult autem idem author hoc dictum eſſe, ne quis putaret publicas orationes, ſicut apud Judæos, in ſynagogis fieri oportere uno tantùm & certo loco cujuſque civitatis, quod obſervatu difficile erat propter perſecutiones; idcircò docet eas fieri poſſe *in omni loco* ad publicè orandum idoneo, prout opportunum & tutum fuerit: quod & hodie adhuc faciunt Catholici in iis locis, ubi baſilicis, templiſque ſuis ſpoliati ſunt: ita etiam ab ipſo Apoſtolo Philippis factum eſſe legimus *Act.* 16. ℣. 13. Non locus orationem ſed devotus animus commendat, ubicumque mente devotâ quis locutus fuerit,

reſpondebit ei, ait *Amb. in Epiſt. ad Rom.* 1. *Levantes* quaſi auxilium implorantes quomodo & Moyſes oraſſe legitur *Exod.* 17., *puras manus* à cæde, rapina, avaritia, libidine &c., ùt *Iſaiæ* c. 1. ℣. 15. & 16. *Sine ira*, & omni appetitu vindictæ, utì etiam præcipitur *Matth.* c. 5. ℣. 24. & c. 6. ℣. 15., & *Eccl.* 28. ℣. 2. & *ſeq.* *Et diſceptatione*, græcè, διαλογισμῶν, quam Græci hìc dubitationem interpretantur; qualem *Jac.* c. 1. ℣. 6. ab oratione removet. Latini verò probabiliùs, ait *Eſtius*, exponunt de contentione; quo ſenſu eadem vox græca legitur *Rom.* 14. ℣. 1. & *Luc.* 9. ℣. 46., licèt hoc ultimo loco interpres vulgatus *cognitionem* verterit. Removet igitur diſceptationem hanc ab oratione Apoſtolus, quia paci adverſatur, ideòque effectum orationis impedit. Et quidem quævis alia à ſpiritu orationis diſtincta cogitatio, ſi voluntaria ſit, effectui orationis noxia eſt: nemo enim aliquid impetrare poteſt alia cogitando, ait *Hier.* Apoſtolus, licèt ſolos hìc viros nominet, mulieres non excludit; mox enim ſubjungit, quid eas oraturas facere oporteat: ſed priùs de viris loquitur, quia vitia quæ hìc excluſa vult ab oratione, magìs in viros cadere ſolent. Aliunde etiam manifeſtum eſt, mulieres debuiſſe ad publicas orationes convenire, ùt *Act.* 16. & 1. *Cor.* c. 11. & 14.; ex *Eſtio.*

℣. 9. ***Similiter & mulieres in habitu ornato, cum verecundia & ſobrietate ornantes ſe, & non in tortis crinibus, aut auro, aut margaritis, vel veſte pretioſa:***

Similiter & mulieres orare volo *in habitu* &c., id eſt, volo ut, dum mulieres orant; veſtes earum religionem prætendant, non libidinem provocet earum nudatio indiſciplinata; ſed ornent

ſe *verecundiâ & ſobrietate*, pro qua Græci vertunt, *& caſtitate*, id eſt, verecundè & caſtè, non procaciter, aut impudicè. *Non in tortis crinibus*, id eſt, arte criſpantibus: in ſumma docet, mulieres moderato cultu corporis contentas eſſe debere, luxum vitandum, nec dandam occaſionem concupiſcentiæ; ex *Hier.* Idem præcipit *Petrus in* I. *Epiſt.* c. 3. ℣. 3. Undè colligitur, ait *Eſtius*, hoc præceptum non eſſe leve nec contemnendum, quod duo Apoſtolorum principes tam diligenter inculcatum voluerunt.

℣. 10. *Sed quod decet mulieres, promittentes pietatem per opera bona.*

Sic enim congruum eſt, ut illæ non verbis, ſed & operibus pietatem oſtendant: vel volo mulieres ornare ſe non in tortis crinibus, &c.; *ſed per opera bona*, quemadmodùm *decet mulieres* Chriſtianas quæ verum Dei cultum profitentur, non ſcenæ atque hiſtrionum geſtum; ait *Chryſ.*

℣. 11. *Mulier in ſilentio diſcat cum omni ſubjectione.*

Ut 1. *Cor.* 14. ℣. 34., ex quo repete *in Eccleſia*; ubi nequidem interrogare poteſt, ut *diſcat cum* perfecta *ſubjectione*, ſexui ſuo congruente; Lex enim *Gen.* 3. eas ſubditas fecit, ut notat *Chryſ.*

℣. 12. *Docere autem mulieri non permitto, neque dominari in virum: ſed eſſe in ſilentio.*

Vetat eas in Eccleſia, ſive publicâ concione *docere* viros, namque docere eſt authoritatem adversùs virum uſurpare; liberos domi poſſunt docere. Alii meliùs putant, generatim hìc ut 1. *Cor.* 14. prohiberi, ne mulieres in Eccle-

ſia loquantur, multò minùs doceant ſive viros ſive feminas. Tria feminis quæ eis competunt imperat, ſilere, diſcere, ſubeſſe; totidem quæ eis minùs competunt, excludit, loqui, docere, præeſſe, ùt notat *Eſpen.*

℣. 13. *Adam enim primus formatus eſt: deindè Heva.*

Viro authoritatem in mulierem competere, non contrà; probat ex ordine creationis. Nam vir prior à Deo formatus fuit, *Gen.* 2. & mulier propter virum, 1. *Cor.* 11. ℣. 9.

℣. 14. *Et Adam non eſt ſeductus: mulier autem ſeducta in prævaricatione fuit.*

Adam non eſt ſeductus; hoc eſt, in Scriptura non legitur *ſeductus*; *mulier autem ſeducta in prævaricatione fuit*, id eſt, prævaricata eſt; mulier enim conqueritur Deo ſe à ſerpente ſeductam eſſe, vir autem nihil tale; ſed dicit, *mulier quam dediſti mihi ſociam, dedit mihi de ligno, & comedi*: *Gen.* 3. Ex quo alterum pro viri primatu argumentum deſumit Apoſtolus. Semel, inquiunt Græci, *ſeducta mulier* docuit Adam lignum pulchrum eſſe viſu & ſuave guſtu; ſemel tantùm docuit, & ſtatim omnia pervertit: ideò docere mulieri non permittitur, ait *Gaig.*; facilè enim ſeduci ac decipi ſignum eſt levitatis animi & infirmitatis judicii. Porrò difficultatem habet hic locus, quomodo dicat *Paulus*, Adam non fuiſſe ſeductum: cùm ex ipſa Scriptura prorsùs appareat, non Hevam ſolam, ſed & virum credidiſſe mendacio ſerpentis, *Gen.* c. 3 ℣. 4., 5. & 22. Accedit Patrum authoritas, qui pænè omnes tradunt, Adamum verbis ſerpentis deceptum fuiſſe. Hinc multæ ortæ ſunt hujus loci interpretationes; 1° Adam non prior ſeductus, ſed mulier: 2° Adam non eſt ſeductus

ex colloquio ſerpentis ſicut mulier, ſed ſeductus fuit à muliere: 3. Adam non fuit ſeductus in *prævaricationem*, id eſt, non ita ſeductus, ut mulieri prævaricationis author eſſet; quomodo mulier ſeducta, viro fuit author prævaricandi: 4. Adam non peccavit ſeductus, mulier autem peccavit ſeducta; hoc eſt, viro non fuit perſuaſum, Deum non præcepiſſe ne comederet de ligno, mulieri autem id perſuaſum fuit à ſerpente; ùt ad quam notitia præcepti non niſi per virum perveniſſet. 5. Propriè & formaliter loquendo Adam non fuit deceptus, ſed mulier: nam propriè nemo decipitur niſi à decipiente, id eſt, ab eo qui propriè & formaliter decipit, quod non facit niſi qui, fallendi animo falſum ei perſuadet: hoc modo ſerpens mulierem decepit, mulier autem etſi falſum viro perſuaſit, hoc fecit decepta non decipiens, quia non fecit animo fallendi, putabat enim verum eſſe quod ſuadebat, ita poſt *Chryſoſt.* *Eſtius*, qui ultimam interpretationem ùt ſimpliciſſimam, Geneſi conſentaneam, & ſcopo Apoſtoli maximè accommodatam amplectitur; reliquis ob varias rationes rejectis.

℣. 15. *Salvabitur autem per filiorum generationem, ſi permanſerit in fide, & dilectione, & ſanctificatione cum ſobrietate:*

Quamvis, inquit, mulier non poſſit docere, non tamen ei deeſt quod domi doceat & agat; *Salvabitur* enim *per filiorum generationem* quæ hìc non tam genitura ac liberorum geſtatio *Chryſoſtomo* videtur intelligenda, quàm educatio (ùt c. 5. ℣. 10.) & ea non quælibet, ſed *ſi in fide*, & *dilectione* fraterna, & *ſanctificatione*, id eſt, munditia, ùt 1. *Theſ.* 4. ℣. 3.; *cum ſobrietate* ſeu caſtitate & pudicitia, ùt *ſta-*

prâ perſeveraverit. Pro eo quod interpres habet, *ſi permanſerit*, Græci legunt de filiis *ſi permanſerint*; vel numero mutato, ſi ipſæ mulieres *permanſerint*, vim habens collectivi nomen mulieris; vel ſi vir & mulier *permanſerint in fide*, &c. ita *Cajet.*

CAPUT III.

Epiſcopi, Diaconi, & Eccleſiæ miniſtræ mulieres quales eſſe debeant.

℣. 1 *Fidelis ſermo: ſi quis Epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat.*

Fidelis ſermo, id eſt, indubia res eſt; quâ præfatiunculâ velut elogio rei de qua dicturus eſt, attentum reddit lectorem, ùt *Apoc.* 22. ℣. 6. Dicit *Epiſcopatum* eſſe *Opus* non dignitatem, laborem non delicias, *opus* per quod in humilitate creſcat, ne intumeſcat faſtigio. *Epiſcopatus* quid ſit noluit exponere, quia nomen eſt operis non honoris, ait *Anſel.* Superintendentia, non eminentia otioſa. Quamvis veriſſimum ſit, Epiſcopatum munus eſſe & dignitate & poteſtate in Eccleſia clariſſimum. Apparet autem fuiſſe quoſdam eo tempore qui Epiſcopatum cupidè appeterent; hos Apoſtolus hoc loco, nec laudans nec reprehendens, docet qualem oporteat Epiſcopum eſſe, ut Timotheus bonum faciat delectum, & ne quis indignus ſeſe ingerat, ùt probat *Eſp*-

℣. 2. *Oportet ergò Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe, unius uxoris virum, ſobrium, prudentem, ornatum, pudicum, hoſpitalem, doctorem,*

Irreprehenſibilem, pro quo *in Ep. ad Titum* dicit, *ſinè crimine*, id eſt, talem quem nemo jure poſſit reprehendere, de quo non ſit juſta querela, qui ſit bonæ & integræ famæ; *unius uxoris virum*, non hic *Paulus* adigit ad jugum matrimonii Epiſcopos & Sacerdotes, ſed ut inquit *Chryſ.*, & *Amb.*, ne aſſumatur bigamus ſeu qui alteram mortuæ ſuperinduxerit; quòd illud incontinentiæ ſuſpicione non careat; quòd ſi commodum videatur è ſeculi hominibus eligere, aſſumatur qui familiam benè regere novit. Olim namque uxoratos aliquos aſſumptos legimus, ſicut de divo Germano Antiſſiod. fertur. Vult tamen *Hieron*. ſi aſſumantur uxorati, hos poſtmodùm abſtinere uxoribus: neque enim, ut omnes teſtantur Græci, unquam licuit poſt acceptum Sacerdotium uxores ducere. Quia Chriſtus unicam ſibi ſponſam copulavit per incarnationis myſterium; ideò potiſſimùm arceantur bigami ab Epiſcopatu & à ſacris ordinibus, ex *Aug. lib. de bono conjug. c.* 18. & *Amb. lib.* 1. *off. cap.* 50. Plura habet *Eſtius* contra hæreticos in hæc verba, *unius uxoris virum*, quæ notari & relegi merentur. *Sobrium* pro quo aliqui verterunt *vigilantem*, quam ſignificationem etiam interdùm habet vox græca, & ſecundùm utramque Epiſcopis optimè quadrat; oportet enim eos *ſobrios* eſſe ne in crapula graventur corda eorum, & *vigilantes*, ut promptos habeant ſenſus atque in officium ſemper intentos. Eâdem voce græcâ uſus eſt *B. Petrus* 1. *Ep. c.* 5., ubi nos legimus, *Sobrii eſtote*. *Prudentem*, ut excludantur illi qui

ſub nomine ſimplicitatis excuſent ſtultitiam Sacerdotum: niſi enim cerebrum ſanum fuerit omnia membra in vitio erunt, ait *Anſel. Ornatum* bonis operibus & honeſtis moribus, ut in his ſapiens deprehendatur in vultu, inceſſu, ſermone ac toto corpore benè compoſitus. *Pudicum*, id eſt, verecundum vel caſtum, ne impudens ſit vel caſtitatem violet. *Hoſpitalem*, non ut menſam inſtruat & expoſitam habeat divitibus ac nobilibus, ſed ut ſervos Dei de via adventantes ac refocillatione egentes, eos præſertim qui ſpiritualia ſeminant, hoſpitio excipiat. *Doctorem*, qui habet gratiam docendi ut etiam promptus ſit & paratus ad docendum; nihil enim prodeſt virtutum conſcientiâ frui, niſi & creditum ſibi populum poſſit inſtruere, & eos qui contradicunt arguere; innocens enim abſque ſermone converſatio quantùm exemplo prodeſt, tantùm ſilentio nocet, ait *Anſel.* Qui *docibilem* legunt, exponunt eum qui ad diſcendi patientiam lenis & mitis eſt, ùt *Cypr. ad Pompeium.*

℣. 3. *Non vinolentum, non percuſſorem, ſed modeſtum: non litigioſum, non cupidum, ſed*

Non multo vino deditum, ùt ad *Titum* c. 1. ℣. 7.; quod Græci quamvis minùs propriè, interpretantur *non convitiatorem* vel *non debacchantem* ad exemplum eorum qui vino pleni ſunt. *Non percuſſorem*, quod rursùs Græci non de eo qui faciles manus habet ad verberandum, ſed de eo intelligi volunt qui linguâ & moribus acerbus eſt, dicuntque prohiberi ne Epiſcopus verbo aut exemplo nimis ſeverè objurget, vel feriat conſcientias infirmorum, ſed *modeſtè*, id eſt, humanè agat; *non lites* & jurgia concitet, ùt *Jac.* 4. ℣. 1.; non ſit auri *cupidus*; lites enim ex cupiditate oriuntur, ait *Hier.*

℣. 4. Suæ domui benè præpoſitum: filios habentem ſubditos cum omni caſtitate.

Qui ſuæ familiæ benè præſit, domeſticos benè regat: & ſi liberos habet, eos habeat dicto audientes, & quos morum honeſtas, & præcipuè caſtitas commendet, ùt ad *Tit.* 1. ℣. 6.

℣. 5. Si quis autem domui ſuæ præeſſe neſcit, quomodo Eccleſiæ Dei diligentiam habebit?

Nam faciliùs eſt domum ſeu familiam quæ parva eſt regere, quàm Eccleſiam, quæ multò major eſt, & majori prudentiâ eſt regenda.

℣. 6. Non neophytum: ne in ſuperbiam elatus, in judicium incidat diaboli.

Non neophytum, nuper natum, aut plantatum, ſive recens Chriſto inſitum per baptiſmum. Multæ rationes hujus præcepti adferri poſſunt; quia non ſolidè doctus ſit myſteriorum, quia conſtantia ejus nondùm probata, quia authoritate deſtituitur, & præcipuè juxta Apoſtolum quia periculum eſt neophyto in Epiſcopum aſſumpto, ne novo honore, eoque apud Chriſtianos primo, turgidus ob ſuperbiam incidat in eandem damnationis pœnam cum diabolo, & detrudatur in gehennam, ſpoliatus talento; ex *Chryſ.* & *Hieron.*

℣. 7. Oportet autem illum & teſtimonium habere bonum ab iis qui foris ſunt, ut non in opprobrium incidat, & in laqueum diaboli.

Qui irreprehenſibilis eſt, & non ſolùm à domeſticis, ſed etiam ab alienis conſono ore laudatur. Alieni ab Eccleſia ſunt Judæi, Gentiles & hæretici. Talis ergo ſit Pontifex Chriſti,

ut ne hi *qui foris ſunt*, religioni vel vitæ ejus detrahere audeant, ne, ſi reprehenſibilis fuerit, exprobrentur illi vitia ſua, & ita contemptus *incidat in laqueum diaboli*, odio habens illos à quibus ſe contemni viderit; vel potiùs ne contemptus & videns detectam eſſe vitæ ſuæ anteactæ turpitudinem deſpondeat animum & ad vomitum redeat per apoſtaſiam, ita *Thom.*

℣. 8. *Diaconos ſimiliter pudicos, non bilingues, non multo vino deditos, non turpe lucrum ſectantes :*

Prætermittit presbyteros, nam quæ dixit de Epiſcopis hæc etiam aptat Presbyteris, ſi quidem & ipſi ſimiliter ſunt Sacerdotes, & docendi munus ſibi concreditum habent, ait *Oecum.* Non quòd inter Epiſcopum & Presbyterum nihil interſit, ùt cum Aërio fingunt Lutherani; ſed vel quia Epiſcopi nomen tempore Apoſtolorum fuit commune ceteris Presbyteris, ùt *Act.* 20. ℣. 17. & 28., *Philip.* 1. ℣. 1., *Tit.* 1. ℣. 5. ita *Anſel.* & *Th.*; vel quia ob paucitatem fidelium, & ob raritatem miniſtrorum Epiſcopus cum Diaconis eccleſiaſtica miniſteria complere poterat, ideò omiſit Presbyteros, ex *Epiph. hæreſi* 75, Vel quia quæ de Epiſcopis dixit Apoſtolus, ea etiam presbyteris congruunt; quippè & presbyteris cura Eccleſiæ permiſſa: ſolâ namquè ordinatione ſuperiores illi ſunt. Hæc *S. Chryſ. ordinationem* intelligens ordinandi poteſtatem, ait *Eſtius*; qui tamen probabiliorem putat rationem ex *Epiphanio* allegatam. *Diaconi* Epiſcopo ſive Presbytero ad altare miniſtrabant; eleëmoſynas à fidelibus oblatas ſuſcipiebant: Hos vult eſſe itidem honeſtos, graves, compoſitos, caſtos, non duplices in ſermone, non vinolentos, non turpis lucri cupidos, *ad Tit.* 1. ℣. 7. & 1. *Petr.* 5. ℣. 2.; ùt ſi quis ex re ſordida quæſtum faciat.

℣. 9. *Habentes myſterium fidei in conſcientia pura.*

In conſcientia pura à ſordibus vitiorum. *Myſterium fidei* interpretantur id quod de fide eſt aliis occultum, id eſt, non tantùm habeant fidem quam habere debent omnes Chriſtiani, ex *Hier.*; verùm etiam teneant fidei myſteria, id eſt, arcana aliis incognita; vel ſaltem pleniorem intelligentiam. Vel *myſterium fidei*, intellige ipſum ſanguinem Domini quem olim Diaconi porrigebant fidelibus, ex *Cyp. ſer. de lapſ.*, *Amb. l.* 1. *off. c.* 41. Nobis, inquit *Eſtius*, ſimplicior & germanior ſenſus videtur, quem communiter Græci & Latini veteres tradunt: qui hujuſmodi eſt: *Habentes* fidem myſteriorum Chriſtianæ religionis, hoc eſt, fidem Chriſtianam cum *pura conſcientia*, cum charitate, ùt c. 1. ℣. 19.

℣. 10. *Et hi autem probentur primùm: & ſic miniſtrent, nullum crimen habentes.*

Quemadmodùm dixi, ut Epiſcopi non ſint neophyti, ſive novitii, ita Diaconi *priùs probentur*, quàm ad hoc miniſterium aſſumantur; probationem intellige conſtantis fidei & vitæ inculpatæ. *Et ſic miniſtrent*; non quòd ad officium Diaconi exercendum nihil ampliùs requiratur: opus eſt enim ordinatione ſeu impoſitione manûs per quam gratiam ſpiritualem conſequantur, ait *Theod.* ùt *Act.* 6. ℣. 6.

℣. 11. *Mulieres ſimiliter pudicas, non detrahentes, ſobrias, fideles in omnibus.*

Mulieres ſimiliter oportet eſſe graves, modeſtas, caſtas; loquitur de mulieribus quæ miniſterii dignitate præditæ erant, & Diaconæ ſeu Diaconiſſæ vocabantur; ex *Chryſ.* Earum

officia deſcribit *Epiph. hær.* 79. Quæ quia ſibi partem aliquam in clero vindicare volebant ob benedictionem Epiſcopalem, abrogatæ fuerunt. Harum aliquas nominat *Rom.* 16. ℣. 1., 2., 6., & 12., & *Philip.* 4. ℣. 2. Vel meliùs de uxoribus prædictorum Epiſcoporum & Diaconorum hæc pars accipitur, de quibus ùt de filiis præcipit. Nam ſicut ab Epiſcopatu arcendus qui propter filios malè audit, ita & qui propter uxorem, ſi vel impudica vel obſtetrix vel non probatæ fidei vel vinoſa ſit, ſic *S. Thom. Cajet.* *Non detrahentes*, græcè, *non calumniatrices*, pro quo Ambroſianus legit, non ſtudentes diſcordiæ. *Sobrias* quod *Theop.* & *Oecum* accipiunt pro vigilantes: ſed magis propriè ſignificat, ab omni ebrietate immunes: *fidelitatem* in omni negotio ſibi commiſſo ſervantes; ex *Eſtio*.

℣. 12. *Diaconi ſint unius uxoris viri, qui filiis ſuis benè præſint, & ſuis domibus.*

Quem dicat, *unius uxoris virum*, expoſitum eſt ℣. 2. ex *Amb.* & *Chryſ.*; eadem etiam ratio præcepti eſt, quæ in Epiſcopo, moralis quidem, quia Diaconum oportet eſſe extra ſuſpicionem incontinentiæ; myſtica, quia & in Diacono ſacram ſignificationem ſpectat Apoſtolus. Nam & Chriſtus διάκονος, id eſt, miniſter Dei Patris fuit, *Rom.* 15. ℣. 8.; atque ea in re Diaconus Chriſtum repræſentat, qui pro unica ſponſa Eccleſia ſervivit Patri; ex *Ignat. Epiſt. ad Tral.*

℣. 13. *Qui enim benè miniſtraverint, gradum bonum ſibi acquirent, & multam fiduciam in fide, quæ eſt in Chriſto Jeſu.*

Qui in inferioribus ſuis bonum dederint teſtimonium & experimentum, facilè ad promotionem venient & ad alteriorem *gradum*, nem-

pè Presbyterii vel etiam Epiſcopatûs; ita Græci. *Fiduciam* interpretatur *Ambroſ.* impetrandi à Deo poſtulata per fidem in Chriſtum, de qua 1. *Joan.* c. 3. ℣. 21. & c. 5. ℣. 14. Alii de fiducia ſeu libertate quâ quis utitur erga homines, nimirùm docendo, admonendo, corripiendo, idque ſecundùm doctrinam fidei quæ eſt in Chriſto, ex *Hier.* quæ *Act.* 6. & 7. in Stephano commendatur. Hujuſmodi fiduciam gignit inculpata vita & morum integritas. Cetera quæ in Epiſcopi & Diaconorum ordinatione & officio ſecretiora ſunt & ſolâ traditione diſcenda erant, tacere voluit.

℣. 14. *Hæc tibi ſcribo, ſperans me ad te venire citò.*

Scilicet Epheſum ubi Timotheus erat: non apparet rediiſſe, Spiritu ſancto ſic ordinante, niſi quatenùs poſteà ipſum cum Presbyteris Epheſinæ Eccleſiæ Miletum ad ſe evocavit, *Act.* 20. ideò dixit, *ſperans*, tanquam incertus. Nec enim Prophetæ vel Apoſtoli omnia præſciebant.

℣. 15. *Si autem tardavero, ut ſcias quomodò oporteat te in domo Dei converſari, quæ eſt Eccleſia Dei vivi, columna & firmamentum veritatis.*

Pronomen *te* nec in græco, nec in Syriaco legitur; quo omiſſo Apoſtoli ſenſus abſolutus eſt hujuſmodi. Hæc de ſingulorum officiis tibi ſcribo non quaſi non ſim ad vos rediturus; imò ſpes eſt fore ut brevì ad te revertar; ſed ſi tardiùs venero aut fortè omninò non venero, ut interim noris quemadmodùm verſari *oporteat in domo Dei*: id eſt, quales eſſe & quomodo vivere debeant in domo Dei qui in ejus miniſterio à te conſtituentur ſcilicet Epiſcopi & Diaconi. Si pronomen *te* legatur, ſermo refertur ad Timotheum; & ſenſus eſt: ut ſcias quomodo Eccleſiam ordines;

quæ eſt *domus Dei* quia in ea colitur, eamque per gratiam ſuam inhabitat: *vivi, ut diſtinguat* à falſis diis & quòd in illam à Deo peculiariter & propriè vita influat: quæ vita eſt, Deum cognoſcere & amare. Eccleſiam viſibilem eſſe, oſtendit hic locus contra hæreticos: & ſicut *columna* ſuppoſita ſuſtentat, firmat, & fulcit ædificium ne corruat, ita Eccleſia veritatem, hoc eſt, doctrinam Chriſtianæ fidei ſibi concreditam ſuſtentat & conſervat ne corrumpatur aut pereat, ut ſi quis veritatem quærat, non alibi certiùs quàm in Eccleſia quæ firmiſſima baſis & certiſſima cuſtos eſt veritatis, eam ſit reperturus, ita *Beda in Proverb.* 9. poſt *Hier.* Tranſiturus, inquit *Eſtius*, à doctrina morum ad inſtitutionem fidei Apoſtolus duo velut fundamenta proponit: alterum de authoritate Eccleſiæ, de qua in hoc verſu; alterum de myſterio Incarnationis, de quo in verſu ſequenti.

℣. 16. *Et manifeſtè magnum eſt pietatis Sacramentum, quod manifeſtatum eſt in carne, juſtificatum eſt in ſpiritu, apparuit Angelis, prædicatum eſt Gentibus, creditum eſt in mundo, aſſumptum eſt in gloria.*

Cujus autem *Veritatis* Eccleſia columna ſit, Apoſtolus hic explicat, ſcilicet illius, quæ eſt de myſterio Dominicæ incarnationis; non quòd hoc ſolùm doceat Eccleſia, ſed quòd in eo præcipuè conſiſtat Religio Chriſtiana. Veritatem hanc vocat myſterium, id eſt, arcanum (pro quo vulgata legit *Sacramentum*) non quia jam latebat; teſtatur enim *Paulus* illud *manifeſtè* ſeu omnium confeſſione *magnum*, & *manifeſtatum* eſſe & *creditum in mundo*; ſed quia à ſeculis abſconditum fuerat, & aliis retrò generationibus incognitum, *Eph.* 3. ℣. 5.; quam-

quam & nobis quibus manifeſtatum eſt, adhuc *Myſterium* ſeu *Sacramentum* dici poſſit, tum quia non potuit nobis innoteſcere niſi per revelationem Spiritûs Sancti, 1. *Cor.* 2. ℣. 10., tum quia hoc ipſum quod cognoſcimus, magis admiramur quàm intelligimus. *Magnum* verò dicitur, quia de re magna: *pietatis* autem myſterium, quia vera pietas & religio quâ Deus colitur in hujus myſterii fide potiſſimùm fundata eſt; vel quia Deus declaravit pium ac benignum affectum ergà homines; ſed repugnat vox græca εὐσέβεια, quâ pietas hominis colentis Deum, nunquam benignitas Dei in homines ſignificatur. *Quod manifeſtatum eſt*, pro quo Græci conſtanter legunt, *Deus manifeſtatus eſt in carne:* conſentit & Syriaca verſio. Verumtamen tam Latini quàm Græci hæc omnia de Chriſto interpretantur: qui cùm homines anteà lateret in divinitate, per *carnis* aſſumptionem illis innotuit. *Juſtificatus eſt in ſpiritu*, quod indubiè ſecundùm humanitatem debet intelligi, ſecundùm quam juſtificatus dicitur, quomodò & ſanctificatus, *Joan.* 10. ℣. 36.; *juſtificatus* eſt autem *ſpiritu*, id eſt, per Spiritum Sanctum, & plenitudinem gratiæ accepit, non per legem, ita quidam Græci: vel *juſtificatus eſt*, id eſt, juſtus apparuit, nam licèt homo vorax audiret & vini potator & dæmonium habens ab ipſis Phariſæis, agnitus tamen juſtus ab omnibus; ex *Chryſ.*; vel rectiùs *juſtificatus*, id eſt, declaratus eſt per ſpiritum *juſtus* & verax in operibus & doctrina, & ob omnibus Judæorum calumniis abſolutus. Nam in Scriptura frequens eſt *juſtificari* pro eo quod eſt juſtum declarari & in judicio abſolvi. Ita Chriſtus *juſtificatus eſt ſpiritu* multipliciter; ùt per teſtimonia divinitùs exhibita in ejus nativitate & baptiſmo & aliàs; ſed præcipuè per mira-

cula, juxtà id quod dicitur *Matth.* 12. ℣. 28. & *Pſal.* 50. ℣. 6. Sed potiſſimùm huc facit quod legitur *Matth.* 11. ℣. 19. & *Luc.* 7. ℣. 35. Hoc igitur obſcuriùs à *Paulo* hìc dictum eſt, quod *Petrus* pleniùs & clariùs expreſſit, *Act.* 2. ℣. 22. Hancque Chriſti juſtificationem in ejus perſona jam olim prædixerat *Iſaïas.* 50. ℣. 8. *Apparuit Angelis* anteà myſterium Incarnationis ignorantibus; nam Deus homo ab Angelis viſus quem anteà non viderant: ita ut etiam his competat quod dicitur, *Luc.* 10. ℣. 23.; & *Epheſ.* 3. ℣. 10.; atque hæc ſunt illa noſtræ religionis arcana in quæ deſiderant Angeli proſpicere, 1. *Pet.* 1. ℣. 12. *Prædicatus eſt Gentibus & creditus mundo* & *aſſumptus in gloria* in die Aſſumptionis, q. d. non inaniter mundus in Chriſtum ſibi prædicatum credidit; quandoquidem ille jam aſſumptus eſt cum ea gloria, ut ſedeat ad dexteram Patris, ùt *Marci ult.* ℣. 19.; & ſimul innuit eos qui in Chriſtum crediderunt ad ejuſdem gloriæ participationem vocari, ùt *Eph.* 2. ℣. 6. Græci ùt jam dictum eſt ſuprà, pro *quod* legunt & exponunt *Deus*, ut hoc myſterium appoſitivè intelligatur Chriſtus Deus manifeſtatus, juſtificatus, viſus, prædicatus, creditus, aſſumptus, quam expoſitionem etiam Latini ſequuntur: ex *Gaig.* & *Eſpencæo.*

CAPUT IV.

Hæreſes exorituras prædicit, ad pietatem hortatur Timotheum, & ne gratiam acceptam negligat.

℣. 1. *Spiritus autem manifeſtè dicit, quia in noviſſimis temporibus diſcedent quidam à fide, attendentes ſpiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum:*

ECcleſia quidem eſt columna & firmamentum veritatis, ſed tamen *Spiritus ſanctus* futurorum præſcius *manifeſtè dicit* ſeu annuntiat ſive per me ſive per alios, regnante Antichriſto, vel anteà exorituras hæreſes Judaiſmo aliqua ex parte ſimiles. *In noviſſimis*, pro qua græcè non eſt ἐσχάτοις, quâ voce alibi ſæpè Scriptura utitur ad deſignandum ultimam mundi ætatem, ab Apoſtolis uſque ad diem ultimi judicii: ſed græcè eſt ὑστέροις, *poſterioribus* ſeu *ſubſequentibus temporibus*. q. d. Tam brevi hæc futura ſpiritus prædicit, ut jam nunc tibi *Timothee* adverſùs ea ſit vigilandum, ùt *Act.* 20. ℣. 28. & 29., & 1. *Joan.* 2. ℣. 18. Undè patet loqui Apoſtolum de tempore jam inſtante: in quo ſenſu vox *Noviſſimum* etiam non rarò accipitur, ùt *Matth* 27. ℣. 64., *Luc.* 14. ℣. 9., 1. *Cor.* 15. ℣. 45., *Gen.* 40. ℣. 49. & *Dan.* 2. ℣. 28. *Spiritibus erroris*, græcè, *impoſtoribus*, quos *Chryſ.* interpretatur ipſos homines, nimirùm

falſos Doctores & Prophetas, ùt 1. *Joan.* 4. ℣. 2. & 3. Alii dæmones intelligunt, ùt 3. *Reg. ult.* quia omnis doctrina hæretica eſt ex diabolo, ex *Chryſ.*

℣. 2 *In hypocriſi loquentium mendacium, & cauteriatam habentium ſuam conſcientiam,*

In hypocriſi, id eſt, datâ operâ in ſpeciem piâ, quâ ſanctitatem *mentientes*, doctrinam ſuam hominibus commendent, de qua *Matth.* 7. ℣. 15. & 2. *ad Tim.* c. 3. ℣. 5. Hos autem *loquentes mendacium* dicit, cauterio notatam habere conſcientiam, ſumptâ metaphorâ à maleficis qui ferro candente notari ſolent, ſtigmatis cuti impreſſis; ſic Carpocraſiani cauterio ſuos diſcipulos notabant in ſuperiori parte auriculæ; ex *Iren. l.* 1. *cap.* 24. & *Epiph.*

℣. 3. *Probibentium nubere, abſtinere à cibis, quos Deus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus, & iis, qui cognoverunt veritatem.*

Non facit hic locus ùt putant noſtræ tempeſtatis hæretici contra Eccleſiaſticas ſanctiones, per quas Sacerdotibus & monaſticam vitam profeſſis matrimonium interdicitur, & jejunantibus certis cibis abſtinere indicitur, ſed ùt teſtantur *Chryſ.* & *Theoph.*, *Aug.* & *Hier. lib.* 1. *cont. Jovin.* facit hic locus adversùs duas hæreſes à Marcioniſtis, Manichæis, & Tatiano aſſertas, qui non ſolùm nuptias, ſed cibos quoque *quos Deus creavit* ad utendum, damnabant. Hoc autem loco, *abſtinere à cibis*, non eſt intelligendum, quòd illi vetarent à cibis abſtinentiam, ſed potiùs quòd vetarent carnium uſum; & ideò Græci explicant hunc locum *probibentium abſtinere à cibis*, id eſt, ut à cibis abſtineant,

quomodo qui dicit, cave, abſtineas à carnibus, non abſtinentiam inhibet ſed præcipit; vel rectiùs ſupplendum eſt verbum oppoſitum; ut ſenſus ſit, *prohibentium* nubere & *præcipientium* abſtinere à cibis. Quod faciebant vel ritu judaico; vel quia nuptias & cibos ſuaptè naturâ malos & immundos reputabant: contra hoc ultimum hìc præcipuè agit Apoſtolus, oſtendens ex eo quòd omnis creatura bona ſit; nullum cibum ùt malum rejiciendum eſſe: ùt & alibi inculcat, *Rom.* 14. ℣. 14. & 20., *ad Tit*, c. 1. ℣. 15. Hunc *Pauli* ſcopum eſſe, docet *Aug. tract.* 9. *in Joan.*, & generatim omnes commentatores tam Græci quàm Latini. Quòd autem fuerint ipſis Apoſtolorum temporibus, qui cibos quoſdam & nuptias abominarentur, intelligimus ex *S. Ignat. ad Philadelphios*, & ex *Epiph. hæreſ.* 28. Patet igitur ex his omnibus quàm perversè Novatores hunc locum contrà cælibatum & quorumdam ciborum certis diebus præſcriptam abſtinentiam interpretentur. Nam aliud eſt nuptias damnare, & cibos quoſdam ùt ſuaptè naturâ malos & immundos refugere, quàm ùt dæmoniorum doctrinam *Paulus* meritò inſectatur: aliud abſtinere à nuptiis ſtudio perfectioris continentiæ, aut à cibis quibuſdam ſtudio temperantiæ aut caſtigandæ carnis. Quod utrumque ſive ſimpliciter ſive ex voto fiat, rectè & ſanctè fieri, nemo niſi hæreticus negaverit. Nam dicens, *Quos Deus creavit*, ſignificat nullos cibos per ſe malos, aut immundos eſſe; cùm ſint à Deo creati *ad percipiendum*, id eſt, ad legitimum uſum *cum gratiarum actione* Deo creatori. Dixit, *fidelibus*; quia ceteri partim in vanis ac ſuperſtitioſis ſuis legibus ſemetipſos privant creaturis Dei, ùt hæretici & inter Philoſophos Pytagorici, partim non eo modo quo debent, utuntur, id eſt, cum omni ſobrietate & gratiarum actione; ex *Chryſ*

hominibus commendent, de qua *Matth*
15. & 2. *ad Tim.* c. 3. ℣. 5. Hos autem *l*
tes mendacium dicit, cauterio notatam t
conſcientiam, ſumptâ metaphorâ à malefi
ferro candente notari ſolent, ſtigmatis c
preſſis; ſic Carpocraſiani cauterio ſuos di
los notabant in ſuperiori parte auricul
Iren. l. 1. *cap.* 24. *&* *Epiph.*

℣. 3. *Prohibentium nubere, abſt*
à cibis, quos Deus creavit ad perc
dum cum gratiarum actione fidel
& iis, qui cognoverunt veritatem.

Non facit hic locus ùt putant noſtræ t
ſtatis hæretici contra Eccleſiaſticas ſanct
per quas Sacerdotibus & monaſticam
profeſſis matrimonium interdicitur, &
nantibus certis cibis abſtinere indicitur,
teſtantur *Chryſ.* & *Theoph.*, *Aug.* & *Hier.*
cont. Jovin. facit hic locus adversùs duas
ſes à Marcioniſtis, Manichæis, & Tatia
ſertas, qui non ſolùm nuptias, ſed cibos
que *quos D us creavit* ad utendum, damn

jungitur ne Diabolus per ea noceat, ait *Anſelm. Verbum Dei* interpretantur verba ſacra è pſalmis aut aliundè accepta quæ recitari ſolent ante ſumptionem cibi, *Orationem* verò ipſam divini nominis invocationem. Alii quod magìs probo, inquit *Eſtius*, verbum Dei creditum, id eſt, fidem intelligunt, quâ in Chriſtum creditur & diabolo reſiſtitur ùt 1. *Pet*. 5. ℣. 9. Nam *verbum Dei* pro fide quâ illud ſuſcipitur, frequens eſt in Scriptura: ùt dictum eſt ad *Eph*. 5. ℣. 26. *Et orationem* ſub qua intellige benedictionem, gratiarum actionem &c. Qua de re 1. *Cor*. 10. ℣. 16. Signum crucis imprime, gratias age, Deo gloriam refer, & protinùs omnis immunditia abſceſſit, ait *Chryſ*. Hinc manavit conſuetudo benedicendi menſam ante ſumptionem cibi, & tam antè quàm poſt gratias agendi; ex *Eſtio*.

℣. 6. *Hæc proponens fratribus, bonus eris miniſter Chriſti Jeſu enutritus verbis fidei, & bonæ doctrinæ, quam aſſecutus es.*

Hæc proponens, id eſt, de his ſi commonefeceris fideles; vel ſi hæc quæ dixi, tradideris, ſcilicet de magno pietatis Sacramento, de vitandis doctrinis dæmoniorum, & quòd omnis creatura Dei bona ſit, nihilque rejiciendum quod cum gratiarum actione percipitur, exhibebis te in officio tibi injuncto *bonum* ac fidelem *miniſtrum Chriſto Jeſu. Enutritus* pro quo græcè eſt participium medium, ut etiam activè verti poſſit, atque hic ſenſus ſit; oſtendes te bonum miniſtrum; quippè qui fratres tanquam filios nutrias ac inſtituas doctrinâ rectæ fidei. *Chryſ*. & *Theoph*. ſic accipiunt, ut Timotheus jubeatur, ſemper animo verſando, & velut ruminando doctrinam acceptam, magìs & ma-

℣. 4. *Quia omnis creatura Dei bona eſt & nihil rejiciendum quod cum gratiarum actione percipitur:*

Hæc pars juxta Græcos cohæret cum illa, *qui cognoverunt veritatem*; hanc nimirùm quòd *omnis creatura Dei bona eſt*, ùt *Gen.* 1. ℣. 31. Hanc veritatem ignorant qui cibos aliquos naturâ ſeu creatione malos eſſe docent: *& nihil rejiciendum* quaſi naturaliter malum, quod *percipi* ſolet *cum gratiarum actione*; quia quamvis ſumentis ingratitudo cibum non coinquinet, ipſa tamen ſumptio per illam inficitur & immunda redditur: aut certè, quia gratiarum actio proteſtatio quædam eſt, cibum qui percipitur, eſſe datum à Deo ac proindè bonum & non rejiciendum, ſic ut ſumenti cedat ad ſalutem animæ, nedum corporis, ait *Eſtius*.

℣. 5. *Sanctificatur enim per verbum Dei, & orationem.*

Dicet quis, ſi *ſanctificatur*, igitur immundum erat; nequaquam, nam omnia munda ſunt. Græci putant hìc latere conceſſionem Rhetoricam, q. d. demus quid eſſe immundum; habes antidotum in promptu, Sanctificationem *per verbum Dei & orationem*. Cui ſenſui obſtare videretur, quòd res per ſe mala ſanctificari nequeat: ita *Eſtius* cui magis placet, occupationem hìc intervenire; quâ Apoſtolus reſpondet, licèt primi hominis tranſgreſſione omnes venerimus in poteſtatem Diaboli, ſic ut etiam per ea quæ ad cibum & potum ſpectant, nocere homini poſſit, tamen indè nihil eſſe periculi *fidelibus & cum gratiarum actione percipientibus*, quoniam quod hi percipiunt, *per verbum Dei & orationem ſanctificatur*; ſicque poteſtati diaboli ſubtrahitur. *Sanctificatio* ad-

jungitur ne Diabolus per ea noceat, ait *Anſelm. Verbum Dei* interpretantur verba ſacra è pſalmis aut aliundè accepta quæ recitari ſolent ante ſumptionem cibi, *Orationem* verò ipſam divini nominis invocationem. Alii quod magis probo, inquit *Eſtius*, verbum Dei creditum, id eſt, fidem intelligunt, quâ in Chriſtum creditur & diabolo reſiſtitur ut 1. *Pet.* 5. ℣. 9. Nam *verbum Dei* pro fide quâ illud ſuſcipitur, frequens eſt in Scriptura: ùt dictum eſt ad *Eph.* 5. ℣. 26. *Et orationem* ſub qua intellige benedictionem, gratiarum actionem &c. Qua de re 1. *Cor.* 10. ℣. 16. Signum crucis imprime, gratias age, Deo gloriam refer, & protinùs omnis immunditia abſceſſit, ait *Chryſ.* Hinc manavit conſuetudo benedicendi menſam ante ſumptionem cibi, & tam antè quàm poſt gratias agendi; ex *Eſtio*.

℣. 6. *Hæc proponens fratribus, bonus eris miniſter Chriſti Jeſu enutritus verbis fidei, & bonæ doctrinæ, quam aſſecutus es.*

Hæc proponens, id eſt, de his ſi commonefeceris fideles; vel ſi hæc quæ dixi, tradideris, ſcilicet de magno pietatis Sacramento, de vitandis doctrinis dæmoniorum, & quòd omnis creatura Dei bona ſit, nihilque rejiciendum quod cum gratiarum actione percipitur, exhibebis te in officio tibi injuncto *bonum* ac fidelem *miniſtrum Chriſto Jeſu. Enutritus* pro quo græcè eſt participium medium, ut etiam activè verti poſſit, atque hic ſenſus ſit; oſtendes te bonum miniſtrum; quippè qui fratres tanquam filios nutrias ac imbuas doctrinâ rectæ fidei. *Chryſ.* & *Theoph.* ſic accipiunt, ut Timotheus jubeatur, ſemper animo verſando, & velut ruminando doctrinam acceptam, magis & ma-

tiones, nam hæ ſuo tempore utiles erant
autem aniles ſunt ac putridæ: vel de (
rum & hæreticorum nugis hæc dicit, ver
prophanæ ſunt & impiæ, ùt quæ de
Marte, Vulcano referunt, ita *Oecum.*; '
tiùs de Simone Mago qui longas texaba
las de Deo bono & malo, de rerum cre
de pugna Angelorum, &c. *Devita*, id
lia nec doceas alios, nec recipias, nec c
ſed mente ſis religioſus & erga Dei
devotus, ac fidei pietate ſincerus: ex
tione igitur opus eſt ſed ſpirituali, ait
Pietas vera eſt verax Dei cultus. *Aug. d*
lib. 4. *cap.* 31.

℣. 8. *Nam corporalis exercitati*
modicum utilis eſt: pietas aute
omnia utilis eſt, promiſſionem h
vitæ, quæ nunc eſt, & futuræ.

Hæretici maximè in hoc loco ſibi pl
nomine *corporalis exercitationis* intelli
actiones quaſcumque Religionis causâ
tas, ùt ſunt jejunia, vigiliæ, humicubat
quas vexationes inutiles, & puerilem diſci

deſt non proximo, vel ſecundùm *S. Thom.* quia jejunio curatur morbus peccati carnalis non ſpiritualis. Verùm locum hunc non poſſe de jejunio accipi, ita probant *Chryſ.* & *Theoph.*; quia jejunium non eſt *corporalis exercitatio*, ſed ſpiritualis; nam non carnem nutrit, ſed macerat: neque Chriſtus rem ad modicum utilem fecit, aut faciendam ſuo exemplo docuit. Vim hujus probationis demonſtrat vox græca γυμνασία, quâ utitur Apoſt. Alii laborem intelligunt corporalem, quo neceſſaria hujus vitæ comparantur, vel qui fit causâ ſanitatis: alii meliùs & conformiùs ad vocem græcam *exercitationem* athleticam, quæ fit curſu, luctâ, pugnis; nam ab ea ſæpè ſumit comparationem, ùt 1. *Cor.* 9. ℣. 24., *Gal.* 5. ℣. 7., *Phil.* 3. ℣. 14. & 2. *Tim.* 2. ℣ 5. & c. 4. ℣. 7. Hanc exercitationem ad modicum utilem meritò dicit; nam tantùm conducit ad corporis ſanitatem & robur: *Pietas autem ad omnia*, quæ nobis expetenda ſunt, ſive in hac ſive in futura vita, quia qui pietatis beneficia impendit pauperibus, & in præſenti dat ei Deus unde temporaliter vivat, & in futuro vitam ſempiternam, ita *Anſel.* Præſentis quidem vitæ promiſſiones ſunt *Lev.* 18. ℣. 5., *Deut.* 30. ℣. 19., *Pſal.* 33. ℣. 13. Vitæ verò *futuræ* promiſſiones paſſim leguntur in Scriptura Novi teſtamenti: quin & interdùm utriuſque vitæ promiſſiones conjunguntur, ùt *Matt.* c. 6. ℣. 33. & c. 19. ℣. 29. ex *Cypr. de dup. Martyr.* & *Iſpen.*

℣. 9. *Fidelis ſermo, & omni acceptione dignus.*

Hoc quod dixi pietatem ad omnia utilem eſſe, certum eſt & approbatione dignum, ſic *Bruno* & *Eſpencæus*.

℣. 10. *In hoc enim laboramus, & maledicimur, quia ſperamus in Deum vivum, qui eſt Salvator omnium hominum, maximè fidelium.*

In hoc, id eſt, ideò tot incommodis & adverſis non ſuccumbimus, quia vitam à Deo non modò præſentem accipimus, ſed etiam futuram expectamus; undè colligi vult ſermonem quem dixerat, fidelem eſſe; quæ collectio talis eſt, qualem Apoſt. 1. *ad Cor.* 15. ℣. 30. & *ſeq.* facit ad probandum reſurrectionem Mortuorum ex quotidianis mortis periculis quæ ſubibat. Quo argumento *Juſtinus philoſ.* perſuaſum ſe eſſe ſcribit *in Apolog.* ut Chriſtianus fieret. Eodem contra paganos utitur *Aug. l.* 22. *de civ. Dei. cap.* 6. Dicitur autem Deus *omnium hominum Salvator*, quia dat omnibus aliquam ſalutem, nam vita temporalis & multa ejus vitæ bona omnibus communia ſunt, nec aliundè profecta quàm à Deo authore: ſed *fidelium* in hac vita ſingulari quodam modo eſt Salvator quia laborantes adjuvat, ut ad ſalutem æternam perveniant, & quia ſalutem temporalem facit eis eſſe ſalutarem, id eſt, utilem & conducentem ad ſalutem æternam; & quia coöperantur omnia illis in bonum, tam adverſa quàm proſpera, ita *Chryſ.* & *Eſpencæus.*

℣. 11. *Præcipe hæc, & doce.*

Hæc quæ dixi de magno pietatis Sacramento, de vitandis hæreſibus, & ſana doctrina retinenda, deque pietate ad omnia utili, *præcipi ns doce* cum authoritate & fidelibus trade. Græci hìc diſtinguunt in rebus humanis, quædam quidem doctrinâ & inſtitutione indigere; quædam autem imperio, ùt furtum; Judaïcas item fabulas non tam diſciplinâ quàm magnâ authoritatis vi prohiberi debere; de rei autem

ſamiliaris in pauperes diſtributione, de cœlibatûs, aut virginitatis ſtatu cùm diſſerendum fuerit (apud eos qui nulli voto ſunt obnoxii) conſilio & exhortatione agendum eſſe, ùt notat *Eſpen.*

℣. 12. *Nemo adoleſcentiam tuam contemnat: ſed exemplum eſto fidelium in verbo, in converſatione, in charitate, in fide, in caſtitate.*

Sic age ut *nemo* te propter ætatem *contemnat*, ſive deſpiciat: eſt enim junior ætas obnoxia contemptui, juxtà illud Davidis, *Pſal.* 118 ℣. 114. *Adoleſcentulus ſum ego & contemptus.* Quod clarè patet ex ejus hiſtoria 1. *Reg.* 16. & 17. Poteſt autem præceptum hoc bifariàm accipi, uno modo: non ſinas te quamvis juvenis deſpici ab iis quibus præes, ſed utere authoritate & imperio, ùt *Tit.* 2. ℣. 15.; altero modo: ita graviter, caſtè, ſobriè, prudenter, te gere, ut nemo propter ætatem minoris te faciat; *ſed eſto exemplum in verbo, in converſatione*, id eſt, *eſto* tanquam viva imago ac regula bonæ vitæ, loquendo quæ præceptorem & Epiſcopum loqui oportet ad aliorum ædificationem, ùt *Pſal.* 111. ℣. 5., 1. *Pet.* 4. ℣. 11. *Chryſ. verbum* doctrinæ, quâ veritas docetur, intelligit, ùt 2. *Cor.* 6. ℣. 7. *In dilectione* non ficta quæ erga omnes eſt. Græci ſubjungunt *in ſpiritu*, eſt autem exemplum in Spiritu ſancto qui fervorem Spiritûs ſancti ac zelum Dei factis ſe habere declarat: *in fide* recta, qui indubitanter Deo credit & liberè confitetur; vel qui ex operibus fidem ſuam oſtendit: ùt *Jac.* 2. ℣. 18., *in caſtitate*, hoc eſt, puritate, virginitate, temperantiâ. Ex hoc loco non leve ſumitur argumentum pro cœlibatu Sacerdotum, præſertim Epiſcoporum. Præcipitur enim Timotheo, ut ſe formam & exemplar caſtitatis

exhibeat fidelibus, & benè beatéque vivendi, *Chryſ.*

℣. 13. *Dum venio, attende lectioni, exhortationi, & doctrinæ.*

Veriſimile erat quòd Timotheus tanquam *Paulo* orbatus eum optaret: bifariàm conſolatur, & promiſſione ſui adventûs, & conſolatione à Scripturis ſacris, ut ea diſcat quæ alios doceat. Hunc locum de gratia exhortationis interpretatur *Chryſ.*, ita ut Timotheus hìc moneatur attendere *exhortationi & doctrinæ* aliorum: *exhortationi* quidem quâ fideles aſſiduè adhortetur ad bonam & ſanctam converſationem, hæreſes vitandas &c. *Doctrinæ* verò quâ doceat ignorantes, quid credere, quid agere, quid fugere debeant.

℣. 14. *Noli negligere gratiam, quæ in te eſt, quæ data eſt tibi per prophetiam, cum impoſitione manuum presbyterii.*

Gratiam, id eſt, dotem quâ præditus es, quæ eſt doctrina, aut Epiſcopi munus; nam gratiæ Dei erat, quòd juvenis meruiſſet Paſtor fieri, ita *Oecum.* Alii rectiùs *Gratiam* generatim intelligunt eam, quæ ipſi data erat ad exequendum munus epiſcopale. *Quæ data eſt tibi per prophetiam*, quâ Spiritus S. teſtatus eſt te eſſe idoneum, & te ordinari juſſit; hujus prophetiæ etiam meminit, c. 1. ℣. 18. ùt oſtendat, ſe legitimè Timotheum licèt juniorem conſtituiſſe Epiſcopum: atque ita Timotheum plurimùm per ipſum Dei teſtimonium commendat. *Presbyterium* vocat non officium aut dignitatem, authoritatemve Presbyteri ſive Sacerdotis, ſed cœtum ſeu collegium Presbyterorum, ita tamen ut nomine Presbyterorum etiam Epiſcopi comprehendantur. Nam de iis loqui Apoſtolum conſtat, quorum ipſe unus erat, ùt 2. *Ep.* 1. ℣. 6. Adde quòd Presbyteri Epiſcopum non

ordinabant, ùt notat *Chryſ.* & *Oecum.* Apud *Cypr. Epiſt.* 46. Cornelius Papa Collegium ſive Senatum Cleri Romani cui præter Presbyteros intercrant quoque Epiſcopi, vocat *Presbyterium.* Et *Lucas cap.* 22. & *Act.* 22. *Presbyterium* dixit pro Senatu populi, ubi interpres vertit modò *Seniores*, modò *majores natu.* Alibi hâc voce deſignantur qui Senio vel ſenatoriâ poteſtate fulgent, ùt *Dan.* 13. ℣. 50. Porrò *Manuum impoſitio*, cujus & in 2. *Epiſt.* meminit, eam ſignificat ceremoniam quæ in ordinandis Epiſcopis, presbyteris & diaconis adhibebatur. Nam & *ſeq. Cap.* de presbyteris agens dicit: *Manus citò nemini impoſueris* Et *Act.* 6. leguntur Apoſtoli manus impoſuiſſe eis quos Diaconos inſtituebant, & à parte totum ſignificabatur. Non enim solùm manus imponebantur Ordinando, verùm etiam myſtica verba proferebantur, & alii ritus adhibebantur, ſive ad ordinationem peragendam abſolutè neceſſarii, & ùt loquuntur eſſentiales, ſive dumtaxat ſolemnitatis causâ acceſſorii, ex *Eſtio* & *Eſpen.*

℣. 15. *Hæc meditare, in his eſto: ut profectus tuus manifeſtus ſit omnibus.*

Hæc meditare, id eſt, hæc pertracta & volve in animo tuo quæ injungo tibi, attende lectioni, exhortationi, doctrinæ, ut omnes te patenter ſciant proficere, non tantùm in converſatione vitæ, verùm etiam in verbo doctrinæ. Timotheo dum loquitur, omnes ſalubriter admonet, ait *Chryſ.*

℣. 16. *Attende tibi, & doctrinæ: inſta in illis. Hoc enim faciens, & teipſum ſalvum facies, & eos, qui te audiunt.*

Attende tibi ipſi ut rectè vivas: attende

etiam *doctrinæ*, ut alios rectè inſtituas, ùt *Act.* 20. ℣. 28. *Inſta*, græcè, permane *in illo*, id eſt, vel inſtanter doce illos qui tibi ſunt commiſſi, vel *inſta* ut tibi attendas & doctrinæ: & libenter debes utrumque facere, quia hoc ita *faciens* duplicem fructum afferes, quoniam & *teipſum ſalvum facies, & eos qui te audiunt*, ùt *Rom.* 11. ℣. 14.; 1. *Cor.* 7. ℣. 16. ex *Hier.*

CAPUT V.

Quomodò ergà omnem ætatem ſe habere debeat, oſtendit; quas viduas honorare, quales ad miniſterium Eccleſiæ deligi velit: qui Presbyteri honore digni, neminem facilè ordinandum.

℣. 1. *Seniorem ne increpaveris, ſed obſecra ùt patrem: juvenes, ùt fratres:*

ADmonet Timotheum ne duriùs increpet ſenes ſi delinquant. Id verò præcipit propter honorem ſenectutis quæ venerationem proprio quodam jure exigit, quod de vulgaribus correptionibus intelligendum, non de ea quæ fit ob graviſſima crimina, ùt *Mat.* 23. *Act.* 23. *Dan.* 13. ex *Thom.* juxtà *Iſaiæ* 65. ℣. 20. Si verò deliquerint cum obſecratione admonendos, exhortandos, & corripiendos eſſe; velut ſi filius admoneat patrem, juvenes corripiat ùt fratres, ex *Chryſ.*

℣. 2. *Anus, ùt matres: juvenculas, ùt ſorores in omni caſtitate:*

Anus quæ vel ætate vel bonis moribus ſunt provectæ, admone ſeu corripe *ùt matres*; *juvenculas* autem ætate vel moribus, admone *ùt ſorores in omni caſtitate*: in colloquio juvencularum rectè juvenis *de omni caſtitate*

admonetur, ut non ſolùm intùs ſervetur cordis munditia, ſed e iam exteriùs ab omni ſpecie mali caveatur; ex *Hier. Ep. ad Nepotian.*

℣. 3. *Viduas honora, quæ verè viduæ ſunt.*

Quæ verè viduæ ſunt, id eſt, quæ omni auxilio ſuorum ſunt deſtitutæ, quæ manibus ſuis laborare non poſſunt, quas paupertas debilitat & ætas conficit, quibus Deus ſpes eſt, & omne opus oratio, ita *Anſel. Honora*, id eſt, ale, ùt *Mat.* 15. ℣. 6. Vult igitur ut viduæ jam dictæ ex oblationibus fidelium alantur; ùt illæ de quibus *Act.* 6. ℣. 1. De talibus viduis vide *Chryſ. l.* 3. *de dig. ſacerd.* Pauperum enim pater eſt Epiſcopus, ait *Eſpenc.*

℣. 4. *Si qua autem vidua filios, aut nepotes habet: diſcat primùm domum ſuam regere, & mutuam vicem reddere parentibus: hoc enim acceptum eſt coram Deo.*

Oſtendit quænam ſit verè vidua, utpotè non ſolùm viro orbata, ſed etiam liberorum ope deſtituta, nam ſi liberos habeat à quibus ali poſſit; verè vidua non erit; *diſcat* in primis, inquit, ergà propriam domum pietatem exercere, priuſquam Eccleſiæ vidua fiat, familiam ſuam benè regat, filios ac nepotes piè inſtituat: atque eo modo beneficium educationis quod à majoribus accepit, in minores refundat. Græci legunt *diſcant*, & ad filios & nepotes referunt, ut ſit ſenſus, ii *primùm diſcant* pietatem exercere ergà propinquos & domeſticos, & vicem ſuſtentationis rependere parentibus, à quibus educati fuerunt; id eſt, ipſi alant matrem ſuam vel aviam ſuam, ita *Theoph. Hoc enim* bonum eſt & *acceptum coram* Salvatore noſtro *Deo*,

undè & promiſſionem longævitatis annexam habet in Decalogo; *Exod.* 20. ℣. 12.

℣. 5. *Quæ autem verè vidua eſt, & deſolata, ſperet in Deum, & inſtet obſecrationibus & orationibus nocte ac die.*

Quæ verè vidua eſt, hoc eſt, quæ *deſolata* ac deſtituta non ſolùm marito, ſed etiam filiis ac nepotibus, omnique ſubſidio humano quo juvari queat, *ſperat in Deum & inſtat*, ſeu perſeverat, eaque tam nocte quàm die vacat orationibus; ex *Chryſ.* qui, ùt omnes græci codices habent, enuntiativè legit, *Sperat, & inſtat*; ita ut hic verſus mulieres verè viduas deſcribat.

℣. 6. *Nam quæ in deliciis eſt, vivens mortua eſt.*

Sentit Apoſtolus viduam deliciis vacantem eſſe monſtrum quoddam, quia *vivens mortua eſt*. Nam etſi corpore vivat & valeat, adeòque ſuaviter juxtà carnem vivat, mortua tamen eſt ſecundùm ſpiritum; utpotè gratiâ Dei privata; ùt probat pluribus *Chryſ. & Auguſt. de bono viduitatis cap.* 21.

℣. 7. *Et hoc præcipe, ut irreprehenſibiles ſint.*

Ea quæ indicavi, *præcipe* viduis ſcilicet ut in Deum ſperent, in orationibus aſſiduæ ſint, delicias & voluptates fugiant; ita futurum, ut eas meritò nullus poſſit reprehendere, nec propter eas malè audiat Chriſtiana religio, quod ad viduas tam pauperes, quàm divites extendit, *Eſpenc.*

℣. 8. *Si quis autem ſuorum, & maximè domeſticorum curam non habet, fidem negavit, & eſt infideli deterior.*

Si quis, græcè, *ſi qua*, q. d. Si qua vidua filios

aut nepotes habet, nec eorum curam gerit, &c. Meliùs tamen legendum, *ſi quis ſuorum*, id eſt, propinquorum, *& maximè domeſticorum* ſeu proximorum ſanguine, ùt ſunt parentes, fratres, filii, nepotes: vel intelligit domeſticos fidei, ſeu fideles ùt *Gal.* 6. ℣. 10.: *fidem negavit* operibus, hac ſcilicet in parte, quia fidei adverſantia opera facit, eſtque *infideli* catenùs *deterior*; quòd infidelis, etſi alios rejicit, ſuorum tamen curam habet, ita *Gaig.* Colligitur contra Lutherum, fidem quocumque peccato mortali non amitti: nam ſi eſt infideli deterior, ergò non eſt infidelis, ùt notat *Eſtius.*

℣. 9. *Vidua eligatur non minùs ſexaginta annorum, quæ fuerit unius viri uxor,*

Deligatur ſcilicet in miniſterium Epiſcoporum & Sacerdotum, vel *eligatur* admittenda in numerum viduarum, vel præficienda ceteris; pergit in deſcribenda vidua quæ aſſumatur ad beneficium ſuſtentationis è fidelium oblationibus, ùt *Act.* 6. Exigit autem ætatem *ſexaginta annorum*, quia in hac ætate non ſolet eſſe periculum incontinentiæ, & quia ante eam valentiores ſunt adhuc feminæ, ut ſibi victum opere aliquo comparare poſſint, *ex Chryſ. & Hier.*, qui de Diaconiſſis (ſeu in Diaconiſſis miniſterium coaptandis) hunc locum exponit, & quæ non plures habuerit maritos, quàm unum, nempè ſucceſſivè. Requirit monogamam, quia ſæpiùs nupſiſſe argumentum eſt incontinentiæ, & non ſignificat Chriſti Eccleſiam, ex *Carthuſiano.*

℣. 10. *In operibus bonis teſtimonium habens, ſi filios educavit, ſi hoſpitio recepit, ſi ſanctorum pedes lavit, ſi tribulationem patientibus ſubminiſtravit, ſi omne opus bonum ſubſecuta eſt.*

Ubi generaliter dixit *in operibus bonis*, conſequenter etiam ſpecialia enumerat: poſtquam dixit ergà proprios, *ſi liberos educavit*, ſubdit erga extraneos, *ſi fuit hoſpitalis*: ſed dicet, paupercula ſum; num *Sanctorum*, inquit, *pedes lavare* non potes? Num facultas deeſt, ut bona opera proſequaris? Horum enim ſingula dixit juxta ea quæ ſuppetunt, ita *Oecum.* Sanctos vocat fideles. Moris erat in Judæa pedes adventantium lavare, ùt *Gen.* 18. & 19. & *Luc.* 7. ℣. 44. *Si tribulationem patientibus*, id eſt, afflictis opem tulit pecuniis, interceſſione, conſolatione & aliis quibus potuit modis, nam quamvis facultas deſit ad operandum, adeſt tamen facultas ad miniſtrandum & obſequium præſtandum, ita *Oecum & Eſpenc.*

℣. 11. *Adoleſcentiores autem viduas devita: cùm enim luxuriatæ fuerint in Chriſto, nubere volunt:*

Juniores *viduas* quarum adhuc ſanguis fervet, *devita*, id eſt, non aſſume ad miniſterium Eccleſiæ, quia cùm *in Chriſto*, id eſt, juxtà magis fundatam interpretationem, *adversùs Chriſtum* ac fidem profeſſione caſtitatis (ex *Chryſ.*) illi promiſſam laſciverint & *luxuriatæ fuerint*, *nubere volunt* homini mortali, Chriſtum faſtidientes quem ſponſum elegerant, poſtquàm ſaginatæ pane Eccleſiæ in delicias carnales reſolutæ fuerint; ita *Gaig.*, *Thom.* & *Cajet.* Vel cùm delicias Chriſti guſtaverint, poſteà faſtidire incipiunt: ſed hunc ſenſum in verbis *luxuriatæ*

fuerint in Chriſto, textus originalis non admittit. Prima autem hujus præcepti ratio eſt, ne junioribus alendis Eccleſia gravetur; cùm illæ poſſint ſuo labore ſibi victum quærere: altera, quia juniores non erant admittendæ ad profeſſionem & votum caſtitatis; lubricæ enim ætati fides facilè adhiberi non debet: ita *Ambroſius & Græci*: tertia quia quædam viduæ lapſæ erant & fidem Deo datam fefellerant, quod de virginibus profeſſis nondùm erat compertum; ideòque illis ætas non præſcribebatur, præcipuè quia majori devotione ac fidei fervore caſtitatem amplectebantur, utpotè adhuc integræ, & quia id non faciebant ſpe alimoniæ ùt viduæ, ſic *Eſpenceus*.

℣. 12. *Habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt.*

Habentes damnationem, id eſt, eo ipſo quo nubere volunt, obnoxiæ ſunt *damnationi* æternæ, quia *primam fidem*, quâ pactæ fuerant Chriſto ſponſo continentiam ſe ſervaturas, abjecerunt & violaverunt, alium quærentes maritum, ita Græci, & *Aug. lib.* 1. *de bono vid. cap.* 8. 9. & 10. & *in Pſal.* 75. quid eſt, inquit, *primam fidem irritam fecerunt*, niſi voverunt & non reddiderunt? Et *lib. de Virg. cap.* 33. 34., *Cyp. Ep.* 11., *Baſ. Virg.*, *Epiph. hæreſ.* 48. *Hier. lib.* 1. *con. Jovin.* & *Concil. Cartag. can.* 104. *Primam*, id eſt, priorem ſeu anteà datam, ùt *Apoc.* 2. ℣. 5. Non quòd eam nulla fides Chriſtiana præceſſerit; non enim de fide, quâ in Chriſtum creditur, ùt volunt hæretici qui vota continentiæ oderunt, hìc loquitur Apoſtolus, ſed de ea quæ in ſervandis promiſſis conſiſtit, ùt *Rom.* 3. ℣. 3. *Gal.* 5. ℣. 23. & 2. *Tim.* 4 ℣. 7. Nec de fidei profeſſione in baptiſmo, non enim in baptiſmo promiſerunt ſe non nupturas: & votum earum

non erat ſolemne quale eſt Virginum quæ vitam profitentur monaſticam, ideò matrimonia ab iis contracta non diſſolvit Eccleſia, ſed pœnitentiam imponit; ex *Epiph. in hæreſi Apoſtolicorum*, & *Cyp. l.* 1. *Ep.* 11., *Aug. lib. de Virg. cap.* 34. & *de bono vid. cap.* 10.

℣. 13. *Simul autem & otioſæ diſcunt circuire domos: non ſolùm otioſæ, ſed & verboſæ, & curioſæ, loquentes quæ non oportet.*

Dum vitæ ſuſtentationem accipiunt ab Eccleſia, liberè otiantes aſſueſcunt vagari *per domos*, quod prorsùs alienum eſt ab honeſtate muliebri, nec non pudicitiæ illarum periculoſum: *ſed & Verboſæ*, id eſt, garrulæ & ineptè loquaces; *curioſæ* ſive rerum alienarum & ad ſe non pertinentium indagatrices; loquentes quæ non oportet, id eſt, ſecreta quæ audierint prodentes, aliorum famæ detrahentes, vel verba parum honeſta proferentes; ex *Eſpenc.*

℣. 14. *Volo ergò juniores nubere, filios procreare, matresfamilias eſſe, nullam occaſionem dare adverſario maledicti gratiâ.*

Bonum quidem fuiſſet, ut quæ ſemel inter viduas admiſſæ eſſent, non laſcivè agerent adversùs Chriſtum, neque primam fidem rejicerent. Verùm quia quædam hoc faciunt, ideò *juniores* quas ℣. 11. generaliter vetavit recipi in numerum viduarum Eccleſiæ, *hoc verſu* vult potiùs nubere quàm vovere caſtitatem: primum enim peccato vacat, aliud verò à pleriſque non ſinè maximo peccati & ſcandali periculo fiebat. Vult igitur Apoſt. hoc loco *juniores nubere*, non quia hoc per ſe melius judicat, ſed quia abſolutè & omnibus circumſtantiis conſi-

deratis id expedire videbat iſtis junioribus viduis; ita ut hoc nullatenùs repugnet illi quod dixit 1. *Cor.* 7. *Volo omnes eſſe ſicut meipſum*; ubi quod perfectius eſt, deſiderat, licèt id communiter adimpleri non poſſe cognoſceret; & ideò ibidem addidit: *ſed unuſquiſque donum ſuum habet à Deo.* Illud igitur *Volo* hoc verſu non tam eſt præcipientis quàm conſulentis ex juſta cauſa minus bonum. Nec facit contra hunc locum Eccleſia, dum juniores paſſim ad profeſſionem caſtitatis admittit. Quia hìc de viduis agit Apoſt. non de virginibus, quibus 1. *Cor.* 7. apertè ſuadet, *ut ſic permaneant.* Diſpar autem inter viduas & virgines quoad continentiam ratio eſt: ut & *Hier.* aſſerit *Epiſt. ad Ageruchiam.* Deindè non de omnibus & ſingulis viduis junioribus loquitur *Paulus*, ſed de ipſo genere, id eſt, de pleriſque earum: cum quo conſiſtit, quòd hinc indè aliqua probatæ vitæ & continentiæ, præcipuè cùm jam inſtituta ſint monaſteria in quibus ab exteriore periculo & occaſione præſervantur profeſſæ, admittatur ad profeſſionem religioſam. *Nullam occaſionem dare adverſario maledicti gratiâ.* Per *adverſarium* intelligitur, non diabolus ut quidam volunt, is enim ſemper maledicit; ſed homo Chriſtianæ Religionis inimicus ſive gentilis ille ſit ſive judæus, ne ab iſto per illas facientes quæ ſuperiùs improbantur, Religio blaſphemetur: ait *Hier.* Similis eſt locus ad *Tit.* 2. ℣. 8., ubi hæc de *adverſario* interpretatio clarè demonſtratur.

℣. 15. *Jam enim quædam converſa ſunt retro ſatanam.*

Debes autem tantam obſervantiam circa has habere & majorem quàm circa virgines, quia hæ, inquit, occaſionem dederunt deflectentes *poſt ſatanam*: nam hæc dico, inquit, non ut non ſint

juniores viduæ, ſed veritus ne Chriſtum reſi-derent, ita *Oecum.*; quâ autem in re diabolum ſecutæ ſint, non explicat: quidam interpretantur, quia nupſerunt contrà votum; alii quia fornicatæ ſunt, quod probabilius, ex hoc enim facto major maledicendi occaſio ſuppetebat Adverſario, ex *Hier.* Hic inſurgit Calvinus dicens: ſi quarumdam defectus *Paulo* ſufficerit, ut generaliter ſtatueret *volo juniores viduas nubere*: quàm multa hodiè Papiſtis argumenta forent abolendi impuri cælibatûs. Sed huic impuro adverſario reſpondetur. *Paulum* hic non condere univerſale præceptum, ſed ſicut dictum eſt, ſimpliciter tantùm vetare, juniores recipi in numerum viduarum Eccleſiæ; ſi tamen quædam continentiam vovere & ſervare ex animo velint, nequaquam prohibet; quin potiùs conſulit 1. *Cor.* 7. ℣. 6. & 7. Sed quia paucæ tales viduæ erant; multitudini conſulens, in genere dixit: *Volo juniores nubere*: ex *Eſtio*.

℣. 16. *Si quis fidelis habet viduas, ſubminiſtret illis, & non gravetur Eccleſia: ut iis, quæ verè viduæ ſunt, ſufficiat.*

Rectè dicit, *ſi quis fidelis*, aut *ſi qua fidelis*. Nam ſi infideles eſſent, non oporteret, ut ab eis alerentur, ne viderentur fideles egere infidelibus: ſed nec infideles hoc præcepto ligarentur, cùm legiſlationes illos concernant qui Legiſlatori parent, non eos qui ſubjecti non ſunt. *Subminiſtret illis*, rem faciat quæ minimè gravis eſſe debet, per hoc enim quod ait, *ſubminiſtret*, neceſſarium ſignificavit alimentum. *Et non gravetur Eccleſia*. Itaque fideles qui ſuas alunt viduas, etiam Eccleſiæ viduas juvant, quandoquidem non gravata Eccleſia uberiùs alet quas alit, nempe eas *quæ verè ſunt viduæ*, hoc eſt, quibus nullus præeſt, ſed deſolatæ ſunt, undique deſertæ ſunt. Nam qui ſuis ſubminiſtrat,

non ſolùm alit quam alit, ſed & reliquis multùm confert, dum occaſio eſt, ut illis abundantiùs ſuppeditetur, ita *Oecum.* Apoſtolus hìc de viduis diſputat, quæ ſuorum amicorum nutriuntur alimentis & filiorum cervicibus imponuntur, ex *Hier. ad Gerontiam.*

℣. 17. *Qui benè præſunt Presbyteri, duplici honore digni habeantur: maximè qui laborant in verbo & doctrina.*

Ab honore, id eſt, à ſuſtentatione viduarum tranſit ad honorem Presbyteris debitum. Presbyteros intelligit non ætate ſed ordine, ſic tamen ut Epiſcopos comprehendat. Nam Aſia cujus Metropolis erat Epheſus, plures habebat Epiſcopos qui & Presbyteri vocabantur, ùt *Act.* 20. & *cap. ſuperiori. Duplicem honorem* intelligunt cœleſtem & terrenum; vel reverentiam & ſubſidium; vel rectiùs duplicem honorem ſuſtentationis quam aſſignari cenſent Presbyteris duplum comparatione viduarum, ita *Chryſ.* Sed magìs placet, ait *Eſtius*, ejuſdem *Chryſ.* & aliorum commentarius, quo duplicem honorem interpretantur benignam ac liberalem ſuſtentationem, rerumque neceſſariarum ſubminiſtrationem. Hinc ſtipendia paſtoribus, profeſſoribus, præfectis debita, honoraria vocantur. *Duplex* autem Hebræis dicitur multum & copioſum, ùt *Iſa.* 40. ℣. 2. *Jerem.* c. 16. ℣. 18., & c. 17. ℣. 18., 4. *Reg.* 2. ℣. 9. Dicit autem qui *laborant*, quia doctrinam ſacram tradere & docendo Dei verbo intentum eſſe, non parvi laboris eſt; ex *Eſtio.* Vel qui ſuo id labore merentur, non officii tantùm gradu, ex *Eſpen.*

℣. 18. *Dicit enim Scriptura : Non alligabis os bovi trituranti. Et : Dignus eſt operarius mercede ſuâ.*

Ex Scriptura *Deut.* 25. confirmat ſuum præceptum; nam lex illa moraliter ſignificat, præfectis ac prædicatoribus verbi Dei non parcè, ſed liberaliter victum eſſe ſuppeditandum, velut ex pleno acervo, & in Scriptura nomine bovis prædicatores Evangelii myſticè ſignificati ſunt, ut *Pro.* 14., *Iſa.* 32., 1. *Cor.* 9. *Et : dignus eſt operarius mercede ſuâ.* Aliqui hæc referunt ad *Lev.* 19. ℣. 13., ſed verborum hic nulla ſimilitudo : alii ad *Evang. Luc.* 10. ſed non apparet veriſimile, *Paulum* aliquid ex *Evang. Lucæ* diſcipuli ſui citaſſe, quod tunc nondùm ſcriptum fuiſſe videtur. Rectiùs itaque ſentiunt, qui dicunt in his verbis nullam citari ſcripturam, ſed ſubjungi ſententiam à communi ſenſu deſumptam, quemadmodùm & Chriſtus eam protulit, *Luc.* 10. Omnibus enim ratio dictat, operario mercedem deberi : non quòd ſignificet ſubſidium temporale habere rationem mercedis quam prædicator Evangelicus pro labore & opera ſua recipiat, id enim eſſet vendere Evangelium quod gratìs debet annunciari; ſed ſenſus eſt, ſicut operarius dignus eſt mercede undè vivat, ita & Evangelii miniſtrum dignum eſſe honorario ſubſidio, undè ſuſtentetur. Tantùm enim in hac comparatione ſpectatur ſuſtentatio operanti debita, ut *Mat.* 10. ℣. 10.; ergò Presbyteris & Paſtoribus otioſis nihil ſubſidii debetur, inferunt hæretici : quod quidem verum eſt, ſi ſpectetur ſolum jus naturale quod ſolum hoc loco, & 1. *Cor.* 9. præ oculis habet Apoſtolus, non verò ſi jus poſitivum, ſecundùm quod, ſicut in veteri lege ſacerdotibus etiam impiis ſolvendæ erant Decimæ *Nal.* 2. & 3., ita nunc debentur

presbyteris etiam malis & ab officio ceſſantibus, ea quæ ſimpliciter, id eſt, ſinè obligatione certorum officiorum data aut legata fuerunt; etiamſi is qui dedit aut legavit, benè ſperaverit eos officium facturos. Quòd ſi acceſſerit obligatio; non tamen licebit ſubditis conſuetas paſtoribus, ſeu Prælatis officia debita non præſtantibus ſubtrahere, ex *Conc. Conſtant. art.* 8.; ſed expectanda judicis Eccleſiaſtici ſententia. Quamquam & illud lege Eccleſiæ cautum ſit, beneficiatos, ſi debita officia non perſolvant, ad reſtitutionem fructuum ſic perceptorum teneri: ita *Eſtius*.

℣. 19. *Adversùs Presbyterum accuſationem noli recipere, niſi ſub duobus aut tribus teſtibus.*

Quid ergò an adversùs juniorem admittenda eſt hujuſmodi accuſatio? Nequaquam: ſed tanquam diceret, adversùs nullum, maximè autem adversùs ſeniorem, nam habent hi ab ipſa ætate frænum quoddam, ita *Oecum.* Alii ferè omnes meliùs & conformiùs ad contextum Apoſtoli exponunt de eo qui ordinatione ſeu dignitate *Presbyter* eſt, in quo & Epiſcopus comprehenditur, ex *Sixto II. Papa Ep.* 2. Si enim id contra presbyterum non licet, tantò minùs contra Epiſcopum. Veteres aliqui non admittunt exceptionem hanc, *niſi ſub duobus aut tribus teſtibus*, qui tamen non ſentiunt Apoſtolum velle ut *adversùs presbyterum* nulla umquam admittatur accuſatio; ſed ne facilè ſeu temerè admittatur: ita *Cyp. loco citato. Hier.* lectionem vulgarem omninò præfert. Quæret quis, quid igitur peculiare de presbyteris præcipit Apoſtolus, cùm juxtà legem *Deut.* 17. & 19. Nullus niſi ſub duobus aut tribus teſtibus condemnari poſſit? Reſpondent quidam Apoſt. tacitè uti argumento à minore, q. d. ſi nemo

condemnari poſſit ex unius teſtimonio, quantò magìs id cavendum in presbytero? Meliùs tamen R. Apoſtolum non agere de condemnatione de qua Lex, ſed de ſimplici accuſatione, quam nequidem vult à judice recipi *adversùs presbyterum* niſi ex legitimo & idoneo plurium teſtimonio: ita poſt *S. Thom. Eſtius*. Hìc rationem docet arguendi, judicandi, puniendique ſubditos in foro exteriori quod ad Epiſcopum pertinet, ùt notat *Lyran.*

℣. 20. *Peccantes coram omnibus argue: ut & ceteri timorem habeant.*

Quære, inquit, diligenter, cùmque inveneris, coram omnibus cum vehementia objurgato, ex Græcis; *ut & ceteri* ad modeſtiam revocentur; hoc fecit Deus in Pharaöne & Nabuchod. *Peccantes* autem intellige non quoſlibet eos qui peccant, ſed aut per ſe manifeſtos, aut publico judicio convictos, nec cujuſcumque peccati, ſed gravioris, & ſcandaloſi, cujuſmodi peccata deduci ſolent ad judicium Epiſcopi. Peccatum occultum occulto, publicum publico indiget remedio. *Coram omnibus*; id eſt, palàm & in publico conventu Eccleſiæ ſeverè ſunt increpandi, *ut cæteri* ſive Presbyteri ſive alii timeant ſimilem objurgationem, hoc eſt, publicam & cum publico pudore conjunctam, & hoc metu abſterreantur à ſimilibus peccatis perpetrandis, ſic *Eſpen.*

℣. 21. *Teſtor coram Deo & Chriſto Jeſu, & electis Angelis, ut hæc cuſtodias ſinè præjudicio, nihil faciens in alteram partem declinando.*

Declarat ſe ea quæ dixit de exercendo judicio, præcipere Timotheo coram graviſſimis teſtibus ne fortè negligentiùs agat in re tanti

momenti. Primò Apoſt. Deum & Chriſtum Salvatorem præſentem appellat, quia judices juxtà 2. *Par* 19. ℣. 6. vicarii Dei ſunt; ideòque Deum cujus vices gerunt, ſemper ante oculos habere debent, ne quo pacto à juſtitia deflectant. Deindè & Angelos adjungit, ùt qui aſſidui ſunt noſtrarum actionum ſpectatores & ad judicium cum Chriſto venturi. Sic mulieres in Eccleſia velatas eſſe vult propter Angelos ibi præſentes 1. *Cor.* 11. Sic & Chriſtus prohibet contemni puſillos, eo quòd cuſtodes eorum ſemper vident faciem Patris, *Mat.* 18. *Electos Angelos Catharinus* malè intelligit; ſeptem primarios quos putat ſignificari per ſeptem Spiritus Dei, *Apo.* 1. & per ſeptem Angelos *Tob.* 12; quamquam Scriptura interdùm *electos* vocat qui ſuo genere præcellunt : ùt *Pſal.* 77. ℣. 31. & *Pſ.* 140. ℣. 4. Meliùs hìc ſancti Angeli intelliguntur ad diſtinctionem reproborum, id eſt, dæmonum, elegit autem Angelos Deus ab æterno non ex prævìſis eorum meritis, ſed ex ſolo beneplacito ſuæ voluntatis quemadmodùm & homines. *Ut hæc*, quæ ad officium judicandi pertinent, *cuſtodias ſinè præjudicio*, id eſt, ſinè præmeditatione an ſit faciendum, an non faciendum; vel potiùs ſinè præcipitatione judicii, ùt aliqui verterunt : nam duo vitia præcipuè cavenda ſunt judicibus tam Eccleſiaſticis quàm politicis, judicandi præcipitantia & affectus : de priore jam dixit, de alio ſequitur, *Nihil faciens in alteram partem declinando*, id eſt, nihil agens per inclinationem animi quâ in hanc aut illam partem propendeas affectu aliquo præoccupatus, ſed omnibus æquum te exhibens : vel *declinando in alteram partem* niſi in eam quàm præmeditando cognoveris juſtam, ita *Anſel. poſt Chryſ.* ex *Eſtio* : q. d. ſi quem præmiſſo judicio examinatum malum & Sacer-

dotio indignum judicaveris; ne ab eo quod examinatio docuit, aliorſùm declinato, ut poſt ſeductus in Sacerdotem conſecres, ait *Bruno & Eſpen.*

℣. 22. *Manus citò nemini impoſueris, neque communicaveris peccatis alienis. Teipſum caſtum cuſtodi.*

Maturum judicium adhiberi vult in ordinandis Eccleſiæ miniſtris ſcilicet Epiſcopis, Preſbyteris, Diaconis, de quibus omnibus actum eſt ſuprà. Nam *impoſitio manuum* hic ordinationem ſignificat, ſicut & *cap. Sup* r. & 2. *Ep.* c. 1.; non quòd hæc vel ſola vel præcipua cæremonia eſſet in ordinatione ſacra; ſed quòd maximè uſitata & conſpicua, ac proindè idonea quæ nomen daret Sacramento: ſub hac igitur ceteræ comprehenduntur, ac nominatim ipſa forma: ùt teſtatur *Hier. ſuper Izaiæ c.* 58. *Citò manus imponere* igitur eſt aliquem ordinare vitâ, ætate, doctrinâ &c. non ſatis exploratis: *ita Leo Ep.* 87. *ad Epiſc. Afric. c.* 1. *Neque communicaveris peccatis alienis*, quod facit qui in pœna ſeu reatu fit eorum particeps, vel ſimilia faciendo vel jubendo, conſentiendo vel denique non impediendo, aut non corrigendo, dum quis impedire aut corrigere poteſt & tenetur; ut ſit ſenſus, etiamſi aliqui tam officii ſui negligentes ſint ut manus citò ac temerè imponant, tu nòli eos imitari ne ſimul cum eis reus fias: vel noli acquieſcere importunis eorum ſtudiis & precibus qui indignos commendant ad gradus Eccleſiaſticos. Hoc enim eſſet alienæ ſtultitiæ conſentire: vel meliùs reſpicit ad peccata eorum qui temerè ordinantur, ut ſenſus ſit, ſi quibus citò manus impoſueris, quidquid illi in ſua adminiſtratione delinquunt tibi meritò imputabitur: Imò & peccatorum anteà ab eis admiſſorum reus eris,

quòd ad ea diſſimulaveris quæ corrigere debebas & impoſitâ pœnitentiâ punire. Eſt & alius ſenſus non improbabilis: nè quempiam ordines antequam de ejus probitate tibi conſtiterit; at ſi præter expectationem poſtquam ordinaveris, malè fungatur officio, aut improbè vivat; tu eum convictum amove, & coram omnibus argue, ne peccata ejus per conniventiam facias tua, ita *Heſſelius*. *Te ipſum caſtum cuſtodi*, id eſt, *ab eis purum ſerva temetipſum*, non facilè ordinando neque diſſimulando, ſi jam ordinati peccaverint, ex *Auguſt. l.* 2. *cont. Ep. Parm. c.* 21. vel ſerva temetipſum *caſtum* à peccatis alienis, id eſt, purum à peccatis eorum: vel admonet Timotheum caſtitatis, id eſt, pudicitiæ diligenter & omni ſtudio conſervandæ; ſic *Chryſ.*, huncque ſenſum confirmari putat *Eſtius* ex ipſa voce græca, & ex *S. Aug. Tom.* 5. *fragm.* 1. Admonet autem Paulus Timotheum; tum quia Epiſcopus erat quam dignitatem impudicitiæ crimen vehementer infamat, tum quia juvenis, in qua ætate facilè periclitari caſtitas ſolet. Et hic ſenſus cum aliis ſic cohæret, q. d. ſic curam gere aliorum ut non recedas à cuſtodia tui ipſius; vel hoc præceptum de caſtitate inſinuat Timotheo, ut cum authoritate & fructu poſſet arguere peccantes, & adversùs eos judicia exercere, ex *Hieronym.* Et ex hac explicatione pro cælibatu contra ſectarios *Eſtius* argumentum deducit.

℣. 23. *Noli adhuc aquam bibere, ſed modico vino utere propter ſtomachum tuum, & frequentes tuas infirmitates.*

Noli adhuc, græcè, *Noli ampliùs:* quibus verbis monet, ne deinceps ſolam aquam in potum ſumat. q. d. ne deinceps ſis abſtemius; quæ pars hunc ordinem habet cum præcedentibus:

quamvis caſtitatis te admoneam, nolo ut in alteram partem pecces & aquæ potu valetudinem lædas, ſed propter ſtomachi debilitatem admitte etiam aliquem uſum vini, ne ſi ſolâ aquâ utaris ùt hactenùs, ſtomachum graviùs lædas. Per *infirmitates* non morbos intelligit, ſed in genere malas affectiones ſive aliquorum membrorum, ùt capitis, hepatis, pectoris. *Paulus* hanc infirmitatem Timothei non curavit, quia expediebat Timotheo ut eam pateretur: ſicut *Paulo* ſentire ſtimulum carnis, *quia virtus in infirmitate perficitur*: ſic & de Epaphroditi morbo dicendum eſt *Phil.* 2. ℣. 27. ex *Chryſ.*, qui undecim afflictionis ſanctorum cauſas refert, ùt notat *Eſpenc.* Quæres cur Apoſtolus addiderit *modico*, cùm de Timotheo timendum non foret ne immodicè *uteretur vino?* ℞. Ut faciliùs ei uſum vini perſuaderet: q. d. Abſtinentiam tuam laudo, ſed iſtum rigorem ob infirmitatem corpuſculi volo ut non nihil relaxes, indulgendo tibi paululùm vini. Alia autem ratio, eaque præcipua videtur, ut in Timotheo omnes Epiſcopos ac presbyteros temperantiam doceret: ex *Eſtio*. Et quidem generaliter notandum eſt, omnia præcepta, quæ Apoſt. *in hac* & *ſeq. Epiſt.* & *ad Titum* proponit, non tam propter Timotheum & Titum data eſſe, ſed principaliùs ut in illis omnes Epiſcopos & presbyteros doceret, & graviter admoneret.

℣. 24. *Quorumdam hominum peccata manifeſta ſunt, præcedentia ad judicium: quoſdam autem & ſubſequuntur.*

Judicium de quo hìc loquitur Apoſt., variè poteſt intelligi: alii judicium Dei quod in futuro ſeculo exercebit; alii humanum quale eſt, Epiſcopi, exponunt. De judicio Dei duplex hujus loci ſenſus eſt: *unus*; *Quorumdam pec*

ita manifeſta ſunt hominibus quæ proindè cogoſci & judicari poſſunt in hac vita priuſquam eniatur ad *judicium* Dei; quorumdam autem cculta ſunt hominibus, ideòque in hac vita ıdicari non poſſunt, ſed reſervanda ſunt fuıro atque extremo Dei *judicio;* ita *Baſil. lib. 'e vera Virg.,* & *Aug. l. 2. de ſer. Dom. in mon'. Alter ſenſus eſt.* Hominum malorum mulı peccata mortem eorum & judicium ſeu conemnationem quæ fit in morte, præcedunt; uorumdam autem multa etiam peccata mor:m eorum ſubſequuntur, videlicet ea quæ per ıalam eorum doctrinam & malæ vitæ exemla ab aliis poſteà committuntur; & ſimiliter ı bonis res ſeſe habet. Sic *Baſil., Theoph.* & *Oeım.* Sed potiùs hìc locus ut cohæreat cum ræcedentibus, de humano judicio accipienus eſt, quale eſt Epiſcopi, ita *Hieron. Ep.* 10. *d Furiam. c.* 3. Sed & hic Hieronimi commenırius patitur duplicem ſenſum: nam hoc juicium aut eſt examinis, aut eſt definitionis. 'riori modo hæc eſt connectio. Quidam tam berè & palàm peccant, ut poſtquam eos videis, ſtatim intelligas peccatores: alios autem ui callidè occultant vitia ſua, ex ſequenti onverſatione cognoſcimus; & ſenſus eſt: cùm ixi ne cui manus citò imponas, non ſolùm ɔcutus ſum de hominibus apertè malis, ſed & ccultè: nam eos qui apertè mali ſunt, jam onſtat eſſe rejiciendos etiam antequam de iis ıdicium examinis habeatur, quia *peccata* eoum jam *manifeſta ſunt* ut *judicium* præcurrant, ndè in talibus non requiritur ordo judicialis: t verò occultè mali non priùs rejiciendi ſunt, ut condemnandi quàm diſcuſſa fuerit eoum vita, quia nimirùm peccata eorum quoad ɔaniſeſtationem *ſequuntur* hoc diſcutionis ju.icium. Propter hos igitur moneo, ne citò ma-

nus imponas cuiquam, ita *Cajet.* Poſteriore modo ſenſus eſt: ſi ordinaveris manifeſtos peccatores, communicabis peccatis alienis. Si quos autem ordinaveris qui poſt ordinationem detegantur aut deprehendantur mali; ea res tuam conſcientiam non gravabit, modò diligens examen anteà adhibueris, quia occulta & futura noſſe non potuiſti. Quorundam enim peccata palàm nota ſunt ante electionem eorum aut reprobationem, quorundam verò latent, nec priùs ſeſe produnt, quàm ordinati fuerint, aut evecti ad honores. Hoc enim eſt quod ait: *quoſdam aut in ſubſequuntur*: ſcilicet jam ordinatos, id eſt, ordinationem eorum, ſubſequuntur autem vel in notitia hominum, vel reipſa, dum qui priùs boni erant, poſteà mali fiunt, vel in ſuperbiam elati, vel in luxum reſoluti. Hæ duæ expoſitiones conſentaneæ ſunt Apoſtolico textui: tametſi prior habeat plus probabilitatis propter id quod ſequitur: ita de verbo ad verbum *Eſtius* & *Eſpenc.*

℣. 25. *Similiter & facta bona manifeſta ſunt: & quæ aliter ſe habent, abſcondi non poſſunt.*

Senſus hujus partis ex ſuperiore pendet; undè & quadruplex aſſignatur *primus & ſecundus* de judicio Dei, *tertius & quartus* de judicio humano. *Primus ſenſus* ſimiliter eſt: & quorundam hominum bona opera *manifeſta ſunt* hominibus, antequam ad illud extremum judicium veniatur; *quæ* verò *aliter ſe habent*, id eſt, quæ non ſunt hominibus manifeſta, non manebunt abſcondita, ſed tandem in Dei judicio manifeſtabuntur. *Secundus*; bona opera quæ boni faciunt in hac vita mortem eorum & judicium, id eſt, æternam retributionem, quæ in morte datur, antecedunt etiam in hominum notitia.

Ea

a verò quæ mortem eorum ſequuntur, id eſt, uæ ab eorum diſcipulis, aliiſvè exempla vitæ orum imitantibus fiunt, licèt nondùm ſint hominibus manifeſta, tamen *abſcondi non poterunt*, ed in die judicii omnibus patebunt. *Tertius nſus*, quod te monui ne quem citò ordines, cut non dixi propter apertè malos, ita nec ropter eos quos manifeſtè & notoriè conſtat onos & idoneos eſſe, ſed propter eos quorum irtus latet: nam & bonorum quorumdam *bona vera* adeò *manifeſta ſunt*, ut judicium examinis præveniant, de quibus proindè aſſumendis onſultatione non ſit opus, quorum verò opera bona non ſunt ita manifeſta, diſcutienda unt. Quod ſi fiat, non facilè poterunt *abſcondi*, ſed ſaltem poſt hujuſmodi diſcutionis judicium manifeſta erunt, & authores ſuos dignos oſtendent quibus manus imponantur. *Quartus nſus*, ſicut quidam antequam ordinentur tam manifeſtè mali ſunt, ut planè conſtet eſſe rejiciendos: ita nonnulli tam manifeſtè boni ut conſtet eſſe aſſumendos, quos ſi aſſumpſeris non communicabis peccatis alienis etiamſi poſteà degenerent; ſi quos autem rejeceris, quorum virtus tunc latebat, poſteà verò innoteſcat (neque enim facilè diu *abſcondi* poteſt) non eſt quòd ea res animum tuum conturbet, quandoquidem occulta ſcire non potuiſti; ita *Eſtius* oſt *Eſpenc.*

CAPUT VI.

Admonet ſervos etiam infidelium ſui officii, cavendas pugnas verborum, & avaritiam, & falſos præceptores. Timotheum ad officia pietatis hortatur.

℣. 1. *Quicumque ſunt ſub jugo ſervi, dominos ſuos omni honore dignos arbitrentur, ne nomen Domini & doctrina blaſphemetur.*

HIc locus non de famulis, quales nunc habemus, eſt intelligendus, ſed de ſervis ſervitutem ſervientibus, cujuſmodi etiam apud Hebræos & Gentes, & hodiè apud Turcas, & apud quoſdam Chriſtianos, apud quos væneunt homines, non ſecùs ac boves; quod ſervorum genus neſcit Francia, neque Belgium. Servos igitur infidelium fideles factos, ne indignentur & abſurdum putent, fidelem infideli ſubeſſe atque ſervire, refellit ut *Quicumque*, &c. *Ne nomen Dei blaſphemetur*. Nam ſervi fideles, ſi ob id quòd Domini eſſent increduli, non obedirent eis, eſſentque arrogantes, occaſionem darent ſuis Dominis convitia jaciendi in Chriſtum ac prædicationem tanquam occaſio facta eſſet contumaciæ ſervorum, ita *Occum.* Sic & Epheſios & Coloſſenſes ſervos qui Aſiani erant, ſimiliter officii ſui admonet; *Epheſ.* 6. & *Col.* 3.

℣. 2. *Qui autem fideles habent dominos, non contemnant, quia fratres ſunt: ſed magis ſerviant, quia fideles ſunt & dilecti, qui beneficii participes ſunt. Hæc doce, & exhortare.*

Ne propterea, inquit, quòd *frater* ſis, contemptûs occaſionem ſumas: ſed potiùs alacri animo, quòd Domini *fideles ſint*, ideóque *dilecti*, *magis inſervias*, timori adjungens etiam dilectionem; quantum enim *beneficium* recipitis in hoc quòd dominos habeatis fratres, tantùm & vos grati ſitis magis inſerviendo: vel meliùs, *qui* beneficentiæ dominorum *participes eſtis*, idque nunc liberaliùs quàm olim: nam poſtquam Domini facti ſunt Chriſtiani, beneficentiam augent in ſervos, quos amant ùt fratres, ita Græc. *Hæc* quæ dixi de ſervis, *doce* ut ſciant, & *exhortare* ut faciant, & præmium oſtende Deum; ex *Hier.*

℣. 3. *Si quis aliter docet, & non acquieſcit ſanis ſermonibus Domini noſtri Jeſu Chriſti, & ei, quæ ſecundùm pietatem eſt, doctrinæ:*

Si quis aliter docet, id eſt, diverſam ſequitur doctrinam, aliam ab ea quæ recta eſt. Satis apparet ex hoc loco, fuiſſe eo tempore quoſdam qui diverſam à ſupradictis docerent, occaſione libertatis Evangelicæ ſervos avocantes ab officio debito. Vocat *ſanos ſermones Chriſti*, vel quos Chriſtus ipſe docuit, vel potiùs qui ſunt de Chriſto. Hanc de Chriſto doctrinam, quæ eſt evangelica & apoſtolica, dicit eſſe *ſecundùm pietatem*, quia doctrina fidei pietatem promovet: *pietatem* intellige verum Dei cultum: ex *Eſtio:* Veteris quidem Teſtamenti doctrina ſevera magis, quàm pia

(quamquam pia quoque, Novi autem piiſſima) ùt notat *Eſpenc.*

℣. 4. *Superbus eſt, nihil ſciens, ſed languens circa quæſtiones, & pugnas verborum: ex quibus oriuntur invidiæ, contentiones, blaſphemiæ, ſuſpiciones malæ,*

Superbus, græcè, *inflatus eſt*, quia proprium ſenſum Apoſtolicæ doctrinæ anteponit, quod eſt omnibus hæreticis commune; vel quia ſibi placet quaſi mirâ ſcientiâ præditus: *nihil ſciens*, quia non novit quæ ſcire oportet. Notat Judaïzantes carentes ſcientiâ gratiæ Chriſti, ùt c. 1. ℣. 6. & 7.; *ſed languens*, græcè, *ægrotans*, pro quo *Eraſmus* vertit *inſaniens*: languent autem qui non corpore ſed animo malè ſano veritatem quærunt, cujuſmodi ſunt qui ſinè fide quærunt ac diſceptant de iis quorum ante omnia à nobis fides exigitur. Alii probabiliùs (ait *Eſtius*) putant Apoſtolum generaliter loqui de quæſtionibus inutilibus, curioſis, ùt *cap.* 1. Notantur duo vitia, quærendi vanitas & diſputandi pugnacitas, quorum utrumque ſalutis profectum impedit, ùt 2. *Ep. cap.* 2. ℣. 23., & *Tit.* 3. ℣. 9. Quæ *verborum pugnæ* adeò non ſanant animam, ut etiam pluribus peccatis implicent & languorem augeant, cauſando *invidias* & *contentiones* inter ipſos diſputantes. *Blaſphemias* Græci interpretantur prava dogmata de Deo & rebus divinis, falſas atque indignas de Deo opiniones; ſed potiùs hìc generaliter ſonant maledicta ſive in Deum jactata, ſive in homines; vel convitia & probra, quibus ſe mutuò impetunt contentioſi diſputatores; *ſuſpiciones malas*, quas ex inimicitia concepta fovent adversùm ſe mutuo; ſive hæreſim de altero ſuſpicantur, ex *Hier.*, ſive ſuſpiciones dominorum adversùs ſervos Chriſtianos, quaſi

tatem ad lucrum finxerimus, munera à ſer-
aptantes, ex *Eſp. nc.*

. 5. *Conflictationes hominum mente*
ruptorum, & qui veritate privati
, exiſtimantium quæſtum eſſe pie-
m.

nflictationes, id eſt, inanes ac pravæ exerci-
nes hominum quorum mens ambitione vel
tiâ, aliiſque affectibus occupata & corrupta
quæ cauſa eſt, ut nec ſalutaria quærant, nec
atem inveniant, cùm veritas non ſit ſco-
diſputationis eorum, qui *pietatem quæſtui*
nt, qui quæcumque piè & religioſè facere
ntur ac docere, referunt ad temporalem
rivatam ſuam utilitatem, gloriam, honores,
ptates; notat Judæos & Judaïzantes, ùt
c. 1. ℣. 10. & 11. Addunt Græci, *abſtine*
ibus, *diſcede ab hujuſmodi* legit *Ambr. Re-*
ſcilicet poſt unam & alteram admonitio-
, ùt *Chryſ.* ex *Ep. ad Tit.* 3. ℣. 10. hanc
entiam ſupplet.

. 6. *Eſt autem quæſtus magnus pie-*
cum ſufficientia.

uod ſtatim vituperaverat, correctione rhe-
â in contrarium vertit, ſenſu mutato: q.d.
verò ſi quis rectè judicet, ipſa *pietas mag-*
eſt quæſtus, non quidem quâ illi de qui-
modò dicebam, exiſtimant ratione, ſed ex-
entiore: nam ùt c. 4. ℣. 8. dixi, *ad omnia*
s eſt promiſſionem habens vitæ præſentis &
ræ. Quod additur *cum ſufficientia* duo vide-
complecti, nempè rerum ad vitam hanc ne-
riarum ſufficientiam, & animum iis con-
um: nam hæc duo ℣. 8. conjunguntur. Ad-
utem Apoſtolus illud *cum ſufficientia*, quia
ſanctèque vivere non poſſumus, niſi ha-
nus quæ ſunt ad vitam neceſſaria, quæ *pie-*

tas docet nos à Deo petere : ex *Eſtio*. Undè *quæſtus magnus eſt pietas* ſi non plura petamus ſed in *ſufficientia* perſiſtamus, ita *Oecum.* ùt 2. *Cor.*9. ℣. 8., cetera in uſus Sanctorum impendentes, ait *Eſpenc. S.Thom.* videtur illud *cum ſufficientia* annectere quæſtui, hoc modo : *Pietas eſt magnus quæſtus cum ſufficientia.*

℣. 7. *Nihil enim intulimus in hunc mundum : haud dubium quòd nec auferre quid poſſumus.*

Si *nihil intulimus*, nec quidquam efferemus, quorsùm habere cupimus ultrà neceſſaria ? ùt *Job. c.* 1. ℣. 21. *nudus egreſſus ſum*, &c. & *Eccl. cap.* 5. ℣. 14. Communem habere pauperes cum divitibus mundum, lucem, cœlum dicit *Auguſt. ſerm.* 5. *de temp.*

℣. 8. *Habentes autem alimenta, & quibus tegamur, his contenti ſimus.*

Tantum, inquit, edere oportet, quantum ſatìs ſit ad alendum, non quantum provocet ad delectationem. Et tot ac talibus operiri oportet quæ nuditatem tegant, non quæ delicias inducant ac mollitiem afferant, ùt *Heb.* 13. ℣. 5. & quoniam hæc ſub quibus cetera neceſſaria intelliguntur, habeamus, *his contenti ſimus* ; quæ verba præceptum continent, ùt etiam patet per id quod ſequitur : ita *Eſtius*.

℣. 9. *Nam qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & deſideria multa inutilia, & nociva, quæ mergunt homines in interitum & perditionem.*

Non de his loquitur qui rectè divitiis utuntur, ſed *qui volunt divites fieri*, id eſt, qui divitias concupiſcunt ; nam qui concupiſcit, nequaquam alteri tradere poteſt, ne ſibi deeſſent

quæ deſiderat appetitus: *inutilia*, *græcè*, inſenſata, ſtulta, abſurda quia rectæ rationi repugnant; *&* *nociva* quia *dem rgunt hominem in interitum* temporalem & æternum ne ampliùs valeant emergere, ait *Oecum.*

℣. 10. *Radix enim omnium malorum eſt cupiditas: quam quidam appetentes erraverunt à fide, & inſeruerunt ſe doloribus multis.*

Probat id quod dixerat, eos qui divites fieri volunt, in plurima mala incidere; quia nimirùm divitias quærunt ex avaritia, quæ *radix eſt omnium malorum*, tam pœnæ quàm culpæ; ſpeciem ponit pro genere, avaritiam pro cupiditate, quâ plus quàm ſat eſt, quæritur non ſolùm in pecuniis & opibus externis, ſed in re qualibet, ùt honoribus, potentia, ſcientia, voluptate; ex *Auguſt. l.* 11. *de gen. c.* 15. & *l.* 3. *de lib. arb. c.* 17. *&* *in Pſ.* 118. *conc.* 11. *Anſelmus* id extendit ad lapſum Angelorum, & primi hominis. Apoſtolus ſententiam ſuam ab experientia declarat: jam enim *quidam* qui in Chriſto nomen dederant, dum avaritiæ ſtudent & divitias appetunt atque ſectantur, *aberraverunt* & defecerunt *à fide* Chriſtiana, ùt c. 1. ℣. 19. Obtenebrat enim ſtudium pecuniæ oculum animæ, nec rectà ſinit incedere, ait *Occum. Et inſeruerunt ſe*, græcè, *&* *confixerunt* ſeu conjecerunt ſe in multas & graves anguſtias, multorum dolorum cauſas, quibus velut ſpinis transfixi cruciantur in hoc ſeculo & in futuro, ita *Theoph.*

℣. 11. *Tu autem ô homo Dei hæc fuge: ſectare verò juſtitiam, pietatem, fidem, charitatem, patientiam, manſuetudinem.*

Homo Dei, magna dignitas eſt, omnes nam-

que homines quidem ſervi Dei ſunt, maximè juſti; ſed *homines Dei* aut *viri Dei* dicti ſunt ſoli prophetæ velut Dei familiares ùt Moyſes, Samuël, David, Elias, Elizeus. Timotheum Epiſcopum vocat *hominem Dei*, quia nimirùm in his quæ Dei ſunt, populo præerat, hoc habens proprium munus, ut homines ad Deum adducat quod eſt omnibus Epiſcopis commune, qui proindè hìc in Timotheo, uti & paſtores admonentur. *Fuge*, *ſectare*, emphaſim habent: nihil enim æquè depravat paſtorum intentionem, eoſque mercenarios reddit quàm ſtudium avaritiæ; nihil quod magis impediat fructum ſalutis animarum. *Sectare*, græcè, *perſequere*, quod voci *Fuge* directè eſt contrarium; ut ſignificet pari animi contentione paſtoribus & vitia fugienda & ſectandas eſſe virtutes: *ſectare juſtitiam*, ne plus habeas quàm tuum & quod vitæ ſatis ſit. *Pietatem Anſelmus* refert ad proximum, quâ egenti & afflicto condeſcendimus per compaſſionem; alii ad dogmata, quâ Deus ex animo & purâ intentione colitur non affectu mercenario: *fidem* cæleſtia bona quærentem quæ eſt ſine quæſtionibus: *charitatem* non quærentem quæ ſua ſunt: *patientiam* quâ non ſolùm ſuperfluis, verùm etiam neceſſariis æquo animo caremus; *manſuetudinem*, tranquillitatem animi dum non commovemur adverſùs eos qui nos injuriis afficiunt; ut *Luc.* 6. ℣. 30.; ex dilectione quippè manſuetudo oritur ex *Chryſ.*

℣. 12. *Certa bonum certamen fidei, apprehende vitam æternam, in qua vocatus es, & confeſſus bonam confeſſionem coram multis teſtibus.*

Certamen fidei & in his conſiſtit quæ dicta ſunt, & in ferendis utiliter afflictionibus, ù

Cor. 9 ℣. 14. Ac protinùs ſequitur retributio hujus certaminis quod curſu fit, *vita* ſcilicet *æterna*, ùt *Epiſt.* 2. c. 2. ℣. 5. & *Philip.* 3. ℣. 14. Vocatur *certamen* propter difficultates quas qui currit, patitur ab adverſariis tam internis quàm externis, curſum ejus impedire ac bravium intervertere conantibus, *fidei* quia non niſi per fidem vincit ùt 1. *Joan.* 5. ℣. 4.; vel quia hoc certamen pro fide propaganda ſuſceptum erat. Docet hic locus contra ſectarios vitam æternam benè certantibus propoſitam eſſe tanquam præmium, ex *Theoph. In qua*, græcè, *in quam* vel *ad quam vocatus es* & invitatus ab agonotheta Chriſto, qui vitam æternam in hoc ſtadio certantibus præmium propoſuit; intelligitur autem vel interna vocatio, quæ fit per fidem, ſemperque eſt efficax, vel externa quæ fit per miniſtros Evangelii, quam multi non ſequuntur, qualis illa in Evangelio, *Venite ad nuptias. Et confeſſus bonam confeſſionem coram multis teſtibus*, pro quo aliqui verterunt, *profeſſus bonam profeſſionem.* Multipliciter autem hæc pars exponitur. *Uno modo* ſic: habes præclaræ *confeſſionis* tuæ *multos teſtes* tum Epheſi, tum in aliis regionibus qui te fideliter in Evangelii profeſſione verſantem ſpectaverunt. *Alius ſenſus eſt*, Timotheum aliquando in perſecutione, cùm periclitaretur, *coram multis* confeſſum fuiſſe fidem Chriſti, à qua confeſſione, confeſſores olim vocabantur, ita *Chryſ. & Theoph.*; quibus favet quod ſequitur de Chriſti confeſſione. *Tertius ſenſus eſt*, ſermonem eſſe de confeſſione fidei, quam Timotheus fecerat in baptiſmo quâ nimirùm profeſſus erat ſymbolum fidei cum renunciatione ſatanæ & pomparum ejus: ſolet enim ea fidei profeſſio ſolemni ritu fieri multis præſentibus. ex *Dyon. l. de Eccl. Hier. c.* 2., *Aug. l. Confeſſ. c.* 21.

Poſtremus ſenſus eſt de ea confeſſione quam fecerat Timotheus, quando fuit ordinatus à *Paulo* Epiſcopus cum impoſitione manuum Preſbyterii. Hæc erat non fidei confeſſio, ſed profeſſio ac ſponſio miniſterii Evangelici rectè obeundi; fiebatque *coram multis teſtibus*, non ſolùm Epiſcopis qui manus imponebant, verùm & frequenti cœtu fidelium, q. d. ita certa in curſu miniſterii tui, ut *apprehendas vitam æternam ad quam vocatus es*, & cujus gratiâ multis præſentibus hanc optimam feciſti profeſſionem, te fideliter executurum opus Epiſcopale: qui poſtremus ſenſus ùt probabilior & contextui conformior docetur à *S. Thom. Cajet.* *Eſtio* & *Eſpen.*

℣. 13. *Præcipio tibi coram Deo, qui vivificat omnia, & Chriſto Jeſu, qui teſtimonium reddidit ſub Pontio Pilato, bonam confeſſionem:*

Non contentus ſuperiori adhortatione, conteſtationem adjungit. *Præcipio tibi*, inquit, *coram*, ſive in conſpectu & præſentia Dei qui teſtis eſſe poterit me hæc præcepiſſe, & vindex ſi ea non ſerves nempè *mandatum ſinè macula*, de quo ℣. 14. Non dicit, qui videt omnia, ſed *qui vivificat omnia*, quia plus eſt vivificare quàm videre; vivificat autem omnia quæ vivunt, ùt *Act.* 17. ℣. 25.; quo Timotheum ad certamen & pericula perferenda reddit alacriorem, certâ ſpe reſurrectionis, q. d. ne mortem metuas, nam ſervus es Dei, qui poteſt etiam mortuos ad vitam revocare. *Et Chriſto Jeſu*, cujus ùt hominis præſentiam allegat; quia quamvis ſecundùm naturam humanam non ſit ubique, ſecundùm eam tamen omnia quæcumque uſquam aguntur, cognoſcit & videt; & ut eum Timotheo proponat tanquam

exemplar confeſſionis. Qui cùm ſæpè veritatem cujus causâ miſſus erat à Patre, palàm confeſſus apud homines fuiſſet, tandem præſide ac judice *Pontio Pilato* ejuſdem veritatis *confeſſionem* teſtatus eſt, ſive teſtatam fecit, id eſt, martyriò complevit ac conſignavit, quando pro ea veritate crucem & mortem ſuſtinuit. Sicque ad magiſtri provocat imitationem, ùt *Heb.* 12. ℣. 2., ex *Chryſ.*

℣. 14. *Ut ſerves mandatum ſinè macula, irreprehenſibile uſque in adventum Domini noſtri Jeſu Chriſti,*

Mandatum ſinè macula, id eſt, nullâ hæreticâ pravitate infectum: & ſenſus eſt, *ſerva mandatum irreprehenſibile* & inculpatum & immaculatum. Vel refertur ad Timotheum à Græcis ſic. Neque vitæ, neque dogmatum gratiâ aliquid maculæ contrahas, undè meritò reprehendaris, q. d. *ut ſerves* præceptum irreprehenſibile cùm teipſum ſinè macula conſervas, *uſque ad* ſecundùm *adventum Domini noſtri Jeſu Chriſti*, qui veniet manifeſtus cum apparitione & illuſtratione magna & majeſtate judicaturus mundum & redditurus unicuique ſecundùm opera ſuà. Dum dicit Timotheo ut ſervet mandatum uſque in adventum Chriſti, intelligendus eſt præcipere, ut ſervet uſque ad exitum vitæ, nam tunc unicuique veniet dies adventûs Domini, cùm venerit ei dies; ut talis hinc exeat qualis judicandus eſt illo die, ait *Aug. Ep.* 80. *ad H. ſychium*. *Mandatum* autem hic intelligitur collectivè de omnibus præceptis hactenùs datis Timotheo.

℣. 15. *Quem ſuis temporibus oſtendet beatus & ſolus potens, Rex regum, & Dominus dominantium:*

Quem adventum ſive apparitionem, vel *quem*

Chriſtum apparentem, palàm omnibus viſibilem ponet Deus Trinus & Unus, qui naturaliter in ſeipſo & ex ſeipſo *beatus* eſt, quod nulli creaturæ congruit; qui & *ſolus potens* eſt, quia per ſeipſum naturaliter omnia poteſt, *Rom.* 13. ℣. 1.; & ipſe eſt *Rex regum*, quia ſub ejus imperio regnant omnes, quicumque regnant, & *Dominus Dominantium*, quia illi ſerviunt aut volentes, aut inviti, quicumque aliis dominantur; ex *Eſpenc.* & *Eſtio*, qui quærit an etiam Chriſtus ùt homo dici poſſit *Rex Regum* & *Dominus Dominantium.* ℟. affirmativè: ſic enim diſertè vocatur *Apoc.* 17. & 19.; tametſi non eodem modo quo id Deo tribuitur hoc loco. Nam Chriſti regnum & dominium ei datum eſt à Patre, ac Patri ſubjectum manet; & huic cum agnitione ſubjectionis iterum tradendum, juxtà illud 1. *ad Cor.* 15. *Cùm tradiderit regnum Deo & Patri.*

℣. 16. *Qui ſolus habet immortalitatem, & lucem inhabitat inacceſſibilem: quem nullus hominum vidit, ſed nec videre poteſt: cui honor, & imperium ſempiternum: Amen.*

Qui ſolus ex ſe & per naturam *immortalis* eſt, ùt qui ſit eſſentialiter vita. Nam intellectuales creaturæ ùt Angeli & animæ rationales participativè tantùm & per gratiam immortales ſunt, ùt *c.* 1. ℣. 17. *& lucem inhabitat inacceſſibilem*; loquitur non de luce creata, ſed de luce increata, quæ eſt ipſe Deus, 1. *Joan.* 1. ℣. 5. Dicitur inhabitare lucem, ſicut eſt & habitat & permanet in ſeipſo; *lucem* vocat *inacceſſibilem*, quia ad eam videndam nulli hominum patet acceſſus. *Quem nullus hominum vidit, ſed nec videre poteſt.* Propter ſupereminentem claritatem quæ exuperat & reverberat humanum viſum, ait *Anſel.* Quidam hunc locum

exponunt. de viſione quæ ſit oculis corporeis. Alii de viſione comprehenſiva. Alii rectiùs de viſione intellectuali, quâ ſecundùm eſſentiam videtur, etſi non comprehendatur: ut ſenſus ſit, *quem nullus hominum* in hac mortali vita *vidit*, aut videbit unquam, imò *nec videre poteſt*, obſtante videlicet ordinatione divina, ut *Joan. in Evang.* c. 1. ℣. 18. & 1. *Ep.* 4. ℣. 12. Cui ab omnibus debetur honor ſummus tanquam omnium bonorum authori: quique *imperium* habet *ſempiternum*, idemque prorsùs abſolutum & univerſale: cùm reges hujus ſeculi tantùm ad tempus imperent, nec niſi limitatâ & valdè imperfectâ gaudeant poteſtate. *Amen*, q. d. verè ita eſt, vel ſit, ut *Rom.* 16., *Eph.* 3. *Phil.* 4., 2. *Pet.* 3., *Apoc.* 5. & 7.; ex *Aug.*, *Anſel.*, *Thom.*, *Eſpen.*

℣. 17. *Divitibus hujus ſeculi præcipe non ſublime ſapere, neque ſperare in incerto divitiarum, ſed in Deo vivo (qui præſtat nobis omnia abundè ad fruendum)*

Divitibus hujus ſeculi, quos ſic appellat, ut diſtinguat contra juſtos qui verè divites ſunt in divitiis pertinentibus ad futurum ſeculum quos Chriſtus in Deum divites appellat, *Luc.* 11. *Non ſublimè ſapere*, græcè, *ne elato ſint animo:* nihil enim æquè inflat ac elatum reddit animum, ut pecunia & poſſeſſiones; ex *Oecum.* & *Hieron.* Vermem divitiarum ſuperbiam vocat *Auguſt. hom.* 13. *inter* 50., & *ſer.* 5. *de verb. Dom.* Hujus ſuperbiæ ſtultitiam, & ſpei quæ in divitiis ponitur vanitatem, ex ipſa harum *incertitudine* inſinuat Apoſtolus dicens; *neque ſperare in incerto divitiarum.* Stultum eſt enim in re tam caduca & incerta, & quæ ſaltem ipsâ morte relinquenda ſit, ſpem ſuam

ponere: *Sed* potiùs, inquit, ſperent *in Deo vivo* qui nulli mutationi ſubjectus eſt; & fiduciam ſuam in eo ſolo reponant etiam in mediis opibus quas ille dat & aufert quibus & quando voluerit. *Qui præſtat nobis omnia abundè ad fruendum*, ſive ad percipiendum cum lætitia, ùt vox *frui* ex propria ſignificatione ſonat. Non ſentit Apoſt., Deum omnibus omninò hominibus abundanter omnia præſtare, quæ iis neceſſaria ſunt: conſtat enim multos eſſe qui & his indigeant. Sed de communi Dei beneficentia loquitur, quâ affatim præbet ea quibus homines ad vitam opus habent; faciens ſolem ſuum oriri, pluviaſque deſcendere, ſicque terram omni genere frugum & fructuum fæcundans: deniquè ex aëre, terra & aquis animantia ad victum copiosè ſubminiſtrans: ita ut nihil cuiquam deſit, niſi quantum aliorum avaritia alios defraudat, dum ea quæ abundè ſuppetunt, non communicant: ex *Eſtio*.

℣. 18. *Benè agere, divites fieri in bonis operibus, facilè tribuere, communicare*,

Bona operari præcipe, id eſt, ut utantur divitiis non ad faſtum, voluptates &c., ſed ad bona opera quibus adjuventur proximi; ut ſic *diteſcant in bonis operibus*, in Chriſtianis virtutibus, quod fit dum divitiæ erogantur in proximorum neceſſitates, ùt *Luc.* 16. ℣. 9. & *Act.* 9. ℣. 36., & ut *faciles* ac prompti ſint ad *tribuendum*, ùt 2. *Cor.* 9. ℣. 7. & *Pro.* 3. ℣. 28.; ex *Th.* *Communicare*, græcè, ut *communicativi ſint*, id eſt, pares ſuos mortales agnoſcant, ait *Aug. ſerm.* 5. *de Verb. Dom.*; vel ut ſua aliis communicent, ùt *Rom.* 12. ℣. 13., *Heb.* 13. ℣. 16., 2. *Cor.* c. 8. ℣. 4. & c. 9. ℣. 1., *Gal.* 6. ℣. 6. & *Phil.* 4. ℣. 14., id eſt, habeant divitias ſicut communes, ex *Thom. Cajet.* & *Eſtio*.

℣. 19. *Theſaurizare ſibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant veram vitam.*

Præcipit divitibus, ut ſtudeant abundare bonis operibus, ita futurum ut pro theſauro pecuniarum ſpiritualem theſaurum ſibi colligant ac recondant, videlicet cumulum meritorum quæ ſunt *fundamentum* futuri ædificii quod nobis præparatur in cœlo, ex *Thom.* Dixit *veram vitam*, non enim alia vera vita quàm æterna, quin alia quæcumque potiùs mors dicenda quàm vita, ex *Greg. hom.* 37. *in Evang.*; & nota contra hæreticos *veram vitam apprehendi* per bona opera, ex *Heſſel.* poſt *Chryſ.*, *Auguſt.*, *Hieronym.*

℣. 20. *O Timothee, depoſitum cuſtodi, devitans profanas vocum novitates, & oppoſitiones falſi nominis ſcientiæ,*

Depoſitum, inquit, id eſt, præceptum Dei quod tibi per me propoſuit; aut gratiam ſpiritûs, quam per ordinationem accepiſti, *cuſtodi*: ex *Oecum.* Sed meliùs fidei doctrinam *cuſtodi*, nec locum relinquas ulli peregrino dogmati. Nomine enim *Depoſiti* metaphoricè rectiùs ſignificatur doctrina ſucceſſori credita, ac per manus tradita: quomodo depoſitum pecuniarum tradi & credi ſolet amico. Hinc 1. patet, traditiones ſive ſcriptas ſive non ſcriptas quæ ſunt in Eccleſiæ depoſito, ad doctrinam Chriſtianam pertinere: neque enim ſolas ſcripturas apud Timotheum depoſuerat, ſed doctrinam ſanam vivâ voce ei tradiderat: 2. Epiſcopos eſſe doctrinæ cuſtodes ac velut depoſitarios, qui proindè nec minuere nec addere quidquam poſſint; ex *Baſil.* ut habetur *Hiſt. Trip. l.* 7. *c.* 36. Hujus depoſiti iterùm meminit Apoſt. in 2. *Epiſt.* c. 1. ℣. 14.; c. 2. ℣. 2. & c. 3. ℣. 14. *Devitans pro-*

ſanas vocum novitates, non quaſcumque, ſed *profanas novitates* quæ vox magis directè opponitur *depoſito*. Si legas *inanitates*; ſenſus erit, notari quorundam futilem & inanem loquacitatem, eamque profanam, id eſt, impuram & pietati noxiam, ita Græci. Si *novitates*, intelligas aut vocabulorum, aut rerum ſignificatarum, aut vocum & rerum ſimul: ideò dixit *profanas*, id eſt, à vera pietate remotas, quales parturiebat ſchola Simonis Magi de Deo, mundo, cœlis, Angelis, de quibus *Iren. & Epiph.* Sunt & hodiè profanæ vocum novitates ab hæreticis excogitatæ velut fides ſpecialis, juſtitia imputativa, ſervum arbitrium, impanatum Chriſtum, &c. Non ſunt autem *profanæ vocum novitates* quandò docendi gratiâ, rebus ab initio creditis vocabula accommodantur, ut *conſubſtantiale*, *Theotocos*, *tranſſubſtantiatio*, &c. nam etſi nova ſunt vocabula, res tamen neque novæ ſunt neque profanæ; ex *Hil. lib. cont. Conſtant.* & *Aug. ſup. Joan. tract.* 97. Deniquè monet Apoſtolus Timotheum, ut devitet atque rejiciat *oppoſitiones* ſeu objectiones & argumenta, quæ ex hujuſmodi *falſi nominis ſcientiis* depromebantur. Hic notari Gnoſticos ab Apoſtolo putant Græci; vel Judaïzantes, ex *Cajet.*, *Eſpen.*, *Eſtio.*

℣. 21. *Quam quidam promittentes, circa fidem exciderunt. Gratia tecum. Amen.*

Promittentes, rectiùs *profitentes*. Cujuſmodi ſcientiam dum profitentur, ac docti & ſapientes haberi ſtudent, ab integritate fidei velut à ſcopo aberrarunt. *Gratiam* more ſuo in fine precatur, ut permaneat in æternum, ex *Hier.*

IN SECUNDAM

EPISTOLAM B. PAULI APOSTOLI

Ad Timotheum.

ARGUMENTUM.

Hanc ab urbe Roma ſcribit: occaſio verò Epiſtolæ hæc fuit: dixerat in priori, ſpero me brevi venturum: non potuit autem proficiſci: jam enim tenebatur à Nerone, opus ergò fuit, ut pro præſentia literas ſaltem mitteret & conſolaretur eo quòd non veniret, ſimul ut confirmaret in Eccleſiæ cura detentum, ut vigilaret adversùs hoſtes fidei, quales multos Eccleſiam invaſuros prædicit, prænuntians obitum ſuum inſtare, & eum ad ſe cum Marco venire jubet.

CAPUT I.

Laudat in Timotheo fidem non fictam; monet ut gratiam Dei in ſe reſuſcitet & confidenter Evangelium annunciet. Notat quoſdam qui à ſe defecerant; Oneſiphori fidem commendat.

℣. 1. *Paulus Apoſtolus Jeſu Chriſti per voluntatem Dei, ſecundùm promiſſionem vitæ, quæ eſt in Chriſto Jeſu:*

APoſtolatum ſuum voluntati & electioni Dei adſcribit, non ſuis meritis, ex *Hier.* ut ad *Cor. Epheſ. & Col.*; ſimul materiam ac finem ſuæ legationis declarat; q. d. Deus ab initio conſtituit ac promiſit ſe vitam æternam hominibus daturum per Chriſtum, atque ejus promiſſionis annunciandæ me legatum ac miniſtrum eſſe voluit: quâ ſpe Timothei animum erigit, ex *Chryſ.*

℣. 2. *Timotheo chariſſimo filio, gratia, miſericordia, pax à Deo patre, & Chriſto Jeſu Domino noſtro.*

Subintellige, *ſcribit hanc Epiſtolam.* Eadem quæ in *priori Epiſtola*, Timotheo in hac precatur; ſupplendum eſt enim, *tibi ſit*, aut *multiplicetur.* Apoſtolus ſicut omnia Dei beneficio meritus eſt, ſic omnia Dei beneficia memorat & aliis exoptat, ait *Eſpen.*

℣. 3. *Gratias ago Deo, cui ſervio à progenitoribus in conſcientia pura, quòd ſinè intermiſſione habeam tui memoriam in orationibus meis, nocte ac die*

Cui ſervio, græcè *quem colo.* Hunc verſum quidam ſic exponunt. Quem à prima ætate uſque nunc colo velut *à Majoribus* acceptâ & transfusâ religione; colo, inquam, & colui cum *pura* & ſincera *conſcientia*; quia, quamvis perſecutus ſim aliquando Eccleſiam Dei, nunquam tamen aliud aut docui aut feci quàm conſcientia mihi dictaret. Alii cenſent puram conſcientiam dici non poſſe, niſi quæ cum Chriſtiana juſtitia conjuncta ſit; & ideò quod hìc dicitur, reſtringunt ad tempus ex quo *Paulus* Chriſtianus factus eſt. Et hunc ſenſum reddunt. Quem colo eâdem religione quâ pater & mater, ex Anſel.; vel quâ majores ac proavi mei nempè Abraham, Iſaac, & Jacob coluerunt; idque facio rectâ, purâ ac ſincerâ coram Deo conſcientiâ. Senſum utrumque probabilem dicit *Eſtius*, attamen priorem qui Græcorum eſt, præferendum videri, ſi reſpiciamus ad alia ſcripturæ loca, quæ ſunt *Gal.* 1. ℣. 14., *Act.* c. 23. ℣. 1., c. 24. ℣. 16., c. 26. ℣. 4. & *ad Phil.* 3. ℣. 5. & 6. Deindè notandum, *Paulum* Evangelii causâ graves apud Judæos paſſum calumnias tamquam qui primam Religionem deſeruiſſet, legemque & inſtituta Majorum convelleret; ex quo contingebat ut quibuſdam neo-converſis à Judaïſmo inviſus foret. Huic accuſationi occurrit & duo dicit: *alterum*, ſe non eſſe deſertorem avitæ religionis; *alterum*, ſe non eſſe veteratorem aut hypocritam, ſed animo ſincero, & non fucato converſatum coram Deo & hominibus; etſi non ſecundùm ſcientiam: qui proindè nunc divinâ revelatione

meliùs inſtructus & ad Apoſtolatum vocatus ob ipſam priſtinæ converſationis ſinceritatem dignus exiſtimandus eſt cui fides habeatur. *Gratias*, inquit, *ago Deo* meo, quòd quoties ad eum preces fundo, toties *tui ſum memor* ac pro te oro, ita *Ambroſian.*; vel *nocte ac die ſinè intermiſſione gratias ago Deo* pro te filio mihi chariſſimo; qui mihi in Evangelio tam diligenter ac ſincerè coöperaris, ùt 1. *Theſſ.* 3. ℣. 10. 1. *Tim.* 5. ℣. 5. & *Rom* 1. ℣. 9.

℣. 4. *Deſiderans te videre, memor lachrymarum tuarum, ut gaudio implear,*

Deſiderans te videre, ut gaudio replear in his vinculis. Non ſolùm *Pauli* neceſſitas ſed & Timothei in ipſum pietas & amor quem in diſceſſu lachrymis teſtatus fuerat (ùt *Act.* 20. ℣. 37. leguntur omnes Presbyteri feciſſe, quorum præcipuus erat Timotheus) *Paulum* monet, ut eum apud ſe eſſe & ejus præſentiâ frui velit.

℣. 5. *Recordationem accipiens ejus fidei, quæ eſt in te non ficta, quæ & habitavit primùm in avia tua Loïde, & matre tua Eunice, certus ſum autem quòd & in te.*

Tui, inquit, mentionem feci in precibus meis admonitus tum lachrymis, tum fide non ſimulatâ; hoc dicit propter falſos fratres, qui inter multos fidem Chriſti profitebantur non ſincerè. Aliud encomium quod neque ex Græcis à materno genere ortus erat, ſed ex Judæis qui etiam in Chriſtum credebant. Porrò cùm pater ejus Græcus eſſet, metu Judæorum circumciſus eſt; ex *Oecum.* *Certus ſum*, id eſt, pro certo novi, non certitudine fidei, ſed morali, *quòd & in te* habitet eadem fides non ficta; ex *Chryſ.*; ſincera, vera, operibus probata, ex *Ambr.*

℣. 6. *Propter quam cauſam admoneo te ut reſuſcites gratiam Dei, quæ eſt in te per impoſitionem manuum mearum.*

Quia fidem à bonis parentibus velut hæreditario jure poſſides, & tam bonus hucuſque fuiſti ut non poſſis auferri de memoria cordis mei *admoneo te*, ut prædicando exerceas officium Epiſcopale, quod accepiſti, quando tibi manus in ordinatione tua impoſui, quod quaſi mortuum eſt in te timore martyrii, ita *Anſel.* & *Eſpen.*

℣. 7. *Non enim dedit nobis Deus ſpiritum timoris: ſed virtutis, & dilectionis, & ſobrietatis.*

Quòd dicit *Nobis*, aliqui referunt ad omnes Chriſtianos quaſi Apoſtolus hîc ùt ad *Rom.* 8. ℣. 15., diſtinguat quibuſdam effectibus Vetus Teſtamentum à Novo. Verùm hic ſenſus parùm confert ad probandum id quod præcedit: non enim ex dono omnibus Chriſtianis communi docetur, quid ſit donum Epiſcopo proprium. At neque congruit hic locus cum eo ad *Rom.* 8.; nam ibi ùt & 1. *Joan.* c. 4. ℣. 18., ſermo eſt de timore ſervili: hìc verò timor humanus ſeu mundanus intelligitur, qui efficit ut quis refugiat & vereatur facere quæ ſunt ſui muneris; de quo etiam *Matth.* 10. ℣. 26., 28. & 31. agitur. Ut ſenſus ſit: Spiritus quem *nobis* Epiſcopis & Evangelii miniſtris *dedit Deus*, non eſt *Spiritus timoris* quo perſequentibus cedamus; cujuſmodi à Deo dari non poteſt. *Sed* eſt ſpiritus *virtutis*, qualis Apoſtolis *Luc.* 24. ℣. 49. & *Act.* 1. ℣. 8. promiſſas & *Act.* 2. data legitur. Sic hunc locum *S. Thom.* intellexit, adducens in confirmationem 1. *Cor.* 2. ℣. 12. *Virtuti* Apoſt. addidit *dilectionem* & *ſobrietatem*: dilectionem quidem quâ

non quæ ſua ſunt, ſed quæ Jeſu Chriſti quærit Eccleſiæ præfectus: quod donum in Timotheo commendat ad *Phil.* 2. ℣. 20. & 21. *Sobrietatem* verò quâ ſeculi cupiditates & delicias fugiat, ne iis inebriatus ab officio ſuo deterreatur; vel quâ moderatè ferat quæcumque accidunt, adverſa ſive proſpera. *Spiritum* autem dicit donum more ſcripturæ, quo Spiritui S. ea quæ largitatis divinæ ſunt, appropriari ſolent: ùt *Luc.* 24., *Act.* 1., & 1. *Cor.* 2.; ita *Eſtius.*

℣. 8. *Noli itaque erubeſcere teſtimonium Domini noſtri, neque me vinctum ejus: ſed collabora Evangelio ſecundùm virtutem Dei:*

Multi diſpenſationis divinæ myſterium juxta rationes humanas inveſtigantes ignominiam eſſe dicunt, ſi Dei filium crucifixum eſſe prædicarent, ignorantes quid præſtitum ſit per crucem & mortem Domini: te igitur non pudeat, inquit, *teſtimonii Domini noſtri*, id eſt, per liberam prædicationem & confeſſionem paſſionem & mortem Chriſti prædicare, nec te pudeat quòd eum *qui vinctus eſt*, habeas præceptorem: ſi enim Chriſtus ob crucem non erubuit, neque ego ob vincula. *Sed collabora*, græcè & ſyriacè, *ſimul patere mala cum Evangelio*, id eſt, particeps eſto afflictionum quas *Evangelium* ſeu qui illud prædicant, patiuntur: *ſecundùm virtutem*, ſeu potentiam Dei, quæ in te eſt à Deo; vel quâ Deus in te operatur, & quâ adjuvat ſuâ causâ laborantes, ait *Hier.*

℣. 9. *Qui nos liberavit, & vocavit vocatione ſuâ ſanctâ, & non ſecundùm opera noſtra, ſed ſecundùm propoſitum ſuum, & gratiam, quæ data eſt nobis in Chriſto Jeſu ante tempora ſecularia.*

Qui nos liberavit, id eſt, cùm periiſſemus,

alvos fecit donando fidem & pœnitentiam ac emiſſionem peccatorum & adoptionem filiorum, quæ ſunt initia ſalutis; & ad hanc ſalutem *vocavit nos vocatione ſanctâ*, ſive quâ nos anctificat, eſt enim efficax vocatio Dei; ſive quâ *nos vocavit* in ſanctificationem, 1. *Theſ.* 4. 3. *Non ſecundùm opera noſtra*; non quòd neget Apoſt., ſalutem æternam eſſe ex operibus, cùm paſſim doceat, Deum redditurum unicuique ſecundùm opera ſua *Rom.* 2. ℣. 6. 2., *Cor.* ℣. 10. *& alibi* ùt 1. *Tim.* 6. ℣. 19.; ſed totam ſalutem cujus initium eſt ex fide, negat eſſe ex operum merito; quia ipſa etiam bona opera quibus ad vitam æternam provehimur, ſub illa ſalute quæ tota à Deo eſt, comprehenduntur. Hinc ſtatuitur illud à Patribus ſub anathemate definitum, gratiam Dei non dari ſecundùm merita noſtra: ſtatuitur & illud connexum, prædeſtinationem noſtram non eſſe ex meritis, ſed ex mero beneplacito gratiæ Dei; prout hìc ſequitur. *Sed ſecundùm propoſitum ſuum & gratiam* Dei; propoſitum intelligit præviam & æternam Dei voluntatem ſeu decretum, quam alibi prædeſtinationem vocavit, ùt *Rom.* 8. ℣. 28. & 29. Porrò *gratiam* intelligit non creatam quæ in nobis eſt, hæc enim effectus eſt prædeſtinationis, ſed gratiam increatam, id eſt, gratuitam Dei beneficentiam quam ℣. 10. dicit manifeſtatam per adventum Chriſti, quamque miſericordiam vocat *Tit.* 3. ℣. 5.; igitur hoc nomen *gratiæ Propoſito* addit rationem gratuiti, q. d. ſecundùm propoſitum ſuum quo gratis ac præter omne meritum noſtrum conſtituit nos ſalvos facere. *Quæ* gratia ſeu miſericordia quoad effectus ſuos nobis *per Chriſtum data*, id eſt, intuitu meritorum Chriſti præparata eſt *ante tempora ſecularia* ſive ab æterno, ùt *Epheſ.* 1. ℣. 4. & 5.; ita *Eſtius*, & *Eſpenc.*

℣. 10. *Manifeſtata eſt autem nunc per illuminationem Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, qui deſtruxit quidem mortem, illuminavit autem vitam & incorruptionem per Evangelium:*

Ea gratia nobis ab æterno præparata hoc demum tempore palàm facta eſt *per illuminationem*, græcè, *per adventum Chriſti Salvatoris noſtri*, prædicantibus Apoſtolis mundo declaratum: agnita quidem fuit ea gratia ante Chriſtum à patribus antiquis qui per fidem Deo placuerunt, ſed obſcuriùs; neque tunc mundo patefacta eſt, ſed paucis. De hac manifeſtatione plura ſunt ad *Epheſ.* 3. *Qui deſtruxit quidem mortem*, id eſt, qui paſſione & morte ſuâ promeruit nobis apud Deum perfectam noſtræ mortis abolitionem per beatam reſurrectionem; intellige etiam peccatum deſtructum, quod eſt mortis temporalis & æternæ cauſa. *Illuminavit autem*, ſeu, in lucem protulit & manifeſtavit *vitam* incorruptibilem & immortalem, ac certam ejus ſpem nobis attulit *per Evangelium* quod prædicari voluit: ex *Chryſ.*; in quo denudantur quæ in lege velabantur, ait *Eſpenc.*

℣. 11. *In quo poſitus ſum ego prædicator, & Apoſtolus, & magiſter Gentium.*

Ad quod Evangelium promulgandum ego præco conſtitutus ſum à Chriſto; quodque amplius eſt, ipſius Chriſti ad eam rem *Apoſtolus* ſeu legatus; ac *Gentium* doctor, id eſt, præcipuè miſſus ad Gentilem populum docendum, ut *Act.* 22. ℣. 21. & *Gal.* 2. ℣. 8.; *Poſitus ſum*, inquit Apoſtolus, ut doceat quòd hanc dignitatem non ſibi aſſumpſerit: ùt *Heb.* 5. ℣. 4., ſic *Eſpenc.*

℣. 12. *Ob quam cauſam etiam hæc patior, ſed non confundor. Scio enim cui credidi, & certus ſum quia potens eſt depoſitum meum ſervare in illum diem.*

Ob quam cauſam ſcilicet quia præco ſum & Apoſtolus *hæc patior*, q. d. non tanquam maleficus vincior & ad carceres trahor; *Attamen non confundor*; non me pudet vel officii mei vel vinculorum. Proindè & tu meo exemplo noli erubeſcere teſtimonium Domini noſtri, neque me vinctum ejus. *Scio* enim, inquit, *cui credidi*, quàm ille magnus ſit Dominus, quàm *potens* & quàm verax in promiſſis: vel meliùs *novi eum cui credidi*, atque commiſi *depoſitum* meum ſervandum: *& certus ſum* & ſecurus quòd *potens* ſit illud cuſtodire & *ſervare* inviolatum *in diem* adventûs Chriſti Filii ſui qui dies eſt perfectæ retributionis. *Depoſitum* Græci, Latinique dupliciter accipiunt, ſive quod quis apud me depoſuit, ſive quod ego apud illum: & ſic depoſitum quidam intelligunt animam, ſalutem, & incolumitatem, ùt 1. *Pet.* 4. ℣. 19. & *Sap.* 3. ℣. 1. Alii, ùt *Chryſ.*, fideles quos *Paulus* Chriſto lucrifecerat eidemque conſignaverat velut depoſitum, ùt *Act.* 20. ℣. 32. Alii officium Evangelicæ prædicationis, quod ſibi ſervari ſperat, dum pro eo fideliter & perſeveranter adminiſtrato mercedem expectat à Deo: alii bona opera facta cum ſpe retributionis æternæ; per hoc enim quaſi deponuntur à nobis apud Deum, ut ea recipiamus quod ſit, dum fructum eorum recipimus, ſcilicet præmium vitæ æternæ, ùt *Eccleſ.* 9. ℣. 1. Alii mercedem operum quæ quidem dicitur deponi apud Deum quatenùs homo non ſtatim accipit mercedem poſtquam operatus fuit, ſed patienter expectat tempus retributionis, quæ tandem plena reddetur in die judicii, ùt *infrà cap.* 4. ℣. 8. ſic *Hier.*, *Eſtenc.*

& *Eſtius.*; qui præfert duas poſtremas expoſitiones ùt maximè probabiles, quæ in eumdem ferè ſenſum concurrunt.

℣. 13. *Formam habe ſanorum verborum, quæ à me audiſti in fide & in dilectione in Chriſto Jeſu.*

Tranſit Apoſt. ad aliam exhortationis partem, quæ eſt de doctrina, monetque Timotheum, ut menti ſuæ impreſſam habeat *formam ſanorum verborum*, eamque imitetur & faciat ſecundùm illam veluti exemplar quod propoſuit, per quæ, ùt græci aiunt, non ea tantùm ſervari jubet quæ ſcripto mandaverat, ſed quæ ore ad eos locutus fuerat, ùt notat *Gaig.* Dubium eſt utrùm hæ voces *in fide & in dilectione* referantur ad verbum *audiſti*, hoc ſenſu *quæ à me audiſti* cum fide & charitate Chriſtiana, id eſt, non ſolùm fidem adhibens meis ſermonibus, ſed & charitatis affectum adjungens. An verò pertineat ad hæc, *formam habe ſanorum verborum in fide* &c. ut vel hic ſit ſenſus. Habeto formamSanæ doctrinæ, quæ verſatur circa fidem & dilectionem Chriſtianam; vel formam ſanæ doctrinæ retine cum fide & dilectione quæ præſtabunt ut ab illa forma non recedas; ex *Hier.* Medium ſenſum, ait *Eſtius*, tradunt plerique, tametſi & reliqui duo probabiles ſint.

℣. 14. *Bonum depoſitum cuſtodi per Spiritum ſanctum, qui habitat in nobis.*

Depoſitum aliud hìc intelligit quàm ℣. 12. illud ſcilicet de quo Timotheum *in priori Epiſt.* c. 6. ℣. 20. admonuerat: quod aliqui intelligunt, vel fidem vel gratiam cum Epiſcopi dignitate ſuſceptam, vel etiam Eccleſiam tibi commiſſam; ſed rectiùs & contextui conformiùs *depoſitum* his duobus locis ſignificat doctrinam ſucceſſori creditam & commen-

datam, q. d. Bonam ſeu ſanam doctrinam integram ſerva & tutare ab incurſu luporum, ex *Gaig*. Et quià difficile eſt ſacrum illud depoſitum inter tot humanarum opinionum varietates ac Satanæ fraudes, integrum & illibatum cuſtodire, propterea modum adjicit quo id faciat, q. d. Non id humanæ facultatis eſt, ſed Spiritus ſanctus per gratiam ſuam præſtabit ut facias, ùt *cap. ſequenti* ℣. 7. Quod addit: *qui habitat in nobis*, vel ad totam Eccleſiam refertur quam inhabitans Spiritus ſanctus efficit ut depoſitum in ea ſervetur: vel potiùs ad Eccleſiæ Præfectos quorum miniſterio idem depoſitum per Spiritum ſanctum eis promiſſum in Eccleſia conſervatur; *ex Eſp n. & Eſtio.*

℣. 15. *Scis hoc, quòd averſi ſunt à me omnes qui in Aſia ſunt, ex quibus eſt Phigellus, & Hermogenes.*

Afflictiones commemorat non ut diſcipulum reprehendat, ſed ut doceat ad ſimilia fortiter tolerandum, eumque confortet, ne fortè hâc defectione auditâ perturbetur. Nam cùm à Nerone comprehenſus eſſet, dereliquerunt eum amici qui erant, *in Aſia*, vel ùt Græci exponunt, *ex Aſia*: multi enim Romæ erant qui ab Aſia ſecuti erant *Paulum*. Quomodo autem illi *averſi ſint*, an deſerendo etiam fidem, an ſolam perſonam, non expreſſit: veroſimile eſt autem de ultima tantùm defectione loqui Apoſtolum; tametſi fidei defectionem facilè aliam conſequi ſoleat. *Ex quibus eſt Phigellus & Hermogenes*: quos duos nominatim *Paulus* non notaret niſi præ ceteris in ipſum aſperi fuiſſent & calumnioſi. An autem Hi peregrini alicujus dogmatis authores fuerint, non planè conſtat: ex *Eſpen. & Eſtio.*

℣. 16. *Det miſericordiam Dominus Oneſiphori domui : quia ſæpè me refrigeravit, & catenam meam non erubuit :*

Animadverte ejus ſtudium. Non execratur eos qui reliquerant, ſed ſolùm narrat quæ ab ipſis fiebant; ei verò qui opem tulit, multa bona precatur, nec ſoli ipſi, ſed & familiæ ipſius; adeò probi erant, & ita *Oneſiphorus* eos inſtruxerat. *Quia ſæpè me refrigeravit*, id eſt, *refocillavit*, velut athletam aliquem ſqualore ac fatigatione à luctâ occupatum. Nec puduit illum vinculorum meorum ſicut ceteros Aſianos, nec periculum metuit (à Nerone furente adversùs *Paulum*, quòd quondam è domeſticis ſuis in fide inſtruxiſſet) nec infamiam, ut me juvaret, ex *Oecum.*

℣. 17. *Sed cùm Romam veniſſet, ſolicitè me quæſivit, & invenit.*

Uſque adeò de catena mea non erubuit, ut *cùm* hic *Romæ eſſet* & captivum me Chriſti nomine teneri intelligeret, ſuâ ſpontè & ſtudiosè me quæreret, nec conquieſceret donec inveniſſet : nam non unus tantùm carcer erat eorum qui ſiſtendi eſſent ad tribunal Cæſaris, ſed complures; & permiſſum fuerat *Paulo* manere ſolum cum cuſtodiente ſe milite *Act. ult.* ℣. 16.

℣. 18. *Det illi Dominus invenire miſericordiam à Domino in illa die. Et quanta Epheſi miniſtravit mihi, tu meliùs noſti.*

Det illi Oneſiphoro qui tam miſericors in me fuit, *Dominus* Chriſtus *invenire miſericordiam à Deo Patre in illa die* judicii de qua ſæpiùs cogito, ita *Anſel.*; vel *det illi Dominus à Domino*, id eſt, à ſeipſo *invenire miſericordiam*; & eſt He-

naïſmus, ùt *Gen.* 19. ℣. 24. & *Iſa.* 8. ℣. 18. Optat autem Apoſt. Oneſiphoro *miſericordiam*, in hac vita inchoandam per remiſſionem peccatorum & meritorum augmentum, & *in illa di* benignâ Chriſti judicis ſententiâ complendam & coronandam. Et quàm fuerit in miniſterio officioſus, & quàm multis *miniſtraverit Epheſi*, *tu meliùs noſti*, quàm illa quæ ſcribo; nam illa vidiſti, & conſentaneum erat, ipſum maximè noſſe beneficia ſibimet impenſa; ex *Eſpen.* & *Eſtio.*

CAPUT II.

Monet Timotheum ut laboret in Evangelio, contentiones vitet: in magna Dei domo eſſe diverſi generis vaſa, & quæ fugere, quæ ſectari debeat.

℣. 1. *Tu ergò fili mi confortare in gratia, quæ eſt in Chriſto Jeſu:*

Hortatur ut abjectâ omni timiditate & pudore fortiter agat & perſiſtat in ſuſcepto munere, idque faciat innixus auxilio gratiæ *quæ eſt* per Chriſtum data, facta & collata, ait *Eſpen.*

℣. 2. *Et quæ audiſti à me per multos teſtes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt & alios docere.*

Explicat quid *Cap. præc.* & *in priori Epiſtola* vocavit *depoſitum*, id eſt, doctrinam Chriſtianam à ſe traditam & concreditam Timotheo, atque ab eo aliis porrò commendatam: doctri-

nam, inquit, quam *per multos teſtes*, vel in præſentia multorum qui teſtes eſſe poſſunt, me docente *audiviſti*; tu fac, docendo tradas & commendes aliis hominibus, pari fide hoc depoſitum tractaturis. Hic nota, *quæ à me audiſti*, non quæ ſcripto tradidi aut literis conſignavi, ut intelligas ſanam doctrinam verbo magis quàm ſcripto tradi ſolitam ab Apoſtolis. Præcipit autem iis commendari *qui ſint idonei*, ut alios doceant. Hoc enim Epiſcoporum & Presbyterorum eſt officium non laïcorum, ùt notat *Theoph. & Eſpen.*

℣. 3. *Labora ſicut bonus miles Chriſti Jeſu.*

Quidquid Evangelii causâ laborum & periculorum occurret, forti feras animo tanquam ſtrenuus *miles* ſub Imperatore *Chriſto* qui te caſtris ſuis præfecit, ùt 1. *Ep.* c. 1. Papæ quanta dignitas regis regum Jeſu militem eſſe: ait *Eſpen.*

℣. 4. *Nemo militans Deo implicat ſe negotiis ſecularibus: ut ei placeat, cui ſe probavit.*

Ea lex militum & conditio, ut ſimul atque militiæ nomen dederint, omnes alias actiones quibus anteà ſeſe occupabant, abjiciant, ùt familiæ adminiſtrationem, mercaturam, agriculturam: nec aliud jam quàm bellum, arma, victoriam cogitent; *ut placeat ei* qui ipſum in militem delegit. Ex qua comparatione Apoſt. deducit, militem Chriſti, id eſt, Chriſtianum & præcipuè Epiſcopum & presbyterum qui peculiari ratione Chriſti ſervitio adſcripti ſunt, debere omnia negotia officio ſuo aliena, à ſe removere. Hinc probatur, clericis non licere exercere mercaturam, & negotia ſecularia: ex *Hier.* Implicat ſe qui nullâ vel pietate vel authoritate vel neceſſitate res alienas aſſumit, ait *S. Thom.*

℣. 5. Nam & qui certat in agone, non coronatur niſi legitimè certaverit.

℣. 6. Laborantem agricolam oportet primùm de fructibus percipere.

Hoc, inquit, conſidera non coronari nec præmio donari athletam, niſi leges omnes certaminis ſuſcepti ſervaverit: neque enim ſatis eſt quomodocumque certaſſe, ſed *legitimè* certandum eſt ſecundùm leges à Deo præſcriptas, & à me dudùm tibi propoſitas, ut coronam immortalitatis accipias. *Oportet*, inquit, *agricolam laborantem*, id eſt, eum qui non ſegnis fuerit, ſed in opere terræ colendæ aſſiduus, eſſe *primum* in percipiendis agri ſui fructibus; idque lege quâdam naturæ quâ primi fructus debentur cultori: ſic & Epiſcopus ſi in eo certamine & in cultura agri dominici laboraverit, coronam accipiet, & in præmio percipiendo primus ac præcipuus erit, & quaſdam fructuum laboris ſui primitias à Deo recipiet: vel *oportet agricolam* priùs laborare, ac poſteà fructum capere, ſic & Epiſcopum; ita poſt *Greg. Anſel. & Eſpen.* Sunt qui hunc locum explicant de neceſſaria & debita ſuſtentatione, ùt 1. *Cor.* 9. ℣. 10.; Quod præter mentem Apoſtoli eſſe, dicit *Eſtius*; quia *hoc loco* Timotheum ſpe cæleſtium præmiorum hortatur & animat ad labores.

℣. 7. Intellige quæ dico: dabit enim tibi Dominus in omnibus intellectum.

Quoniam omnia dixerat in parabolis quæ de milite erant, de athleta, & de agricola: ait nunc *intellige*, ſeu conſidera *quæ dico*, cujus causâ dicam, ut & intelligas ùt oportet, & cetera facias ùt oportet, ita *Oecum. Dabit enim Dominus in omnibus* quæcumque cognitu neceſſaria ſunt, *intellectum*, ſi ſcilicet debitè petat, juxtà illud *Joan.* 16. *Petite, & accipietis.* Sic David

Pſal. 118. precatus eſt, *da mihi intellectum*, & audivit, ùt teſtatur *Pſal.* 31. *Intellectum tibi dabo.* Hìc autem obſerva quemadmodùm ſibi reſpondeant præceptum & gratia. Præceptum enim eſt, *intellige.* Gratia verò, *dabit tibi Dominus intellectum*: ne videlicet quis ſperet aliundè, ſe præceptum ùt oportet, impleturum niſi ex dono Dei; ex *Auguſt. l.* 2. *cont. duas Epiſt. Pelag. cap.* 10. Vel per *intellectum* intelligit ſpiritum diſcretionis & intelligentiæ, ex *Eſpen.*

℣. 8. *Memor eſto Dominum JESUM CHRISTUM reſurrexiſſe à mortuis ex ſemine David, ſecundùm Evangelium meum,*

Tranſit ad doctrinam fidei, propter hæreticos qui inter alia dogmata reſurrectionem mortuorum detrahebant dicentes, reſurrectionem eſſe jam factam, contrà quos latè diſſerit Apoſt. 1. *Cor.* 15. Eam verò fidem ut ſtabiliat, inculcat veritatem reſurrectionis Jeſu Chriſti, ut per eam velut exemplar oſtendat, etiam omnium noſtrûm qui Chriſti membra ſumus, futuram aliquando reſurrectionem. *Ex ſemine David*, hoc refertur per hyperbaton ad verba *Dominum Jeſum*: ut ſenſus ſit, memento Chriſtum verè, ex progenie David hominem factum, verè reſurrexiſſe, ſicut pro nobis & natus & mortuus eſt *ſecundùm Evangelium*, quod prædico, ùt 1. *Cor.* 15. ℣. 1., *meum*, inquam, quod prædicavi, ùt notat *Eſpen.*

℣. 9 *In quo laboro uſque ad vincula, quaſi malè operans: ſed verbum Dei non eſt alligatum.*

In quo laboro, id eſt, cujus Evangelii causâ patior afflictiones & perſecutiones *uſque ad* carcerem & *vincula quaſi* maleficus quidam & facinoroſus: ego quidem vincula patior, *ſed*

verbum Dei vinculis non aſtringitur. Corpus meum ligatum eſt, ſed lingua quâ Evangelium prædico, non eſt ligata: & ſi ego impediar, per alios Chriſtus prædicatur; de quo ſe gaudere teſtatur *ad Phil.* c. 1. ℣. 18. ex *Chryſoſt.*

℣. 10. *Ideò omnia ſuſtineo propter electos, ut & ipſi ſalutem conſequantur, quæ eſt in Chriſto Jeſu, cum gloria cæleſti.*

Propter hoc, ut ſcilicet verbum Dei currat & clarificetur, *omnia ſuſtineo*, nullum refugio laborem; idque *propter electos*, id eſt, eos qui ad ſalutem ab æterno ſunt à Deo prædeſtinati. *Et*, aut redundat, aut alios *Paulo* conjungit, q. d. *Omnia ſuſtineo* non ſolùm meæ ſeu noſtræ ſalutis causâ, qui jam fideles ſumus, ſed & aliorum electorum, nominatim eorum qui adhuc adducendi ſunt ad ovile Chriſti non ſinè noſtris laboribus & periculis, *ut & ipſi* nobiſcum *ſalutem conſequantur*, *quæ eſt in*, ſeu *per Chriſtum Jeſum*, non qualemcumque, ſed quæ conjuncta eſt *cum* æterna ac *cæleſti gloria* beatæ immortalitatis, cujus unà cum Chriſto participes erunt? ex *Eſtio.* & *Eſpen.*

℣. 11. *Fidelis ſermo: Nam ſi commortui ſumus, & convivemus:*

Hoc quod dico de ſalute electorum, de participatione gloriæ cœleſtis, *fidelis ſermo*, ſeu res eſt indubitata. *Nam ſi* cum Chriſto *mortui ſumus*, hoc eſt, ſi imitatione mortis ejus ita vitiis mortificati ſumus in baptiſmo, ut ultrà jam non vivamus in eis: *& convivemus*, id eſt, etiam cum illo vivemus in æterna beatitudine, ita *Anſel.* ùt *Rom.* 6. ℣. 8. & 2. *Cor.* 4. ℣. 10. Vel cum eodem ſuſcitato reſurgemus, ait *Eſpen.*

℣. 12. *Si ſuſtinebimus, & conregnabimus: ſi negaverimus, & ille negabit nos:*

Si, inquit, in hac vita cum Chriſto toleramus afflictiones, contumelias, cruces, mortes, certiſſimè futurum eſt, ut cum illo in futura vita regnemus, gloriæ ejus effecti participes, ùt *Rom.* 8. ℣. 17. Si metu mortis aut perſecutionis Chriſtum abnegamus; ſi confeſſionem nominis ejus abjicimus, idque verbo aut facto, aut etiam ſilentio, ipſe viciſſim *nos abnegabit;* id eſt, non cognoſcet pro ſuis ùt *Mat.* c. 20. ℣. 33. & c. 25. ℣. 12. & *Luc.* 12. ℣. 9. ait *Eſpen.*

℣. 13. *Si non credimus, ille fidelis permanet, negare ſeipſum non poteſt.*

Quòd ſi increduli ſumus, *ille* nihilominùs *fidelis*, id eſt, verax & conſtans in promiſſis *permanebit*, *Rom.* c. 3. ℣. 3. Promiſit ſalutem credentibus & perſeverantibus uſque in finem, qui ſunt omnes & ſoli electi: hanc illis omnibus ſinè dubio præſtabit. Nam *negare ſe ipſum non poteſt*, id eſt, non poteſt recedere ab eo quod ſemel promiſit aut ſtatuit, non poteſt retractare ſententiam. Hoc enim Deo eſſet *negare ſeipſum*, cujus natura eſt veritas; ille enim idem manet, ait *Chryſ.*

℣. 14. *Hæc commone: teſtificans coram Domino. Noli contendere verbis: ad nihil enim utile eſt, niſi ad ſubverſionem audientium.*

De his quæ jam dixi, frequenter *admone* fideles tibi commiſſos, & maximè tuos Evangelii coöperarios; ſcilicet nos victuros & regnaturos cum Chriſto, ſi commortui ei fuerimus & adverſa cum eo ſuſtinuerimus: ipſum verò nos abnegaturum ſi nos ab ejus confeſſione &

fide receſſerimus: de his *admone* fratres cum obteſtatione quam facies *coram Domino*, hoc eſt, declarans te hæc eos commonefacere coram Chriſto Domino, qui in judicio teſtis eſſe poterit facti à te officii & vindex admonitionis contemptæ. *Noli cont'ndere verbis*; per quæ Apoſt. Timotheum admonet ut à pugnis verborum & contentionibus abſtineat. Græci legunt, *non contendere verbis* & connectunt hæc cum ſuperioribus: *teſtificans coram Domino*, ita ut Apoſt. *hoc loco*, ùt *in* 1. *Epiſt*. c. 6. ℣. 4. Timotheo præcipiat quid & quomodo alios admonere debeat; hoc modo: *teſtificans* ſeu conteſtans eos *coram Domino* ne verbis pugnent ac digladientur, ne contentiosè diſputent; quod maximè fit cùm diſputando victoria quæritur non veritas. Nam verborum pugna non ſolùm eſt inutilis & fructu caret in eo cum quo diſputatur, verùm etiam vehementer nocet auditoribus. Turbantur enim ex contentione magiſtrorum, & vel hæſitare incipiunt de iis quæ jam tenebant, & per hoc ſubvertitur eorum fides; vel ſtudia partium inter eos excitantur; ùt 1. *Epiſt*. c. 6. ℣. 4. ex *Hier*.; ita *Eſtius*; qui Græcorum lectionem & interpretationem præfert.

℣. 15. *Solicitè cura teipſum probabilem exhibere Deo, operarium inconfuſibilem, rectè tractantem verbum veritatis.*

Probabilem, græcè, *probam* ſive *probatum operarium*. Græcum vocabulum quod interpres vertit, *inconfuſibilem*, ambiguum eſt ad activam & paſſivam ſignificationem, ut verti poſſit vel *non erubeſcentem*, id eſt, quem non pudeat crucis Chriſti; multi enim Chriſtiani illam prædicare verebantur quòd ridicula quædam res videretur multis, ita *Gaig*. & *Græci*: vel *non eru-*

deſcendum, id eſt, qui tam diligens, fidelis & induſtrius in opere ſit, ut Dominum ſuum ejus non pudeat, ſed in eo ſibi placeat, ut eum non neget, ſed ſuum agnoſcat: Uterque ſenſus bonus eſt, prior tamen ab ipſis Græcis præfertur. *Rectè tractantem*, græcè, *rectè ſecantem*, quaſi dicat. Ductâ metaphorâ à Coriariis qui ſuperflua reſecant à pellibus, ſic à doctrina reſecandum quidquid ſuperfluum, falſum & adulterinum eſt: vel à coquis quorum eſt rectè dividere cibos; vel à patre qui panem alendis filiis in fruſta dividit, quantum cuique convenit; q. d. ita cura, auditoribus pro cujuſque captu & conditione panem verbi divini diſtribuere: ut 1. *Cor*. c. 2. ℣. 6. & c. 3. ℣. 1. & *Heb*. 5. ℣. 12.: vel ab agricolis qui rectos ſulcos proſcindunt; ita etiam magiſter eſt laude dignus qui ſequitur regulam divinorum eloquiorum, ſic ut nunquam deviet à recto tramite regulæ ſibi præſcriptæ, quæ eſt regula Verbi divini, ita *Theod*. Pro quo ſenſu facit quòd eâdem voce græcâ uſi ſint 70 interpretes ad ſignificandam rectitudinem viæ *Prov*. 1., ubi nos legimus *juſtitia ſimplicis diriget*, id eſt, rectum faciet *viam ejus*. Item quòd *Paulus* ad *Gal*. 2. dicens quoſdam *non rectè* ambulare utatur verbo ejuſdem compoſitionis: ita *Eſtius* qui ſecundam, ſed maximè ultimam interpretationem præfert: primam verò rejicit, quia *in verbo* veritatis de quo agit Apoſt., nihil nequidem ſuperflui eſt quod reſecari poſſit.

℣. 16. *Profana autem, & vaniloquia devita: multùm enim proficiunt ad impietatem:*

Græcè, *profanas autem vocum novitates devita*, vel *inanitates vocum*; vel uno vocabulo *inaniloquia*; ut ſenſus ſit, inanem & clamoſam loquacitatem doctori Evangelico vitandam eſ-

ſe, maximè quæ profanos & à vera pietate remotos ſenſus habeat admixtos, quia ipſa dum paulatim irrepit in animos auditorum, fomentum addit *ad impietatem*, ſemperque majora capit incrementa: vel refertur ad perſonas ſic. Tu rectè & ad normam fidei tracta verbum veritatis: ſi qui verò profanas vocum novitates ſive inanitates proferant, eos ne audias neque admittas; ſed hujuſmodi eorum ſermones procul abjice & repelle, ita *Chryſ.* Ultima hæc expoſitio verior apparet vel ex ſolo verſu ſequenti: ex *Eſtio.*

℣. 17. *Et ſermo eorum ùt cancer ſerpit: ex quibus eſt Hymenæus, & Philetus,*

Cancer hoc loco non animalis retrogradi, ſed morbi nomen eſt, qui carnem quam occupavit, continuò depaſcens, ſemper longiùs ſerpit donec mortem adferat, ita Græci, Latinique. Recentiores non cancerem, ſed gangrænam vertunt, ſpeciem pro genere, id eſt, pro morbo in morem canceris ſerpente, & vicina corporis membra depaſcente, uſque dùm ipſum hominem extinguat. Conſtat enim hoc velle Apoſtolum, ſermonem hæreticorum profana & adulterina docentium inſtar canceris aut grangrænæ ſerpere, id eſt, vim ſui veneni inter fideles ſemper longiùs diffundere: donec univerſum alicujus Eccleſiæ corpus, ùt civitatem, aut populum contagio pervaſerit: duorum autem nomina prodit qui præcipui erant, ut ſibi ab illis caveant fideles, de *Phileto* nihil alibi habemus. *Hymenæus* ſatanæ traditus legitur, 1. *Ep. cap.* 1. ℣. 20. ùt apud *Euſeb.*, *Epiph.* & *Nicep.*

℣. 18. *Qui à veritate exciderunt, dicentes reſurrectionem eſſe jam factam, & ſubverterunt quorundam fidem.*

Qui circa veritatem aberrarunt, *dicentes reſurrectionem* mortuorum quam credere nos profitemur, *jam factam eſſe*: hoc autem non expreſsè, ſed obliquè ſicut hæretici ſolent, docebant dicentes, non aliam eſſe reſurrectionem quàm quâ quotidiè per liberorum procreationem homines renaſcuntur. Sic poſt Sadducæos Seleuciani, de quibus *Aug. hæreſi* 59. Alii *factam* & completam interpretantur in quotidiana animorum renovatione ac regeneratione à morte peccati ad vitam juſtitiæ & in baptiſmo cujuſque, ùt notat *Aug. Epiſt. ad Jan.* 119., *Tertul. lib. de reſurrect. carnis cap.* 19. & *Thom.* Ex quo ſequebatur, eam non eſſe futuram in fine ſeculi, nec Chriſtum reſurrexiſſe, nec reſtare judicium, nec ſpem vitæ futuræ & alia abſurda, quæ *Paulus* enumerat, 1. *Cor.* 15. ℣. 13. & *ſeqq.* Ideò dixit, *ſubverterunt*, græcè, *ſubvertunt*, quia ſublatâ fide reſurrectionis velut fundamento mox reliquum ædificium Chriſtianæ religionis corruit, ex *Chryſ.*

℣. 19. *Sed firmum fundamentum Dei ſtat, habens ſignaculum hoc: cognovit Dominus qui ſunt ejus, & diſcedat ab iniquitate omnis, qui nominat nomen Domini.*

Apoſtolus occupatione prævenit objectionem. q. d. Quamvis quorumdam ſubvertatur fides, non tamen *fundamentum Dei* ſubvertitur, ſed perpetuò *ſtat*, ſeu firmum ac ſolidum conſiſtit. *Fundamentum hoc* variè exponitur. Nonnulli intelligunt decretum divinæ prædeſtinationis, ſive æternum Dei conſilium de ſalute electorum. Alii librum vitæ. Alii promiſſiones ac teſtimo-

nia in ſcripturis poſita, quibus illud Dei conſilium nobis annuntiatur & confirmatur :, alii fidem promiſſorum Dei. Sed his obſtat, quòd addat Apoſt., decretum divinæ electionis ſeu prædeſtinationis ſignificatæ his verbis; *cognovit Dominus qui ſunt ejus*; eſſe *ſignaculum* fundamenti Dei: ſignaculum autem à re ſignificata diverſum eſſe, oportet. Rectiùs igitur alii; qui vel Eccleſiam in ſuis electis quibus gratia datur immobiliter ſtandi, ùt *S. Thom.* exponit: vel qui fidem electorum intelligunt per *fundamentum Dei*, ùt Græci: pro quibus facit quod dictum fuerat de ſubverſa quorumdam fide. Ipſa quoque Eccleſia rectiſſimè firmum Dei fundamentum vocatur quia ſuper petram, id eſt, Chriſtum à Deo firmiter fundata, nullis aut ſatanæ machinis aut tentationum fluctibus ſubverti poteſt. Nam etſi quidam ab ea deficiant, ipſa tamen in ſuis electis perſeverat uſque in finem. Undè *Joan.* 1. *Epiſt.* 2. ℣. 19. loquens in perſona electorum dicit: *Nam ſi fuiſſent ex nobis, permanſiſſent utique nobiſcum.* Et *alibi* paſſim electis attribuitur ſtabilitas ac deficiendi impoſſibilitas; ùt *Matth.* 24. ℣. 24., *Joan.* c. 10. ℣. 28. & 29., etiam ad *Rom.* c. 10. ℣. 35. & 38. *Habens ſignaculum hoc, cognovit Dominus qui ſunt ejus*: quibus verbis Apoſt. reddit rationem ejus quod dixit, *firmum Dei fundamentum ſtare*; quia ſcilicet impreſſum habet hoc ſignaculum ſive ſigillum, *cognovit Dominus* &c. Docet itaque electos firmitatem ſtandi accipere à divina prædeſtinatione; cùm enim Dei decretum firmum ſit atque immutabile, ſtare eos neceſſe eſt, quos Deus æterno prædeſtinationis decreto ſtare voluit, ùt Chriſtus teſtatur *Joan.* 6. ℣. 39. Vocatur autem hoc decretum *cognitio Dei*, non quòd ſit nuda futurorum notitia; ſed more ſcripturæ notitia amoris &

approbationis intelligitur: ùt *Joan.* 10. ℣. 14. Porrò decretum hoc vocatur *ſignaculum*, vel propter arcanum electionis divinæ quaſi ſub ſigillo clauſum & ab oculis humanis remotum; quia quamdiu vivimus certò ſcire non poſſumus qui ad numerum electorum pertineant: vel potiùs ad ſignificandum robur & firmitatem ejuſmodi electionis; ad hoc enim pacta conſcribuntur & ſigillo muniuntur ut perpetuò rata & inviolata maneant. *Et diſcedat ab iniquitate omnis, qui nominat nomen Domini.* Hæc *Pauli* ſententia velut alterum fundamenti Dei ſignaculum à multis accipitur; ita *S. Thom.* & *Cajet.*, qui dicunt *Paulum* qui parte præcedenti videtur alluſiſſe ad *Numer.* c. 16. ℣. 5. *Notum facit Dominus qui ad ſe pertineant*, etiam hâc parte alluſiſſe ad ℣. 26. *ejuſdem cap. Recedite à tabernaculis hominum impiorum.* Hoc modo ſenſus eſt, quicumque Chriſti ſe dicit ſeu Chriſtianum profitetur, in animo fixum habeat recedere ab iniquitate: quod quidem ſi perſeveranter faciat, certiſſima nota eſt, eum de numero prædeſtinatorum eſſe, & ad firmum Dei fundamentum pertinere. Alii ſignificari putant effectum ſignaculi, id eſt, Decreti prædeſtinationis; per hanc enim efficaciter fit ut homo liberâ ſuâ voluntate diſcedat ab iniquitate, & in ſancta converſatione perſeveret. Verùm nihil prohibet unum ſignaculum eſſe effectum alterius: ex *Eſtio* & *Eſpenc.*

℣. 20. *In magna autem domo non ſolùm ſunt vaſa aurea, & argentea, ſed & lignea, & fictilia: & quædam quidem in bonorem, quædam autem in contumeliam.*

His oſtendit non eſſe diffidendum, ſiquidem

multi ad impietatem ſeducuntur; quoniam ſicut *in magna domo ſunt* alia *vaſa in honorem*, alia *in contumeliam*, ita in Eccleſia probi ſunt & improbi, imò & nonnulli perverſa docentes, ita *Gaig.* Id enim uſque adeò mirandum non eſt, ut potiùs ſciat Timotheus ad ordinem divinæ providentiæ pertinere quòd malos ſinat bonis in Eccleſia permiſceri, videlicet certis uſibus adaptandos, ſicut magni Patris familias eſt omni genere ſupellectilis ad varios uſus domum ſuam inſtruere: dicit ergo, *in magna domo*, cujus ſcilicet ampla ſit familia, *non ſolùm ſunt aurea & argentea vaſa*, id eſt, pretioſa, verùm etiam *lignea & fictilia*, ſive græcè, teſtacea, id eſt, vilia: ita in Eccleſia non ſolùm ſunt *vaſa aurea & argentea*, ùt homines ingenioſi, egregiè docti, variiſque Spiritûs ſancti donis ornati; item Epiſcopi, Presbyteri, Diaconi: verùm etiam *lignea*, id eſt, homines inferioris ordinis & gradûs, quique iſtiuſmodi donorum nihil aut parùm habent; deniquè alii coram Deo ſunt vaſa *in honorem*, alii *in contumeliam*; id eſt, alii electi ad gloriam, alii reprobati ad opprobrium ſempiternum. Hunc intellectum quoad prius membrum quod eſt de vaſis pretioſis & vilibus adjuvat ſimilis diſcurſus *Pauli* de Eccleſia *1. Cor.* c. 12. Poſterioris verò ſenſum aperit nobis alius de prædeſtinatione & reprobatione locus ad *Rom.* 9. ℣. 21. *Chryſ.* & ejus ſequaces per *magnam domum* non Eccleſiam ſed Mundum intelligi volunt; ſicuti *Matth.* 13. per agrum in quo Zizania tritico permixta ſunt, Mundus ſignificatur, ùt Chriſtus teſtatur ℣. 38. Verùmtamen *Cyprian.* & *Aug. l.* 3. *de bap. cont. Donat.* c. 18. & 19., *l.* 4. *c.* 12 & *l.* 7. *c.* 51. & *alibi* de Eccleſia explicat; quam explicationem ferè evidentem reddit inſtitutum Apoſtoli, qui in præcedentibus manifeſtè agit de malis qui ſunt

in Eccleſia, & hanc ſuâ iniquitate deſerunt: deindè Timotheus mirari neque turbari non poterat, quòd in mundo ſint homines mali ſed quòd in Eccleſia: quam Apoſt. etiam 1. *Epiſt. c.* 3. ℣ 15. appellavit *Domum Dei.* Igitur ſatis manifeſtum eſt; per *magnam domum* hìc Eccleſiam ſignificari: ita ut ex hoc loco refellantur hæretici negantes malos & reprobos in Eccleſia eſſe; uti & clariſſimè refelluntur ex parabolis de Zizaniis tritico permixtis, de Sagena miſſa in mari, *Matth.* c. 13., de decem virginibus *Matth.* 25. & de Palmite *Joan.* 15. ex *Eſpenc.* & *Eſtio.*

℣. 21. *Si quis ergò emundaverit ſe ab iſtis, erit vas in honorem ſanctificatum, & utile Domino ad omne opus bonum paratum.*

Si quis ab iſtis, id eſt. à malis hominibus & ab eorum vitiis velut ſordibus quibuſdam *ſeſe purgaverit*, *erit vas* in Eccleſia pretioſum, & honorificum. Alii pronomen, *iſtis*, ad hæreticos referunt, quales erant Hymenœ us & Philetus, ut hic etiam alludat ad locum. *Num.* 16., ubi præcipitur univerſo populo ut ſeparetur à tabernaculis impiorum. Quicumque igitur purum ſeſe præſtiterit à profanis hæreticorum doctrinis & ceteris vitiis, idque perſeveranter fecerit, *erit vas in honorem*, id eſt, aſſumetur in uſum honorificum, quia conſequetur honorem gloriæ cœleſtis, ad quem erat prædeſtinatus: ex *Hier.* His enim verbis, *erit vas in honorem*, non prædeſtinatio ſed ejus effectus ſignificatur: undè malè ex hoc loco aliqui probare nituntur prædeſtinationem eſſe ex operum prævìſione. *Sanctificatum Domino*, quia expurgatum à ſordibus vitiorum & per hoc Deo conſecratum: *utile* autem *Domino*, non quòd Deo propriè utilitatem aliquam adferat, ſed quia uſibus Domini

ſit accommodum, ſcilicet per bona opera quibus & ſuæ & aliorum ſaluti ac neceſſitati, ad Dei gloriam ſubſerviant. *Ad omne opus bonum paratum* à Domino & adornatum in hunc uſum, id eſt, ad ſanctam in operibus bonis converſationem. Præparat autem Dominus hominem *ad omne opus bonum* vel per gratiam ſingula bona opera prævenientem, 1. *Cor.* 4. ℣. 7., vel per æternam prædeſtinationem, ùt *Epheſ.* 2. ℣. 10., quo ſenſu *Rom.* 9. ℣. 23. dicitur vaſa miſericordiæ præparaſſe in gloriam ſcilicet ab æterno. Sicut enim gratiam & gloriam dat in tempore juxtà *Pſal.* 83. ℣. 12. ita utramque dandam ab æterno præparavit: ex *Theodor. Eſpenc.* & *Eſtio.*

℣. 22. *Juvenilia autem deſideria fuge, ſectare verò juſtitiam, fidem, ſpem, charitatem, & pacem cum iis, qui invocant Dominum de corde puro.*

q. d. Ne fias vas inhoneſti uſûs, *fuge juvenilia deſideria* quæ te proſequuntur, ne ad conſenſum pravæ delectationis te poſſint apprehendere, ita *Anſel.*; ſed quia Timotheus erat abſtinentiſſimus, videtur reſpicere ad vitia quædam animi, velut ſuperbiam, animoſitatem, contentionem, inanem gloriam, temeritatem, atque immodeſtiam, quibus laborant juvenes, qui aut præſunt aliis aut docendi vel diſputandi munus ſuſcipiunt: huncque Apoſtoli intentum eſſe apparet ex ſubjunctis virtutibus quas juvenilibus deſideriis opponit. *Sectare verò juſtitiam* quæ neminem lædit, *fidem*, quæ ſinè curioſa diſquiſitione recipit myſteria à Deo revelata, *Charitat m*, quæ non æmulatur, non inflatur, & *pacem* non cum perverſis, ſed cum veris Dei cultoribus; vel tu virtutes ſectare cum iis qui ſincerè Deum invocant, ita *Thom.* & *Cajet.*

℣. 23. *Stultas autem, & ſinè diſciplina quæſtiones devita: ſciens quia generant lites.*

Sunt enim & ſanæ & eruditæ quæſtiones nempè quæ ſunt de ſacris Scripturis: quare autem dixit *devita*, ſeu reſpue, & non potiùs evince ipſas & redargue? Quia nihil adfert utilitatis bona reſponſio: pugnas enim & *lites generant*, ita *Oecum*, *S. Thom.*, *Ambroſ.*

℣. 24. *Servum autem Domini non oportet litigare: ſed manſuetum eſſe ad omnes, docibilem, patientem,*

Nam pacificos oportet eſſe Chriſti ſervos. At, ſi placidum oportet eſſe & manſuetum, quomodo alibì dixit, Redargue illos acriter, & Nemo tuam juventutem deſpiciat? ℟. quia contingit & cum manſuetudine acriter objurgare & ſeverè. Quod ait, *ad omnes*, intellige quantùm ad animi præparationem, nam etſi manſuetudo ſemper animo retinenda eſt; non ſemper tamen & ubique opere declaranda, ſed tempore & loco opportunis, ùt *Tit.* c. 1, ℣. 13. & c. 2. ℣. 15. *Docibilem*, id eſt, idoneum ac promptum ad docendum, quique docere malit, quàm cogere. *Patientem*, id eſt, tolerantem malorum, non ut vitia palpet & diſſimulet, ſed ut eos etſi à veritate averſos ac protervos manſuetudine vincat; ſi qua ſpes ſit eorum ſalutis, ex *Eſpenc.* & *Eſtio.*

℣. 25. *Cum modeſtia corripientem eos, qui reſiſtunt veritati: nequando Deus det illis pœnitentiam ad cognoſcendam veritatem,*

Cum modeſtia corripientem, græcè, *erudientem*, quod meliùs huic loco quadrat. Priùs enim docendus eſt & errati convincendus qui veritatem adhuc ignorat, quàm corripiendus, u

agat pœnitentiam. Vult ergo Apoſt., Epiſcopum *cum n manſuetudine* doctrinam impendere errantibus, adhibitâ etiam correptione paternâ: & rationem adjungit; *Ne quando* &c. pro quo meliùs diceretur *Si quando*, quem ſenſum etiam nonnunquam habet vox græca. q. d. etſi vix ſperari poteſt eorum converſio, propterea quòd in errore videantur obfirmati, tentandum eſt tamen, ſi fortè per doctrinam & correptionem foris adhibitam ſicut oportet, Deus in cordibus eorum operari dignetur, fidem ac pœnitentiam inſpirando. Hinc oſtenditur, pœnitentiam eſſe donum Dei; ex *Chryſ.*; & Deum velle uti operâ hominum ad convertendum peccatores, quæ tamen ſinè fructu fit, ſi Deus per gratiam ſuam intùs non operetur; ex *Aug. de corrept. & grat. cap. 5.* & *Anſel.* Dicit, *pœnitentiam ad cognoſcendam veritatem.* Non quòd pœnitentia præcedat cognitionem; primum enim in hominis juſtificatione eſt fides. Sed ſenſus eſt, ſi quando det Deus, ut cògnitâ veritate agant pœnitentiam.

℣. 26. *Et reſipiſcant à diaboli laqueis, à quo captivi tenentur ad ipſius voluntatem.*

Quæ eſt cognitio veritatis? Niſi cognitâ per fidem veritate, ad ſanam mentem redire & ab adulterinis dogmatibus ad fidei rectitudinem. Dixit, *à diaboli laqueo*, quemadmodùm enim paſſer, quamquam à pedis ſolùm extremitate teneatur, laqueo ipſi obnoxius eſt: ita & nos quamquam in tenui aliqua dogmatis particula ſubveramur, *diaboli laqueo* ſubjicimur. *A quo captivi tenentur ad ipſius voluntatem:* quia qui facit peccatum, ſervus eſt peccati, cujus regnum penes diabolum eſt, nec poteſt ab ea captivitate liberari niſi fortior, id eſt, Chriſtus ſupervenerit: vel rectiùs non diaboli, ſed Dei

CAPUT III.

Falſos doctores exorituros prænu quibus cavendum Timotheum tur, ut doctrinam ſervet, & ſa teris det operam.

℣. 1. *Hoc autem ſcito, quòd in ſimis diebus inſtabunt tempora loſa:*

PRophetia eſt Apoſtolica ſpectans quò ſuperiora, q ne turberis cùm vides magiſtros quales Hymen Philetus ſuboriri in Eccl univerſum ſcire te volo, *periculoſa & tempora inſtare*. Non tempora aut dies niatur, ſed pravos homines qui in ipſ in ipſa Eccleſia futuri ſunt, ex *Occun* pora hæc erunt vel circa mundi finem re Antichriſti; ex *Aug. Ep.* 80. Vel re tempus futurum intelligitur.

℣. 2. *Erunt homines ſeipſos am*

tur, hujus autem fætus ſunt faſtus & ſuperbia, deindè ex his *blaſphemia*, in parentes *inobedientia*; novit enim faſtus adversùs naturam efferri; huc pertinent qui præfectis ſuis obedire detrectant. *Ingratitudo*, quod quàm grave ſit vitium ex hoc conjice quòd inter ea numeretur quæ reddunt tempora periculoſa. *Sceleſti* græcè, *nefarii*, qui nullam recti & ſancti habent rationem quò minus audent quælibet ſcelera perpetrare, orbis totius inimici, ait *Chryſ.*

℣. 3. *Sinè affectione, ſinè pace, criminatores, incontinentes, immites, ſinè benignitate,*

Sinè affectione ſunt, qui nullo tanguntur affectu amoris erga proximos, ne eos quidem ad quos amandos maximè ſolet natura incitare, ùt parentes, liberos, uxorem, cognatos: *ſinè pace*, id eſt, fœdifragi, perfidi, vel qui ſunt implacabiles nec reconciliationem admittunt. *Criminatrices*, ſive, *Calumniatores*, qui mendaciis & confictis criminibus aliorum innocentiam vexant. *Incontinentes*, &c., id eſt, *Intemperantes*, *inhumanos* & feros more beſtiarum, *bonorum oſores*; ſic *Eſpenc.*

℣. 4. *Proditores, protervi, tumidi, & voluptatum amatores magìs quàm Dei:*

Proditores amicitiæ & ſodalitatis: *Protervi*, græcè, *Præcipites* hoc eſt, temerarii, & nihil ſtabile habentes; *Tumidi*, id eſt, arrogantiâ pleni. *Voluptatum amatores* &c. qui cùm mutant divinum amorem in turpem, ipsâ pietatis formâ hypocritæ ſunt & ſeductores, ſic *Bruno*,

℣. 5. *Habentes ſpeciem quidem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes. Et hos devita:*

Qui verbis & cultu præ ſe ferunt pietatem

quam in veritate non habent, imò à qua ſunt uſque adeò alieni, ut abnegaſſe eam & abjuraſſe videantur. Vel eos notat, qui quod facto opus eſt, pulchrè aliis præſcribunt, cùm ipſi minimè ea præſtant, ùt *Matth.* 21., *Rom.* 2. ita *Chryſ.* Quia jam ſunt ex his multi qui noviſſimis diebus tales erunt quales deſcripſi, *& hos devita*, ne corrumpant, ait *Eſpenc.*

℣. 6. *Ex his enim ſunt, qui penetrant domos, & captivas ducunt mulierculas oneratas peccatis, quæ ducuntur variis deſideriis :*

Notatur eorum impudentia qui callidè ſeſe inſinuant & ingerunt in alienas familias ventris causâ, ùt *ad Tit.* c. 1. ℣. 11. Et ſic *mulierculas* doctrinis ſuis faciunt tam obnoxias ſibi ut velut *captivas*, quòlibet ducere videantur. *Oneratas*, græcè, *cumulatas peccatis*, id eſt, magno peccatorum acervo gravatas ac depreſſas; intellige vel ab ipſis errorum magiſtris, quòd ſcilicet eas ſuâ doctrinâ corruperint: vel à ſeipſis, quia jam antè licèt Chriſtum profeſſæ, vitam egiſſent inquietam & inhoneſtam: conſidera quod ait, *quæ ducuntur*, tanquam de irrationalibus loquens; ex *S. Th. & Eſpen. & Eſtio.*

℣. 7. *Semper diſcentes, & numquam ad ſcientiam veritatis pervenientes.*

Non ad magiſtros, ſed ad mulierculas hæc referenda ſunt (ùt patet ex græco) quas dicit *ſemper diſcere*, & tamen *numquam* aſſequi *notitiam veritatis*, quæ conducit ad ſalutem; quia præ curioſitate & animi inſtabilitate ſemper nova, deſideriis ſuis convenientia quærerent: ùt de ſimilibus *Cap. ſeq.* ℣. 3. & 4., ex *S. Thom. & Eſtio.*

℣. 8. *Quemadmodùm autem Jannes & Mambres reſtiterunt Moyſi : ita & hi reſiſtunt veritati, homines corrupti mente, reprobi circa fidem,*

Jannes & Mambres Magi fuerunt & magorum principes, qui *Moyſi & Araoni* admirabilia ſigna coram Pharaöne edentibus *reſtiterunt*, ſimilia quædam arte magicâ patrantes, donec in tertio ſigno victi ſuccumberent; *Exod.* 7. & 8. Horum magorum nomina cùm non inveniantur ſacris litteris prodita, non aliundè quàm ex traditione accepiſſe *Paulus* putandus eſt; vel ex Spiritu ſancto revelante, ex *Oecum.*; quod probabile non eſt Docet igitur hic locus, antiquitùs etiam apud Judæos veras extitiſſe traditiones extra Scripturam ſacram & à piis agnitas & receptas. Ita *& hi reſiſtunt veritati* Evangelicæ, & proindè Deo quo revelante & jubente prædicatur : ſic *Exod.* 16. dicitur. *Non contra nos eſt murmur veſtrum ſed contrà Dominum*.. Et nota, ubi quis *mente corruptus* fuerit in affectibus, tunc facilè *reprobum circa fidem* effici; ex *Oecum. Eſpen. & Eſtio.*

℣. 9. *Sed ultrà non proficient : inſipientia enim eorum manifeſta erit omnibus, ſicut & illorum fuit.*

In conſolationem Timothei & omnium veritatis præconum hæc dicit Apoſtolus. Sed quæſtio ſtatim occurrit, quomodo dicat, *ultrà non proficient*, ubi ſæpiùs alibi dixit, profanorum dogmatum authores profecturos ad impietatem utpotè quorum ſermo ſerpit ùt cancer; & quidem hìc ℣. 13. ſtatim ſubjungit, *Seductores proficient in pejus?* Cui difficultati varia datur Reſponſio : 1° *Non proficient* in ſeductione ſcilicet hominum, nam *inſipientia eorum* quæ nunc latet, dum ipſi putantur eſſe ſa-

pientes, *erit* omnibus *manifeſta* per Joannem Apoſtolum in Aſia & deſtruetur inſipientia erroris eorum ſicut per Moyſen manifeſtata *fuit illorum* in Ægypto; ita *Anſel.* 2ᵃ *Non proficient* ampliùs quàm ſeducendo mulierculas, nam ad mulieres cordatas & viros hoc malum non progredietur, ita *Cajet.* 3ᵃ *Ultrà non proficient* in bonum, ſed ibunt ab errore in errorem. 4ᵃ *Proficient* quidem ratione contagii ſerpentis, ita nimirùm ut multos ſeducant: non tamen adeò proficient, ut Eccleſiam evertant, ejuſve regnum obſcurent & hæreditatem Chriſti evacuent, ita *Cyp. lib. de unit. Eccl.*, *Eſpen.*, & *Eſtius* qui rejectis prioribus ultimam amplectitur, ſecundùm quam ſenſus hujus loci eſt: Proficient quidem ut & viros & mulieres ſeducant, ſed non ita, ut ipſa Eccleſia ſeducatur: *inſipientia enim eorum manifeſta erit* per ſinceros fidei doctores & Eccleſiæ prælatos, qui illorum errores & fraudes detegent, ut paſſim & palàm eorum dementia traducatur; ac multi ab eis ſeducti agnito errore reſipiſcant. *Sicut & illorum fuit* ſcilicet Magorum, qui, in tertio ſigno devicti, compulſi fuerunt dicere, *Digitus Dei eſt hic. Exod.* 8.

℣. 10. *Tu autem aſſecutus es meam doctrinam, inſtitutionem, propoſitum, fidem, longanimitatem, dilectionem, patientiam,*

Tu autem aſſecutus es, ſeu potiùs ùt alii vertunt, *aſſectatus es meam doctrinam*, ſive ea quæ doceo, didiciſti & ſcis aliis tradere: *inſtitutionem*, id eſt, vivendi modum & rationem; quod alii minùs rectè inſtruendi rationem interpretantur. *Propoſitum*, id eſt, noſti quid in meo munere & omni actione ſpectaverim vel ſpectem, ſcilicet non privata mea commoda, ſed gloriam Dei, 1. *Cor.* 10. ℣. 33. *Fidem*, id eſt, animi conſtantiam;

longanimitatem, ſeu lenitatem ergà perſecutores: *charitatem*, ergà quoſcumque; *patientiam*, in adverſis, ex *Chryſ.*, *Eſpenc.*, & *Eſtio.*

℣. 11. *Perſecutiones, paſſiones: qualia mihi facta ſunt Antiochiæ, Iconii, & Lyſtris: quales perſecutiones ſuſtinui, & ex omnibus eripuit me Dominus.*

In ſpecie recenſet afflictiones ſuas, ut hoc modo diſcipulum audentiorem reddat. Horum autem tantùm meminit, quòd recentiora, aut quòd Timotheo nota eſſent: nominat autem tres civitates conſcias ſuarum paſſionum quas à Judæis ſuſtinuit; de quibus *Act.* 13. & 14.; ad quas ſuſtinendas dicit, ego quidem animi promptitudinem exhibui, Deus verò auxilium quo *me eripuit* & coronam texuit, ait *Chryſ.* & *Eſpen.*

℣. 12. *Et omnes, qui piè volunt vivere in Chriſto Jeſu, perſecutionem patientur.*

Et quid dico, inquit, de meipſo cùm etiam *omnes qui volunt piè vivere, perſecutionem paſſuri ſint*, vel manifeſtam quæ non ad omnes pertinet ſed ad paucos; vel occultam quæ piis omnibus communis eſt, non ſolùm propter occultam pugnam carnis adversùs ſpiritum, verùm etiam propter ſocietatem malorum hominum, 2. *Pet.* 2. ℣. 8.; & quidem Abel in tanta hominum paucitate non ſinè perſecutione fuit, de quo 1. *Joan.* 3. ℣ 12. Et boni bonis per infirmitatem & ignorantiam aliquando moleſtiam exhibent; ex *Aug. Ep.* 145. & l. 18. *de civit. c.* 51., *Leo. ſerm.* 9. *de Quadr.* ubi & hanc Domini ſententiam adducit: *Qui non accipit crucem ſuam & ſequitur me, non eſt me dignus. Matth.* 10.; ex *Eſtio.* Perſecutiones hìc dicit preſſu-

ras, dolores, ex *Chryſ.*, à ſatana & corporis ſui membris, ex *Eſpen.*

℣. 13. *Mali autem homines, & ſeductores proficient in pejus, errantes, & in errorem mittentes.*

Sicut *mali & ſeductores* ſive *incantatores*, ùt Græci legunt, dupliciter proficiunt in pejus errando & ſeducendo: ita duplici nomine pœnas dabunt, & quòd ipſi non acquieverint veritati, & quòd alios ab ea retraxerint, ex *Ambr.* & *Eſpen.*

℣. 14. *Tu verò permane in iis, quæ didiciſti, & credita ſunt tibi: ſciens à quo didiceris.*

q. d. tales errabunt & ſucceſſum habebunt in malo & alios trahent poſt ſe, ſed *tu*, noli poſt eos in errorem ire, ſed *permane* ſemper *in his* bonis *quæ didiciſti* à me, & quæ *tibi concredita* & commendata *ſunt*, ùt *Gal.* 2. ℣. 7. & 1. *Tim.* 1. ℣. 11. Monet ut cuſtodiat depoſitum ſibi creditum, quia, inquit, *ſcis à quo magiſtro didiceris*; videlicet à me Chriſti Apoſtolo, quod perindè tibi eſſe debet, ac ſi Chriſto ipſo magiſtro uſus fuiſſes. Vel *credita ſunt tibi*, hoc eſt, credidiſti hanc eſſe vitam, ait *Chryſ.* & *Ambr.*; *Eſtius* tamen expoſitionem primò datam meritò præferre videtur.

℣. 15. *Et quia ab infantia ſacras litteras noſti, quæ te poſſunt inſtruere ad ſalutem, per fidem, quæ eſt in Chriſto Jeſu.*

Altera cauſa cur immobilem ſe præſtare debeat, eſt, quia non nuper, aut pridiè, ſed à puero fuiſſet edoctus Scripturam ſacram. Porrò hic locus docet, nec pueros arcendos eſſe à lectione Scripturæ ſacræ. Quin ex eo quòd Timo-

theus non à patre fuerit inſtitutus in ſacris litteris (utpotè qui Gentilis erat, nec paſſus fuerat eum circumcidi) ſed ùt veriſimile eſt, à matre & avia, quarum fidei ſinceritatem laudavit Apoſtolus, *cap.* 1., colligitur, nec mulieres à lectione Scripturæ prohibendas eſſe. Quod tamen ita intellige, modò ſecundùm regulam Eccleſiaſticam tales ſint perſonæ quæ cognoſcantur ex hujuſmodi lectione non damnum, ſed fidei ac pietatis augmentum capere poſſe; ita *Eſtius*. Ne verò putet Timotheus ſibi ſufficere ſcientiam Scripturarum quam perceperat, dicendo, *quæ te poſſunt inſtruere*, tacitè eum adhuc hortatur ad ſtudium earum, ùt 1. *Epiſt. cap.* 4. ℣. 13. Hìc obſerva, non ſolùm parochis, ſed Epiſcopis quantumcumque doctis, adhuc opus eſſe ſtudio ſacrarum litterarum ad æternam *ſalutem* conſequendam, & hoc *per fidem* quâ in Chriſtum creditur; quia veteris inſtrumenti dicta non inſtruunt ad ſalutem, ſed ad mortem, ſi Chriſtus in eis non intelligitur & fides ejus non tenetur: in quo notat Judaïzantes; ex *Eſpen.* & *Eſtio*.

℣. 16. *Omnis Scriptura divinitùs inſpirata utilis eſt ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in juſtitia:*

Duo affirmantur, omnem Scripturam eſſe divinitùs inſpiratam & eandem eſſe utilem, & per *ſcripturam* intelligit *ſacram* per antonomaſiam, ùt *Matth.* 22. ℣. 29., *Joan.* c. 5. ℣. 39. & c. 10. ℣. 35. Ex hoc ſtabilitur, Scripturam ſacram & canonicam Spiritu ſancto dictante eſſe conſcriptam, cujus *utilitas* ſe extendit ad quatuor præcipua officia Paſtoris & Doctoris Eccleſiaſtici, quorum 1. eſt, *docere* veritatem fidei Chriſtianæ. 2. *Arguere* ſeu refellere

errores ei contrarios. 3. *Corrigere* mores depravatos, quod potiſſimùm ſit admonitionibus, increpationibus, & correptionibus. 4. *Erudire in juſtitia*, id eſt, inſtituere ad juſtitiam; id eſt, ad juſtam vitæ converſationem; ex *Eſpen.*, *Eſtio* & *Anſelm.*

℣. 17. *Ut perfectus ſit homo Dei, ad omne opus bonum inſtructus.*

Homo Dei eſt, qui Dei nomine & in his quæ Dei ſunt, populo præeſt, maximè ſi mores & officio reſpondeant, ùt 1. *Ep.* c. 6. ℣. 11. Ejuſmodi ſunt Epiſcopi & animarum curatores, quos ſentit Apoſt. ſtudio Scripturæ ſacræ id conſequi, ut *ad omne opus bonum*, id eſt, ad omnem partem ſui officii probè comparati ſint, atque inſtructi. Si autem Timotheo iſta ſcribit Spiritu ſancto dictante: quantò magis nobis dicta putare debemus; ait *Chryſ.* Porrò cùm non dicat Apoſt., Scripturam ad omnia ſupradicta *ſufficere*, ſed *utilem eſſe*, nihil agunt Hæretici dum ex hoc loco conantur probare, traditionibus non ſcriptis opus non eſſe. Ac certè ſi hoc conſequens eſſet, ſequeretur ſolam veteris inſtrumenti doctrinam ſufficere; cùm de hac ſola *Paulum* loqui conſtet, tum quia Novi teſtamenti Scriptura nondùm foret Canoni adjuncta, imò nondùm integrè conſcripta: tum quia ℣. 15. dicitur *ab infantia ſacras literas noſti.* Quod certè de libris novi teſtamenti intelligi nequit, quorum nulli tempore *infantiæ* Timothei extabant. Nec facit quòd dicat Apoſt. ſcripturam utilem *ut perfectus ſit Homo Dei ad omne opus bonum.* Quia dumtaxat hæc generatim ſignificant, Scripturam utilem ad omne opus bonum in genere: ùt ex præcedentibus manifeſtum eſt; ubi genera dumtaxat boni operis, id eſt, officii epiſcopalis enumerantur: ita *Eſtius.* Quibus adjungi poteſt, Scripturam quidem ad omne opus bonum utilem, ſed tantùm poſt-

uàm demonſtrata fuerit eſſe ſacra ſeu canoni-
a: quæ demonſtratio non per ipſam Scriptu-
am, ſed per traditionem fieri poteſt.

CAPUT IV.

Hortatur eum intentum eſſe verbo & vigilantem ob futuros hæreticos; obitum ſuum prædicit, & coronam ſibi repoſitam. Rogat ut ad ſe veniat.

℣. 1. *Teſtificor coram Deo, & Jeſu Chriſto, qui judicaturus eſt vivos, & mortuos, & per adventum ipſius, & regnum ejus:*

EGo *Paulus* de his quæ dicturus ſum, te obteſtor, id eſt, ea tibi dico & præcipio coram teſtibus omnium maximis & metuendis ne quâ parte deſis officio: ſcilicet *coram Deo Patre & Filio ejus*, qui non ſolùm teſtes eſſe poterunt præcepti dati, ſed & judices ejuſdem violati. *Qui judicaturus eſt vivos*, id eſt, eos qui in carne vivi reperientur cùm venerit, & *mortuos*, id eſt, illos quorum animæ jam à corporibus fuerunt egreſſæ, ita Græci & *Anſel.*; vel *vivos* intelligit juſtos, *mortuos* peccatores: vel meliùs *mortuos* quos adventus Domini mortuos inveniet: *vivos* autem quos viventes deprehendet, ita tamen ut hi celeri morte, quam ignis conflagratorius iis inferet mox cum aliis olim mortuis reſurgant, ad tribunal judicis ſiſtendi; conformiter ad ea quæ 1. *Cor.* 15. ℣. 51. & 1. *Theſſ.* 4. ℣. 15. & 16. dicta ſunt. *Teſtificor* autem, ſive obteſtor, ita ut ſit obteſtatio per *adventum & regnum* Chriſti, velut rem omnibus fidelibus ſummoperè deſideratam, quomodo *Rom.* 12. ℣. 1. obſecrat per miſericordiam Dei;

1. *Cor.* 1. ℣. 10. per nomen Domini noſtri Jeſu Chriſti. Vel ſenſus eſt ſinè adjuratione. Qui Chriſtus vivos & mortuos judicaturus eſt, tunc quando manifeſtus ad judicium veniet palàm & gloriosè regnaturus, omnibus jam ei ſubjectis, ùt 1. *Cor.* 15. ℣. 26.; ex *Eſpen.* & *Eſtio.*

℣. 2. *Prædica verbum, inſta opportunè, importunè: argue, obſecra, increpa in omni patientia, & doctrina.*

Huc pertinet illa terribilis obteſtatio, ſcilicet ut officium prædicationis ac cetera quæ ſunt hominis Dei munia, diligenter & conſtanter exequatur. *Verbum* antonomaſticè pro ſermone doctrinæ Evangelicæ poſitum eſt: *inſta opportunè, importunè*, id eſt, quocumque tempore, nullum enim tempus Dei verbo non commodum; nam ſemper opportunè fit, quod fit utiliter ad ſalutem, licèt tempus ſomni & refectionis intermittas, quo ſaluti proximorum conſulas. Sic & Chriſtus cum diſcipulis *importunè* prædicavit & beneficia impendit turbis ita ut nec ſpatium haberent manducandi: *Marc.* 3. & 6. Sic *Luc.* 11. & 18. nocturnus pulſator, & vidua ſuâ *importunitate* impetrarunt quod petebant. Quem ſenſum breviter indicat *Aug. in Pſal.* 128. dicens: ſonet Dei verbum volentibus opportunè, nolentibus importunè. *Redargu* falſam doctrinam & falſos doctores, *increpando* corrige malos mores, *obſecra* & exhortare ut juſtè vivant, & moribus ſint incorruptis. Monet ut hæc faciat *in omni patientia*, ſive cum *longanimitate* & *lenitate*; quia ſæpè redargutiones, increpationes, exhortationes nihil aut parùm proficiunt, niſi ab animo patiente ac manſueto proficiſci intelligantur. *Cùm doctrina* verò ut qui aberrant, doctrinâ & ratione convicti, faciliùs ſanentur, ùt c. 2. ℣. 25.; ex *Eſſ em. poſt Anſel.* & *Brun.*

℣. 3. *Erit enim tempus, cùm ſanam doctrinam non ſuſtinebunt, ſed ad ſua deſideria coäcervabunt ſibi magiſtros prurientes auribus,*

Ideò, inquit, tantâ inſtantiâ debes prædicationi inſiſtere, quia *erit tempus cùm ſanam doctrinam*, id eſt, ad ſanitatem animæ pertinentem, *non ſuſtinebunt* homines, *ſed* velut onus grave rejicient eam ab humeris ſuis, & *ad ſua deſideria* complenda, *coacervabunt ſibi magiſtros*, id eſt, acervum ſibi magiſtrorum congregabunt, qui doceant eos ea quæ deſiderant; quia ſcilicet *prurient auribus*, id eſt, ad audiendum ſemper aliquid novi curioſitas eos incitabit: quo vitio notati ſunt Athenienſes. *Act.* 17. Tales fuerunt Simoniani, tales & Lutherani, qui jejunia ac vota monaſtica contemnunt, ex *Eſtio.*

℣. 4: *Et à veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur.*

Avertent, id eſt, fugient audire ſermonem veritatis, quæ illis erit aſpera quia non mulcebit eos in nequitiis ſuis. *Ad fabulas autem* audiendas inſanâ quâdam curioſitate ſeſe convertent. *Fabulas* intellige *judaïcas* ùt *Tit.* 1. ℣. 14. & 1. *Tim.* 1. ℣. 4. Intelligi etiam poſſunt fabulæ hæreticorum, ùt Simonis Magi, de quibus *Irenæus* & *Epiph.*; ex *Eſpen.* & *Eſtio.*

℣. 5. *Tu verò vigila, in omnibus labora, opus fac Evangeliſtæ, miniſterium tuum imple. Sobrius eſto.*

Hæc dixit ut *vigilaret* & excitaretur. *In omnibus labora*, præoccupa diſcipulorum aures bonis ac veris dogmatibus, priuſquam ſubingrediatur illa peſtis. In munere ac miniſterio tuo

ita verſare, ut nihil omittas eorum quæ à bono & fideli miniſtro Evangelii jure exiguntur: cognata ſunt ſobrium eſſe & vigilare, ait *Eſpen.*

℣. 6. Ego enim jam delibor, & tempus reſolutionis meæ inſtat.

Nam, inquit, me ipſum jam offero Chriſto hoſtiam, ſeu potiùs libamen, quod amplius eſt ac ſacratius. Siquidem hoſtiæ quædam pars tantùm Deo in ſacrificium offerebatur, univerſum verò libamen ipſi ſacrificabatur; ex *Chryſ.* Hæc autem non dicit Apoſt. quòd jamjam rapiendus ſit ad martyrium, cùm inter ejus ſcriptionem, & obitum fermè novem aut decem anni interceſſerint, & *in Epiſt. ad Philemonem*, quæ hâc longè poſterior eſt, hoſpitium ſibi parari petat: ſed tantùm ſignificat per carceres & tribunalia ipſum parari ad victimam, ex *Bar. tom.* 1. Simili ferè modo loquitur *ad Philip.* 1. & 2. *Reſolutionem* dicit mortem, aut quia in terram reſolvimur de qua ſumpti ſumus, aut quia ſoluto vinculo animæ cum corpore reditum dicit ad Chriſtum: ùt *ad Phil.* 1. ℣. 23. & in 2. *Petri* 1. ℣. 14.; ita *Cyp. l.* 2. *Epiſt.* 6., *Orig. ſuper. Num.* & *Oecum.*; ex *Eſpenc.*

℣. 7. Bonum certamen certavi, curſum conſummavi, fidem ſervavi.

Hæc ait, non ſeſe jactitans, ſed diſcipulum conſolando, quaſi ad recipiendas coronas abeat, & bonorum operum retributionem, q. d. Te potiùs gaudere oportet quàm dolere, quòd talem aſſequar finem. *Bonum*, dicit egregium ac pulchrum, quia pro Chriſto ſuſceptum, ſive vincula habeat, ſive perſecutiones, ſive mortes: ſi igitur bonum eſt, & tu illud aſſume. *Curſum conſummavi* non vitæ, ſed certaminis, qualis eſt eorum qui in ſtadio currunt, 1. *Cor.* 9. Dicit, *conſummavi*, quia de reliqua parte ſtadii percurrenda certam

ibebat in domino fiduciam, ita *Aug.l.2. de pec. erit. c.* 16. *Fidem* intelli ge quam miles de-et imperatori & miniſter domino ſuo, ùt 1. *Cor.* . ỷ. 2.; vel fidei vel Chriſtianæ religionis fun-amentum, ex *Eſpenc.*

ỷ. 8. *In reliquo repoſita eſt mihi corona uſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in lla die juſtus judex: non ſolùm autem nibi, ſed & iis, qui diligunt adventum jus. Feſtina ad me venire citò.*

Deindè à præmiis certaminis conſolatur ip-um: quis enim lugebit eum qui coronam ac-ipit? *Coronam juſtitiæ* plerique interpretantur ro bonis ac juſtis operibus debitam, vel pro orona juſta, ùt *Iſa.* 62. *Corona gloriæ* hebræâ hraſi legitur pro corona glorioſa. Porrò *coro-am* intelligit vitam æternam quam *Jacobus* c. 1. *itæ coronam* appellat. Hanc ſibi *repoſitam* licit Apoſt., ſcilicet apud Deum ùt *cap.* 1. ỷ. 12. & *ſap.* c. 5. ỷ. 16. Sicuti autem vita æterna di-itur merces quia datur pro meritis; & gra-ia quia hæc ipſa merita ſunt Dei dona; ſic ea-dem vita æterna corona juſtitiæ eſt quia legiti-mè certanti debetur, & corona miſericordiæ quia nec certare legitimè poſſet homo, niſi Deus daret, nec ad coronam perveniret, niſi lapſus & errata certando commiſſa miſericorditer idem Dominus condonaret, ùt *Rom.* 6. ỷ. 23. Con-ſidera verò quòd tanquam debitum expetat il-lud, cùm ait, *Reddet mihi*, & non dicit dabit; ſignificans etiam hoc ex eo quòd ait, *juſtus ju-dex*, ùt notat *Oecum.* Nota *Paulum* loqui de præmio quod homini datur non animæ ſoli an-te *illum diem.* Refelluntur ex hoc verbo, *red-det*, hæretici qui merita bonorum operum au-dire non ſuſtinent, ùt & ex *Matt.* 16. ỷ. 27. Nec *mihi ſolùm*, inquit, *reddet*, *ſed &* omnibus qui

inveniuntur dilexiſſe *ejus adventum*, quo manifeſtus & glorioſus apparebit univerſo mundo: *diligunt adventum Domini*, qui ſanctis operibus ad eum ſeſe præparantes ipſum ſe expectare & diligere declarant, ex *Chryſ.*; ùt ſervus Domini ſui adventum diligit qui ea facit quæ Domino placent, ut cùm ille venerit, paratus inveniatur: ùt *Luc.* 12. ℣. 43. *Citò*, id eſt, ante hiemem, ne ſcilicet in alterum annum differat profectionem: ex hoc loco habemus Epiſcopos à ſuis Eccleſiis abeſſe poſſe ad tempus ob graves cauſas, ùt notat *Eſtius.*

℣. 9 *Demas enim me reliquit, diligens hoc ſeculum, & abiit Theſſalonicam:*

Demas dereliquerat *Paulum* captivum periculo territus, ac ſuæ ſecuritati & quieti conſulere volens. Non autem intendit hunc traducere, ſed nos potiùs confirmare ne molleſcamus, ait *Oecum.* Nam ad eum reverſus iterùm illi ſeſe adjutorium exhibuit, ùt probatur ex *Epiſt.* poſteriùs ſcriptis, ad *Col.* & *Philem.*, in quibus inter ſalutantes nominatur: cui ſententiæ ſubſcribit *Hier.*; ex *Eſtio.* poſt *Anſelm.*

℣. 10. *Creſcens in Galatiam, Titus in Dalmatiam.*

Repetendum, *abiit*: non tamen amore hujus ſeculi ùt Demas, ſed vel Evangelii causâ miſſus illuc à *Paulo*; vel certè ob aliam juſtam neceſſitatem dimiſſus. *Epiphanius hær.* 51. pro *Galatia* legit *Galliam*. *Theodor.* legit quidem *Galatiam*, ſed *Galliam* interpretatur. Et quod legitur 1. *Mach.* 8. Romanos ſubegiſſe *Galatiam*, de Gallis intellexit *Joſephus* aut ſaltem ejus interpres, *lib.* 12. *Antiq.* c. 17. Martyrologia quidem etiam teſtantur Creſcentium in Galliis Evangelium prædicaſſe, ſedemque ibi

'iennenſem & Moguntinam erexiſſe, ſed indè
d Galatas reverſum, ubi Martyrio vitam fi-
ivit. *Titus verò in Dalmatiam* Evangelii cau-
ſâ, ad quem ſcripſit Epiſt. & cujus cum lau-
e ſæpè meminit *in 2. ep. ad Cor.*; ex *S. Thom.*

℣. 11. *Lucas eſt mecum ſolus. Marcum*
ſſume, & adduc tecum : eſt enim mihi
tilis in miniſterium.

Lucam Apoſtoli *Pauli* ſectatorem & indivi-
uum comitem appellat *Hieronymus*, & idem
ſt qui & Evangelium ſcripſit & Apoſtolorum
Acta. Non de *Marco* Evangeliſta loquitur qui
etri comes fuit, ſed *Joanne* conſobrino Bar-
abæ, cui cognomen erat *Marcus*, *Act.* 12. &
5.; qui *utilis* dicitur *in miniſterium* non pri-
atum, ſed Evangelicum; ideò Romam unà
um Timotheo evocatur, ex *Anſel.*, *Eſpen.* &
Eſtio.

℣. 12. *Tychicum autem miſi Epheſum.*

Fortaſsè cum Epiſtola quæ ad Epheſios eſt
irecta, ad hoc ut vices ſuppleat Timothei ab-
entis; tanta erat *Pauli* ſolicitudo pro Eccle-
iis; vel *miſi*, id eſt, mittendum deſtinavi, ex
Baron. tom. 1.

℣. 13. *Penulam, quam reliqui Troade*
apud Carpum, veniens affer tecum, &
libros, maximè autem membranas.

Quid ſit *Penula*, variè exponitur. Aliqui vo-
unt, veſtimentum quoddam hìc ſignificari
quod quærit ne egens cuiquam ſit moleſtus:
vel thecam in qua libelli reponebantur: vel
volumen Hebræum veteris inſtrumenti, ex
Hier. Ep. 125. *q.* 2. *Carpus* Troade *Paulum*
hoſpitio ſuſcepit dignus habitus cui res ſuas
n depoſitum commendaret, de quo *Martyrol.*
3. *idus Octob. Libri* ſunt alii codices in chartis

deſcripti. *Membrana* verò ſunt ſchedæ pelliceæ in quibus, uti veriſimile eſt, *Paulus* quædam ſcitu digna ad juvandam memoriam, annotaverat: *Syrus* vertit faſciculum voluminum, id eſt, membranas in volumina complicatas. Hinc patet quòd hæc epiſtola ſcripta ſit brevì poſt ipſius in urbem adventum, & proindè multis annis ante mortem; non enim repoſceret veſtem, aut arculam, aut libros ab annis fermè decem. Deindè ſi diem obitûs jam ſibi inſtare ſentiebat, quorsùm requirit iſta ſibi jam nulli uſui futura? Patet etiam, quàm Epiſcopis & Paſtoribus ſit neceſſaria lectio Scripturæ ſacræ, quoniam *Paulus* ab ipſo Chriſto edoctus myſteria religionis, & tot annis Apoſtolatu functus adhuc libros deſiderat quos legat, ùt notat *Eſtius*, *poſt Eſpen. Brun. Lyr. & Ambr.*

℣. 14. *Alexander ærarius multa mala mihi oſtendit: reddet illi Dominus ſecundùm opera ejus:*

Per hæc Apoſt. demonſtrat Timotheo, viriliter ferendas afflictiones, quæ etiam ab abjectis inferuntur. *Alexandrum* tanquam hæreticum *Paulus* excommunicaverat, ùt 1. *Tim.* 1. ℣. 20. dicit, quo facto irritatus multò magis ſanæ doctrinæ reſiſtebat, & *Paulum* multis affecit. *Reddet*, græcè, *reddat illi ſecundùm opera ejus*, imprecantis modo: ita *Hier.*; quod non malevolentiæ vel impatientiæ fuit, ſed prophetico ſpiritu hoc prænuntiavit cum approbatione juſtitiæ divinæ: vel reverâ vindictam divinam quatenùs juſta eſt, illi imprecatus eſt, præſuppoſitâ tamen ejus impœnitentiâ, ut qui maliciosè peccans, ſpem emendationis nullam præberet, ùt *Apoc.* 6. ℣. 10., *Nehem.* ſeu 2. *Eſdræ* c. 4. ℣. 5.; vel ſunt verba cupientis divinam juſtitiam, ait *Cajet.* & *Th.* 2. 2. *q.* 25. *art.* 6., & *q.* 76. *a.* 1.; *Anſel.*, *Eſpen.* & *Eſtius*.

℣. 15. *Quem & tu devita: valdè enim reſtitit verbis noſtris.*

Devita, id eſt, obſerva, & cave tibi ab illo, & nota Alexandrum fuiſſe adverſarium doctrinæ *Pauli*, & eum multis malis affeciſſe, ut diſcas cavendos eſſe hæreticos, ex *Hier.*, *Amb.*, *Eſpen.*

℣. 16. *In prima mea defenſione nemo mihi affuit, ſed omnes me dereliquerunt: non illis imputetur.*

Primam ſuam defenſionem vocat quando primùm omnium ad tribunal Neronis cauſam dixit (de qua *Act.* 23. ℣. 11.) primo anno quo Romam venit: vel loquitur de defenſione non omnium prima, ſed quam primam habuit poſt ſecundum ſuum adventum in urbem Romam, ex *Cajet.* Omnium, inquit, amicorum ope fui deſtitutus, loquitur de iis qui prodeſſe poterant apud aulicos; his veniam à Deo precatur, quia ex infirmitate peccabant, ùt *Act.* 7. ℣. 59. ex *Anſel.* & *Eſpen.*

℣. 17. *Dominus autem mihi aſtitit, & confortavit me, ut per me prædicatio impleatur, & audiant omnes Gentes: & liberatus ſum de ore Leonis.*

Cùm eſſem, inquit, ab hominibus derelictus, *Dominus* non reliquit, ſed *aſtitit* & *confortavit* ſeu confirmavit *me*, & hâc libertate dicendi donavit, nec permiſit excidere. Non quòd auxilio dignus eſſem, inquit, adjutus ſum, ſed propter *prædicationem*, ut expleretur & ad terminum perveniret, & omnibus Gentibus nota fieret prædicationis potentia & gubernatio providentiæ circa me habitæ. Hanc aſſiſtentiam Chriſtus diſcipulis ſuis pollicitus eſt *Luc.* c. 12. ℣. 12. & c. 21. ℣. 15.; & ipſi *Paulo Act.* c. 23.

℣. 11. & c. 27. ℣. 23. & 24. An apparuerit ei Dominus per Angelum an per ſeipſum non liquet. *Leonem* plerique Neronem interpretantur, ſic dictum ob ferociam animi, ex *Chryſ.* Agebatur autem tertius annus imperii ejus, quandò *Paulus* primùm ad tribunal ejus ſtetit: Alii tamen, quod probabiliùs eſt, hâc ſermonis figurâ tantùm ſignificari putant periculi magnitudinem, è quo divinâ ope fuerit ereptus, ex *Eſp. n. & Eſtio.*

℣. 18. *Liberavit me Dominus ab omni opere malo: & ſalvum faciet in regnum ſuum cæleſte, cui gloria in ſecula ſeculorum. Amen.*

Liberavit, græcè & ſyriacè, *eripiet me*, ut ſenſus ſit, non ſolùm ereptus ſum è vitæ periculo, verùm etiam certò confido, fore ut idem Chriſtus *Dominus* impoſterùm me conſervet, ſi non à perſecutione & periculo; certè *ab omni opere malo*, quo ſcilicet à confeſſione nominis ejus recederem. Id eſt, confido fore ut non patiatur me ſuperari à tentatione, ſed daturus ſit conſtantiam uſque ad mortem, q. d. etſi à morte præſenti non eripiat, futurum tamen confido, ut me *ſalvet* perducendo *in regnum ſuum cæleſte*, ubi perpetuâ vitâ & ſalute cum eo fruar: *Cui* ſcilicet Chriſto *Domino*, *gloria in ſecula ſeculorum. Amen*, ita ut clarum ſit Apoſtolum, hìc Chriſto adſcribere quæ alibi Deo velut propria tribuit: ùt 1. *Tim.* 1. ℣. 17. & *Rom. ult.* ℣. 27.; ex *Eſtio.*

℣. 19. *Saluta Priſcam, & Aquilam, & Oneſiphori domum.*

Salutat more ſuo, & hos quorum frequenter fecit mentionem, ùt *Rom. ult. Domum*, id eſt, familiam.

℣. 20. *Eraſtus remanſit Corinthi. Trobimum autem reliqui infirmum Mileti.*

Quoniam horum nullam fecerat mentionem, unc eorum meminit, ut oſtendat quòd undiquè olus ſit relictus, & quòd ipſi ſit opus Timotheo: e *Eraſto* agitur *Act.* 19. & *Rom. ult.*; de alio auem *Act.* 20. & 21. Utrùm *Paulus* quando naviabat in Judæam, reliquerit *Trophimum Mileti*, n verò poſtquam Romam venerit, rursùs ad as accerſerit regiones, certò non poſſumus aſerere, ait *Occum.*; utì nec an Mileti pro Melita criptum ſit, ùt ſuſpicatur *Baron. Trophimus* Arelaten. Epiſcopus deſtinatus fuit, de cujus onte tota Gallia fidei rivulos accepit, ùt ait *Sozimus Papa*: & legitur *in Martyrologiis ad* 4. *Cal. Jan.*

℣. 21. *Feſtina ante hyemem venire. Salutant te Eubulus, & Pudens, & Linus, & Claudia, & fratres omnes.*

Dicit *ante hyemem*, Timotheo conſulens quòd hyberno tempore periculoſa ſit navigatio. Romæ verùm morantes *te ſalutant Eubulus, Pudens & Linus*, idem qui Petro proximus in Epiſcopatu Romano poſteà ſucceſſit, neque ſolùm iſti te ſalutant, ſed & reliqui *omnes* qui Romæ ſunt *fratres* ſeu fideles.

℣. 22. *Dominus Jeſus Chriſtus cum ſpiritu tuo. Gratia vobiſcum. Amen.*

Cum ſpiritu tuo, id eſt, *Dominus* tecum ſit per gratiam ſuam: undè ſequitur, *gratia vobiſcum*, id eſt, tecum & cum univerſa Eccleſia tibi commiſſa. Pro *vobiſcum* Græci legunt *nobiſcum*: ita *Eſpenc.* & *Eſtius.*; huic tamen præplacet vulgata noſtrorum codicum lectio. *Eſpenc.* & *Eſtius.*

IN EPISTOLAM B. PAULI APOSTOLI Ad Titum.

ARGUMENTUM.

Titus fidelis Pauli diſcipulus, Cretæ inſulæ quæ nunc Candia, ordinatus Epiſcopus. Cùm multi ibidem eſſent qui legis prætextu conarentur populum ſeducere, hoc cognito ſcribit Paulus. Et primùm de Preſbyteris ſive Epiſcopis ordinandis admonet; mox adversùs Judaïzantes inſurgit, quos jubet acriter increpari. Ætatum ac perſonarum officia præſcribit: obedientiam ſervis ergà dominos commendat. A vanis quæſtionibus avocat, & hæreticum fugiendum monet. Veriſimile eſt, ſcriptam eſſe ante captivitatem Pauli, quia vinculorum hìc nulla mentio. Nicopoli ſcriptam cenſet Hieron.

CAPUT I.

Monet ut per civitates Presbyteros inſtituat, & quales ii eſſe debeant, per eos redargui debere errorum magiſtros Judaicis fabulis deditos.

℣. 1. *Paulus ſervus Dei, Apoſtolus autem Jeſu Chriſti ſecundùm fidem electorum Dei, & agnitionem veritatis, quæ ſecundùm pietatem eſt.*

PEculiare eſt huic Epiſt., quòd in ejus fronte *ſervum Dei* Paulus ſe nominet. Sic autem ſe dicit, non ſolùm communi ratione quâ ſervi Dei dicuntur quicumque verum Deo cultum exhibent; ſed quòd in familia & regno Dei certum miniſterium atque officium ſibi injunctum habeat: ideò ſe *Apoſtolum Chriſti Jeſu* dicit, in hoc miſſum, ut iis qui ſunt à Deo *electi fidem* quâ ſalventur, annuntiet, ut ſic electi Dei credant & agnoſcant veritatem, ita *Gaig*. Neminem offendere debet, quòd Apoſt. ſe vocet *ſervum Dei*, *Apoſtolum autem Jeſu Chriſti*; quaſi Chriſtus non ſit Deus: nam Chriſtum ſecundùm id quod homo eſt & caput totius Eccleſiæ, conſiderat: Quin potiùs ex eo quòd indifferenter, modò Dei, modò Chriſti ſervum ſe nominet; vult intelligi Chriſtum eſſe Deum. Ita *Eſtius*.

℣. 2. *In ſpem vitæ æternæ, quam promiſit qui non mentitur, Deus, ante tempora ſæcularia:*

Quæ veritas circa *pietatem*, verumque Dei cultum verſatur, & *in ſpem vitæ æternæ*, id eſt, ſpem vitæ æternæ habet. Senſus eſt: & ut electi agnoſcant Chriſtianam veritatem, quæ ſecum habet ſpem vitæ æternæ annexam. Ne verò ſpem hanc fruſtratoriam putarent, addit, *quam promiſit ante tempora ſecularia*, id eſt, ab æterno ſeu ante mundi conſtitutionem, ùt *Joan.* 17. ℣. 5. & *ad Eph. ſ.* 1. ℣. 4. *Deus* verax *promiſit*, licèt promiſſam hanc vitam diu diſtulerit: vel *promiſit* ab antiquis temporibus per Prophetas; ùt *Zach. in Cantico Luc.* 1. ℣. 70.; vel ab initio ſeculorum ſcilicet in Paradiſo, dicens ad ſerpentem *Gen.* 3. ℣. 15. ſemen mulieris conteret caput tuum. Verùm prima expoſitio magìs propriè explicat phraſim *ante tempora ſecularia*, id eſt, ante Mundi conſtitutionem: nam ſecula ſimul cum mundo ceperunt initium, teſte Apoſtolo *ad Heb.* c. 11. ℣. 3.; & idem valet ac ſi diceretur *ab æterno*; quia ante mundum ſola fuit æternitas: ex *Eſtio.*

℣. 3. *Manifeſtavit autem temporibus ſuis verbum ſuum in prædicatione, quæ credita eſt mihi ſecundùm præceptum Salvatoris noſtri Dei:*

Definito autem tempore *verbum*, id eſt, ſpem vitæ æternæ promiſſam, ùt *Hieronymus* interpretatur, *manifeſtavit per prædicationem* Evangelii *quæ mihi credita* & commiſſa eſt, ex *præcepto* ſeu injunctione *Salvatoris noſtri Dei. Verbum ſuum*, ſive *ſermonem ſuum Hieron.* etiam interpretatur filium qui eſt verbum Patris. Hunc enim Pater manifeſtavit mundo per Apoſtolorum prædicationem. Græci *verbum* Evangelii

ntelligunt. Prima *verbi* expoſitio contextui conormior: eſt *in prædicatione*, id eſt, per prædicaionem illius æternæ promiſſionis ſeu propoſiti livini, idque apertè cum magna loquendi liertate, ait *Chryſ.*

℣. 4. *Tito dilecto filio ſecundùm communem fidem, gratia & pax à Deo Patre, & Chriſto Jeſu Salvatore noſtro.*

Subintellige ſcribit hanc Epiſtolam. *Dilecto*, græcè, *germano*, ùt 1. *Tim.* c. 1.; qui ſibi in Evangelio non ſerviliter, ſed liberaliter & ingenuè operam præſtitit; *communem fidem* dicit ſuam & *Titi*, ex *Hier.*, non autem *communem* omnibus fidelibus. *Gratia & pax*, græcè, *gratia*, *miſericordia*, *pax à Deo Patre*; de quibus in aliis epiſt.

℣. 5. *Hujus rei gratiâ reliqui te Cretæ, ut ea, quæ deſunt corrigas, & conſtituas per civitates presbyteros, ſicut & ego diſpoſui tibi.*

Animadverte, quemadmodùm nihil hunc pudeat ad diſcipulum ſcribere, ut ea ſuppleret, emendaretque quæ fuiſſent à ſe intermiſſa; ad communem namque utilitatem intendebat, & commodum, non propriis honoribus proſpiciebat. Nec minùs illud attende quemadmodùm quæ laborioſa eſſent & plena diſcriminis, per ſe ipſe exequebatur. Quæ verò vel gloriam vel laudem allatura, diſcipulo demandabat; Epiſcoporum dico inſtitutiones conſecrationeſque & hujuſmodi quæ cæremoniis indigent, ùt notat *Theoph.* & *Oecum.*; qui per *Presbyteros* hoc loco Epiſcopos intelligunt, ùt 1. *Tim.* 3.; quod probatur ex ℣. 7. *Oportet enim Epiſcopum ſinè crimine eſſe*: ubi conjunctio *enim* manifeſtat, quòd de eodem loquatur. *Et conſtituas per civitates Presbyteros*: quibus ver-

bis injungit, ut civitatibus ſingulis ſinguli præficerentur Epiſcopi; neque enim volebat inſulam univerſam uni Epiſcopo demandari; ſed unamquamque urbem proprium habere paſtorem injunxit, ex *Chryſ.*; exiſtimans hoc modo leviorem fore laborem, & diligentiùs hos populum curaturos, ex *Theoph. Sicut & ego diſpoſui tibi*, græcè *ſicut & ego tibi ordinaveram*; quibus ſignificat ſe ea per literas repetere de conſtituendis Epiſcopis quæ coràm præceperat: vel *ſicut* qualitatem reſpicit, q. d. tales conſtitue Epiſcopos, quales præcepi, ex *Hier.*

℣. 6. *Si quis ſinè crimine eſt, unius uxoris vir, filios habens fideles, non in accuſatione luxuriæ, aut non ſubditos.*

Si quis ſit inculpatus, vel cujus vita pura ſit ab omni crimine & accuſatione; nam qui infamiâ notatus eſt, authoritatem amiſit, ſinè qua cum fructu præeſſe non poteſt: quem dicat *unius uxoris virum* diximus, 1. ad *Tim.* 3.; nempè qui unâ contentus vixerit, id eſt, qui non ſit bigamus. *Filios habens fideles*, id eſt, cujus filii ſi quos habeat, Chriſti fidem profeſſi ſint, & de luxu non poſſint accuſari, neque ſint intractabiles ſive immorigeri, ex *Chryſ.*

℣. 7. *Oportet enim Epiſcopum ſinè crimine eſſe, ſicut Dei diſpenſatorem: non ſuperbum, non iracundum, non vinolentum, non percuſſorem, non turpis lucri cupidum:*

Declarat ſe non de quibuſcumque Presbyteris agere, ſed de iis qui ſunt Epiſcopi quos *oportet eſſe ſinè crimine, ſicut Dei diſpenſatores*, id eſt, vicarios ac miniſtros in diſpenſatione Evangelii & Sacramentorum, ùt 1. *Cor.* 4. ℣. 1. & 2. *Cor.* 6. ℣. 3. *Non ſuperbum*, ſive ùt alii vertunt, *non protervum*, id eſt, ſui ſensûs & judicii te-

nacem, qui ratione non dimoveatur ab eo quod ſemel animo concepit; *non iracundum*, qui ad levem reſponſionis auram quaſi à vento folium moveatur; *non vinolentum*, græcè, *non debacchantem. Non percuſſorem*, id eſt, non ferientem conſcientias fratrum de his vide quæ diximus 1. *ad Cor.* 3. *Non turpiter lucro deditum*; quaſi lucrum quodvis, etiamſi juſtum eſſe videatur, turpe ſit Epiſcopo, hoc eſt, ut magnum pecuniarum contemptum præferat, ait *Chryſ.*

℣. 8. *Sed hoſpitalem, benignum, ſobrium, juſtum, ſanctum, continentem,*

De *hoſpitalitate* diximus in 1. *ad Tim.* 3. græcè, amatorem hoſpitum; *ſed benignum* ſive bonarum rerum ſtudioſum; *ſobrium* pro quo aliqui legunt prudentem, alii caſtum, pudicum; *juſtum* qui innocenter inter homines verſetur. *Sanctum*, purum ab affectibus, vel qui incontaminatè Deum colat: *continentem*, alii legunt *temperantem*, qui vitium omne ſuperavit, ait *Chryſ.*

℣. 9. *Amplectentem eum, qui ſecundùm doctrinam eſt, fidelem ſermonem: ut potens ſit exhortari in doctrina ſana, & eos, qui contradicunt, arguere.*

Non ſatìs eſt Epiſcopo ſi inculpatè vivat niſi etiam doctus ſit & alios docere poſſit. *Rom.* 12. ℣. 7., & tenaciter adhæreat *fideli ſermoni*; id eſt, certæ & exploratæ veritati, ut non ſolùm docere alios poſſit, verùm etiam *potens* ſit ſeu idoneus qui exhortetur ad pietatem & ad virtutem, idque per *ſanam* & integram *doctrinam*, *& eos* qui ſanæ doctrinæ *contradicunt* vel reſiſtunt, revincere Scripturæ teſtimoniis & rationibus; quod *Paulus* & alii Apoſtoli fecerunt, ex *Chryſ.*

℣. 10. *Sunt enim multi etiam inobedientes, vaniloqui, & ſeductores: maximè qui de circumciſione ſunt:*

Cauſam reddit cur Epiſcopum velit eſſe potentem ad exhortandum: *ſunt enim* apud Cretenſes multi *inobedientes*, id eſt, intractabiles qui non ferant Chriſtianam diſciplinam: *vaniloqui* qui inania loquuntur & docent: *ſeductores* ſive mentium deceptores, *maximè qui* Judæi ſunt.

℣. 11. *Quos oportet redargui: qui univerſas domos ſubvertunt, docentes quæ non oportet, turpis lucri gratiâ.*

Quibus oportet ſilentium indici, non enim paucos aliquot fideles ſuâ doctrinâ pervertunt, ſed totas familias *ſubvertunt*, *docentes* falſa & noxia dum quæſtum exiſtimant pietatem, ut 1. *Tim.* 6.

℣. 12. *Dixit quidam ex illis, proprius ipſorum propheta: Cretenſes ſemper mendaces, malæ beſtiæ, ventres pigri.*

Prophetam vocat Epimeridem quòd de oraculis ſcripſiſſet, & rerum arcanarum notitiam profiteretur. Neque tamen abſolutè eum *Prophetam* dicit quem noverat à vero Dei cultu alienum, ſed *proprium ipſorum*, id eſt, Cretenſium *Prophetam*. Quod ita videtur intelligendum, vatem ſeu Prophetam domeſticum, & ab ipſiſmet Cretenſibus pro tali habitum, cujus proindè teſtimonium adversùs eos proferatur. Porrò *Cretenſes* adeò *mendaces* paſſim audierunt, ut locum dederint Proverbio apud Ethnicos ipſos, cum Cretenſibus cretizandum, quo ſignificabatur adversùs eos utendum mendacio. *Malæ beſtiæ* vocantur quòd eſſent ad nocendum prompti, more beſtiarum earum quæ ictu, morſuve venenum relinquunt: *ventres pigri*,

gri, quòd gulæ & inerti otio dediti eſſent; *Hier.*

℣. 13. *Teſtimonium hoc verum eſt. uam ob cauſam increpa illos durè, ut ani ſint in fide,*

Non totum carmen de quo ſumptum eſt, non niverſum opus, ſed tantùm *hoc teſtimonium*, ic verſiculus quò ſuos inſulares notat vanitis, maleficentiæ, & inertis gulæ, adeò *verum ſt* ut oraculum videri poſſit, ita *Oecum & Anſl.* Noverat hoc *Paulus* experientiâ doctus & mâ publicâ; neque tamen deſperabat apud os Evangelii fructum, utpotè confiſus virtuti ratiæ Dei per Chriſtum quam illis prædicaat. Nec maledicus eſt hæc ſcribens, ſed Genis ulcera commemorat medico quem eis reliuerat, videlicet Tito, cui dixit hujus rei graiâ reliqui te Cretæ, ut ea quæ deſunt, corrigas; deò, inquit, *increpa illos durè*, ſeu argue illos criter, ne eis parcas, ne diſſimules, ùt 2. *Cor. ult.* ℣. 10. q. d. Cùm tales ſint, tu eos ita redargue rationibus è verbo Dei petitis, ut ulcera eorum ferro increpationis tangas & quod vitioum eſt, ad vivum reſeces. Sunt qui putant præcipi Tito, ut excommunicationis gladio eos abſcindat à reliquo corpore, ut integritatem doctrinæ Chriſtianæ conſervent, & ſanam, rectamque fidem ſequantur, ita *Gaig.* Hoc ſenſu intelligendum diximus quod legitur *Gal.* 5. ℣. 12. Verùm etſi hic ſenſus de loco citato ad *Cor.* probabiliter etiam dici queat, huic tamen loco non convenit; ubi generatim agitur de vitiis alicujus Nationis corrigendis: ita *Eſtius*.

℣. 14. *Non intendentes Judaïcis fabulis, & mandatis hominum, averſantium ſe à veritate.*

Duplici ratione obſervationes *Judaïcæ* dicun-

tur *fabulæ*, & quia tempus ipſarum præteriit, & quia etiam cùm in vigore eſſent, figuræ erant veritatis, & non ipſa veritas, ita *Oecum. Judaïcas fabulas* vocat cæremonialia legis Moſaïcæ, quatenùs poſt Chriſtum obſervanda proponuntur tanquam ad ſalutem neceſſaria; ex *Chryſ.*: vel traditiones ſeu præcepta Phariſaïca; ſed de his agitur in parte ſequenti: quare veriſimilius eſt, hìc intelligi narrationes fabuloſas à Rabinis Judæorum excogitatas & auditoribus tradi ſolitás pro vera hiſtoria quaſi ad intelligentiam neceſſaria, ùt 1. *Tim.* 1. *Et mandatis hominum averſantium ſe à veritate*. Scriptura hìc ut omni alio loco, ubi *de mandatis* & traditionibus *hominum* in malam partem loquitur, ea ſemper intelligit quæ ſic ab hominibus inſtituta ſunt, aût præcepta, ut aût omninò nihil ad pietatem conducant, aut etiam pietati ac legi Dei repugnent: utriuſque generis exempla referuntur *Matth.* 15. & 23. *Marc.* 7. Prioris generis ſunt lotiones inutiles: poſterioris verò Corban & juramenta per templum & altare. Hâc ratione etiam illud à *Paulo* dictum eſt 1. *Cor.* 3. *Nonne homines eſtis*? Undè patet quàm impudenter detorqueant hunc locum hæretici contra conſtitutiones Eccleſiaſticas & Pontificias, quaſi ſint hominum mandata ac non potiùs Dei, *Luc.* 10. ℣. 16. ex *Eſtio*.

℣. 15. *Omnia munda mundis: coinquinatis autem, & infidelibus nihil eſt mundum, ſed inquinatæ ſunt eorum & mens & conſcientia.*

Judæorum ſuperſtitionem arguit, qui putabant adhuc immundum eſſe aliquid ciborum, & ita perſuadebant nonnullis, contra quos *Paulus* nullum cibum ſuâ naturâ aut Dei præcepto Chriſtianis immundum eſſe docet, ùt *Col.* 2. ℣. 20. *& ſeqq.*, *Rom.* 14. ℣. 14. & 20. q. d. In

reaturis Dei nihil eſt ex ſe immundum, ſed *mnia munda ſunt mundis*, hoc eſt, benè ac ctè utentibus. Jam autem ut benè rebus tantur homines, imprimis opus eſt fide, quâ redant omnia eſſe munda. Nam in lege quidem eteri multa prohibebantur velut immunda, ſed gnificatione non naturâ; ex *Aug. l.* 31. *cont. auſt.* c. 4. Quod & Chriſtus docet dum obli-ante adhuc lege dixit *Matth.* 15. *Non quod trat in os, coinquinat hominem, ſed quæ de rde procedunt.* Hoc & Apoſtolus alibi adhuc anifeſtè dicit., 1. *Tim.* 4. ℣. 4. *Omnia ergo unda mundis*, id eſt, fideliter ac benè uten-bus; ſic è diverſo *coinquinatis & infidelibus*, l eſt, iis qui per immunditiam cordis aut per fidelitatem Dei creaturis vel abutuntur, vel uaſi eſſent impuræ, non utuntur, *nihil eſt mun-um*, ſed omnia immunda. Non quòd creatura ei veram contrahat immunditiam per malum ſum aut falſam hominum opinionem, ſed par-m, quia conſcientia hominis exiſtimantis ali-uid immundum eſſe, facit ut quandiu eâ con-ientiâ ipſe laborat, eâ re ſinè peccato uti ne-ueat, nec ſecùs ac ſi res verè immunda eſſet, uomodo *Rom.* 14. ℣. 14. dictum eſt ei qui pu-t *aliquid commune eſſe, illi eſſe commune;* un-è & ibidem generaliter concludit ℣. 23. *Omne uod non eſt ex fide, peccatum eſt.* Partim verò, uia ſicut res ſimpliciter bona ſit mala malè tenti, ita res ſimpliciter munda fieri dicitur mmunda abutenti per cordis immunditiam, ita *ug. Coinquinatis* ergò *& infidelibus nihil eſt rum*, ſed omnia impura: quia nimirùm *in-uinata eſt eorum mens & conſcientia:* mens ia per errorem res per ſe mundas judicat eſ- immundas, conſcientia verò quâ errante ipſos ad opus applicant, in utramvis partem. am qui perſuaſus eſt verbi gratiâ, ſuillam

ctis autem negant : cùm ſint abom
& incredibiles, & ad omne opus
reprobi.

Profitentur unius veri Dei notitiam
tum, ſed quem ore confitentur, *factis*
hoc verè impurum eſt; abſque operibu
fides mortua eſt; ita notat Judaïzantes,
cum. Loca ſimilia ſunt *Rom.* 2. & *Jacob*
cat *abominabiles* propter vitæ, morumqu
ritatem, *incredibiles* ſeu imperſuaſibiles
lam admittentes rationem ex verbo D
que *Reprobi* quatenùs ex lege Moſaï
tiam quærentes & gratiam Chriſti reſp
eſſent *ad omne bonum opus* inepti, ùt
Joan. 15.

CAPUT II.

Docet quomodo Senes, anus, juniores, & ſervi inſtituendi ſint: & quomodo Titus ſe gerere debeat.

℣. 1. *Tu autem loquere quæ decent ſanam doctrinam:*

VErùm quanquam hi tales ſint, illi fabulas doceant & mandata hominum: *tu verò* iſtorum loco tanquam ſincerus Evangelii miniſter ea *loquere* & trade fidelibus quæ conſentanea ſunt *ſanæ & incorruptæ doctrinæ*, ſive quoad fidem pertinent, ſive quoad mores; ex *Eſtio.*

℣. 2. *Senes ut ſobrii ſint, pudici, prudentes, ſani in fide, in dilectione, in patientia:*

Loquere, id eſt, præcipe *ſenes* ætate ſobrios eſſe, ex *Chryſ.*; *pudicos*, græcè, graves vel honeſtos; *prudentes* ſeu temperantes, ut 1. *Tim.* 1.; *Sani in fide* ſunt quando nullo infidelitatis vel perfidiæ languore infirmantur: *ſani in dilectione* quando non ſimulata ſed ſincera eſt dilectio & in Deum dirigitur. *Sani in patientia*, quando dura & adverſa tolerantur, non ut gloria comparetur apud homines, ſed ut ad bona à Deo promiſſa perveniatur. Eccleſiæ præcipuè *ſeniores* intelligit, ex *Hier.*

miſſuæ: ut patet ex 1. *ad Tim.* 2. Dom
permittit exhortationis verbum, ait *Ch*

℣. 4. *Ut prudentiam doceant ad*
tulas, ut viros ſuos ament, fili
diligant,

Anus admonendas inquit, ut ſint
tis magiſtræ quo poſſint modeſtas,
tes, graves, ac temperatas reddere j
las; non enim vult immediatè hæc
Epiſcopum vitandi ſcandali causâ, niſi
cione publica. *Viros* & *filios ament*; ex
liqua bona oriuntur, ait *Chryſ.*

℣. 5. *Prudentes, caſtas, ſobri*
mûs curam habentes, benignas, ſ
viris ſuis, ut non blaſphemetur v
Dei:

Quæ enim virum dilexerit, caſtam
ram mente præſtabit & corpore, & *do*
ram habebit, hæc rem domeſticam b
penſabit, placida ac mitis erit ergà dom
& *viro ſubdita* ne doctrina Chriſtiana n

℣. 7. *In omnibus teipſum præbe exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in gravitate,*

Poſtquam Titum admonuit quibus præceptis ſenes, &c. inſtituere debeat; nunc ipſi præcipit ut *in omnibus* quæ ab aliis exigit, *ſeipſum præbeat exemplum* (ut 1. *Tim.* 4.) *bonorum operum* quæ reſpondeant doctrinæ; ut & ſanctâ converſatione & doctrinâ & integritate & gravitate authoritatem ſuam & doctrinæ Evangelicæ commendet.

℣. 8. *Verbum ſanum, irreprebenſibile: ut is, qui ex adverſo eſt, vereatur, nihil habens malum dicere de nobis:*

Inter docendum non aliud loquere quàm quod ſanæ fidei conveniat, quodque non facilè pateat reprehenſioni aut contemptui, ut adverſarius quicumque ille eſt, qui in Chriſtianis quærit quod calumnietur, pudore ſuffundatur, dum nihil invenit in nobis Epiſcopis reprehenſione dignum ulla ex parte, ait *Chryſ.*

℣. 9. *Servos dominis ſuis ſubditos eſſe, in omnibus placentes, non contradicentes,*

Admonet, *Servis* injungendum eſſe ut obſervent obedientiam ac fidelitatem; *in omnibus placentes*, id eſt, gratam & placitam exhibentes ſervitutem in iis ad quæ dominorum poteſtas extenditur: *non contradicentes*, ſeu non obloquentes aut reſponſantes aut muſſitantes adversùs imperia.

℣. 10. *Non fraudantes, ſed in omnibus fidem bonam oſtendentes: ut doctrinam Salvatoris noſtri Dei ornent in omnibus.*

Non fraudantes ſeu non ſuffurantes, *ſed in omnibus* integram præſtantes fidelitatem ne per eorum improbitatem nomen Domini & *doctrina* blaſphemetur, ut ita apud heros ſuos & quoſcumque alios cum quibus verſantur, *Doctrinam* Chriſti *Salvatoris noſtri Dei* commendatam reddant, ſicque plures ad eam amplectendam alliciantur, ex *Chryſ.*

℣. 11. *Apparuit enim gratia Dei Salvatoris noſtri omnibus hominibus,*

Rationem innuit cur in catalogo eorum qui inſtituendi ſunt, deſcenderit ad ſervos, infirmam hominum conditionem; quia nimirùm *apparuit gratia Dei Salvatoris omnibus hominibus*: & proindè nulla diſtinctio vel perſonarum acceptio ab Epiſcopo fieri poteſt in ordine ad inſtructionem fidei. Per *gratiam Dei Salvatoris* vel intelligitur ipſe Chriſtus Dominus gratis nobis datus à Deo Patre ad ſalvandum genus humanum, qui pluribus apparuit in carne & poſteà *omnibus hominibus* per fidem ita ut nemo ab ejus cognitione poſſit excludi: vel *gratia Dei Salvatoris*, id eſt, gratia Domini Jeſu Chriſti genus humanum gratis per baptiſmum ſalvare cupientis *apparuit* per illuminationem Evangelii *omnibus hominibus*, nullum excipiens, nullum qui cordis oculos aperire velit, præteriens, hæc *Anſel.*; ùt 2. *Cor.* 1. Meliùs autem nomine *gratiæ Dei* non effectus beneficentiæ divinæ gratuitus, ſed ejus cauſa, id eſt, ipſa Dei beneficentia intelligitur; quam *cap. ſeq. benignitatem & humanitatem Dei* appellat. Hanc *apparuiſſe* dicit *omnibus hominibus*

non quòd omnibus & ſingulis innotuerit, ſed quia per Apoſtolos palàm mundo prædicata ſalutem adferebat omni generi hominum ne ſervis quidem exceptis.

℣. 12. *Erudiens nos, ut abnegantes impietatem, & ſecularia deſideria: ſobriè, & juſtè, & piè vivamus in hoc ſeculo,.*

Gratia, inquam, *erudiens nos* ex rudibus provectos faciens, *ut abnegemus impietatem*, id eſt, infidelitatem paganorum & perfidiam hæreticorum; & *ſecularia deſideria*, id eſt, cupiditates voluptatum hujus ſeculi abnegantes cum ſobrietate, ſeu temperantia, juſtitia, & pietate *vivamus*: temperantia eſt quâ quiſque ſit ordinatus erga ſcipſum: juſtitia quâ ergà proximos, pietate quâ ergà Deum; ex *Fulgent. l. 1. de remiſſ. pecc. c.* 28. Porrò tribus his virtutibus correſpondent tria opera quibus Deum placamus, ab Angelo ſingulariter commendata *Tob.* 12. Scilicet jejunium, eleëmoſyna & Oratio.

℣. 13. *Expectantes beatam ſpem, & adventum gloriæ magni Dei, & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti.:*

Dum interim expectamus promiſſam beatitudinem tanquam præmium bonarum actionum hujus vitæ, & *adventum* cum ſplendore & manifeſtatione, ſeu Hebræâ phraſi adventum glorioſum. Hunc expectant qui ſobriè, juſtè, & piè vivunt in hoc ſeculo, quia non niſi per eum adepturos ſe ſciunt participationem gloriæ Chriſti quâ perfectam aſſequantur redemptionem, ut *Luc.* 1. ℣. 28., *Rom.* 8. ℣. 23., *Philipp.* 3. ℣. 20. & 21. *Joan.* 3. ℣. 2. Nomen *Dei magni* ad tres perſonas refert *Cajet.*, ad Deum Patrem *Ambroſianus*: Meliùs ad filium *Chryſ.* & *Hier.* qui hoc loco retundi Arianos putant quòd filius non

quomodocumque Deus, ſed *magnus Deus*, vocetur. Adde quòd hic adventus non Patri nec Spiritui ſancto, ſed Filio tribui ſoleat, ùt qui ſolus in humana forma glorioſus ac viſibilis mundum judicaturus eſt; nam & verbum græcum, ἐπιφάνεια aliis locis attribuitur Chriſti adventui: 2. *Theſ.* 2. ℣. 8., 1. *Tim.* 6. ℣. 15. & 2. *Tim.* 4. ℣. 1. ; ex *Eſtio*.

℣. 14. *Qui dedit ſemetipſum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret ſibi populum acceptabilem, ſectatorem bonorum operum.*

Qui in aſſumpta carne *ſemetipſum* tradidit in paſſionem & mortem *pro nobis*, ſive omnibus hominibus, ſive ſpeciatim electis: nam pretium mortis Chriſti ſufficit quidem omnibus redimendis & ſalvandis, ſed ſolis ad ſalutem applicatur electis, ideò ſeipſum tradidit in mortem, *ut* eo pretio *nos redimeret ab omni* peccato, quo mortem merebamur; omnes enim eramus ſervi peccati, *Joan.* 8. ℣. 34. Conſiſtebat autem ea ſervitus in duobus, in affectu & reatu, *Rom.* 6. & *Heb.* 2. ℣. 15. *Ut nos ab omni iniquitate* redemptos & emundatos poſſideret tanquam *populum acceptabilem* vel peculiarem, præcipuum, egregium, ita *Hieron.*, *ſectatorem* ſeu *æmulatorem bonorum operum*: vides ut non ſimpliciter opera virtutis à nobis exigantur, ait *Chryſ.*

℣. 15. *Hæc loquere, & exhortare, & argue cum omni imperio. Nemo te contemnat.*

Hæc quæ dicta ſunt de doctrinis & fabulis Judaïcis, de apparitione gratiæ & abnegatione impietatis, & quòd Dominus ſeipſum dedit redemptionem pro nobis, ut nos liberaret ab iniquitate, *loquere* ignorantibus & inobedientibus aut contradicentibus; & *exhortare* ſcientes, &

argue cum omni imperio, cum imperioſa authoritate; maximè quando increpandi ſunt & arguendi refractarii. Ita, inquit, te gere in officio ne meritò quis te deſpiciat, ita *Hieron.*

CAPUT III.

Principibus parere jubet, contentioſas quæſtiones vitari & hæreticos.

℣. 1. *Admone illos principibus, & poteſtatibus ſubditos eſſe, dicto obedire, ad omne opus bonum paratos eſſe:*

A*Dmone* Cretenſes, licèt à conditione ſervili ſint alieni, ut ſint *Principibus* & *Poteſtatibus ſubditi*, Ducibus, Conſulibus, Tribunis & iis qui præſunt in republica: fortè quia vigebat adhuc apud multos dogma Judæ Galilæi de quo Gamaliel *Act.* 5, qui docuerat neminem debere vocari Dominum præter Deum ſolum, nec tributa ſolvenda ab iis qui decimas ad templum deferrent. *Ad omne opus bonum obedire*, q. d. non ad aliquod malum, ex *Hier.*

℣. 2. *Neminem blaſphemare, non litigioſos eſſe, ſed modeſtos, omnem oſtendentes manſuetudinem ad omnes homines.*

Neminem blaſphemare, non hominem, non Angelum, non aliquam creaturam Dei, ait *Anſel.*; omnia quippè à Deo facta ſunt valdè bona: huc referuntur cetera linguæ vitia ex odio & contemptu proximi nata, ùt convicium, contumelia, calumnia, detractio, irriſio; *non litigioſos eſſe*, ſub quibus verbis prohibentur omnes verborum pugnæ; ùt lites, rixæ, contentiones; *ſed modeſtos*, græcè, *mites*, placidos, hu-

manos eſſe: nam ſervum Domini, id eſt, Epiſcopum dixit non oportere litigare, ſed *manſuetum eſſe ad omnes*, 2. Tim. 2.

℣. 3. *Eramus enim aliquando & nos inſipientes, increduli, errantes, ſervientes deſideriis & voluptatibus variis; in malitia & invidia agentes, odibiles, odientes invicem.*

Quia præceperat omnem exhiberi manſuetudinem ergà omnes homines, volens eâ generalitate comprehendi etiam infideles & veritatis adverſarios: nunc quàm æquum ſit hoc præceptum, oſtendit à lege charitatis, quæ dictat, ut tales ſimus ergà alios quoſcumque, quales vicibus commutatis, alios ergà nos eſſe vellemus. Hinc diſcant *primùm*, qui per gratiam Chriſti jam fideles ſunt & in novitate vitæ ambulant, erroris priſtini memores, non ſe faſtuosè efferre adversùs eos qui adhuc in errore & vetuſtate vitæ detinentur. *Deindè* cogitent illos poſſe ſi Deus miſereatur, Chriſti gratiæ fieri participes; *tertiò* quales ante Chriſti gratiam ſint omnes homines; nam dicendo, *& nos*, ſeipſum & Titum includit. *Inſipientes*, quia verâ ſapientiâ deſtituti; *increduli*, græcè, *inobedientes*, ex *Hier.* hoc autem vocabulo *Paulus* notat infideles veritati reſiſtentes; *errantes* tam in via morum, quàm doctrinæ; *ſervientes*, id eſt, addicti more ſervorum *deſideriis*, ſcilicet carnalibus omnis generis. Vitia autem ſpiritualia conſequenter jam enumerat: *In malitia*, id eſt, in malignitate quâ quis alteri malum vult; & *invidia agentes*, *odibiles* ſive *in malignitate & invidia*. *Odioſi*, qui morum improbitate aliorum odia adversùm ſe provocant; hinc alterum ſequitur, ſcilicet odium in *invicem*: ex *Hier.*

℣. 4. *Cùm autem benignitas & humanitas apparuit Salvatoris noſtri Dei:*

Poſtquam myſterium Incarnationis Chriſti Salvatoris noſtri mundo patefactum eſt; vel poſtquàm *benignitas & humanitas Dei* ùt c. 2. ℣. 11., declarata eſt in Nativitate aut Paſſione Filii ejus: vel meliùs poſtquàm ea per Evangelii prædicationem mundo illuxit atque innotuit: neque enim Chriſto naſcente aut patiente, ſed Evangelio Chriſti nati & paſſi per Apoſtolorum prædicationem coruſcante ſalvos nos fecit, *cùm* illuxit *benignitas*, id eſt, largitas exhibitionis miſericordiæ, & *humanitas*, id eſt, affectus miſericordiæ *Dei* Patris & *Salvatoris noſtri*; in quo docet beneficium gratuitæ noſtræ juſtificationis, ex *Eſtio*.

℣. 5. *Non ex operibus juſtitiæ, quæ fecimus nos, ſed ſecundùm ſuam miſericordiam ſalvos nos fecit per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritûs ſancti,*

Sentit Apoſtolus non ex ullo operum, quaſi juſtorum, merito, quæ à nobis facta eſſent, nos ſalvos factos eſſe per Chriſtum, quia nimirùm nulla erat noſtra juſtitia, niſi falſa; nulla opera juſta. Loquitur autem Apoſt. de ea juſtitia quam Scriptura commendat, & quæ valet ad ſalutem obtinendam: rejiciuntur ergò opera moralia tam legis quàm naturæ, quantumlibet ſpecioſa tanquam ad juſtificationem noſtram nihil omninò conferentia: nam opera verè juſta quæ *Paulus* ſexies *bona opera* hìc vocat & commendat, non ſunt noſtræ juſtificationis antecedentia merita, ſed ſub ipſa gratuita juſtificatione comprehenduntur, tanquam à Deo per Chriſtum nobis præparata, *Epheſ.* 2. ℣. 10.; ait enim, *ſed ſecundùm ſuam miſericor-*

-diam ſalvos nos fecit. Id eſt, per gratuitam beneficentiam quâ noſtri miſertus eſt, in quibus nihil boni reperit ad quod reſpiceret, ſalvos nos fecit. Ubi notandum, hanc ſalutem non intelligi in ſola gloria cœleſti, ſed complecti totam hominis renovationem ab initio fidei uſque ad perfectam ejus beatitudinem, ùt *Epheſ.* 2. ℣. 8.; quam & nunc in ſpe poſſidemus, *Rom.* 8. ℣. 24. Rectè igitur *Aug.* & *Thom.* docent ex hac ſcriptura, Deum nos ad ſalutem prædeſtinaſſe non ex ulla noſtrorum operum præſcientia, ſed ex ſola ſua miſericordia; ſicut enim ſalvos nos fecit, aït *B.Thom.* 1. *p.* *q.* 13. *a.* 5., ita prædeſtinavit nos ſalvos fieri; igitur ſi ſalvos fecit non ex operibus, ſed ex ſola ſua miſericordia; ſic quoque prædeſtinavit. *Per lavacrum regenerationis & renovationis* ſeu per baptiſmum quem vocat *lavacrum regenerationis*, quo tanquam inſtrumento operationis divinæ regenerati, mundati, & juſtificati ſumus; & *lavacrum renovationis*, quia per eum homo vetus exuitur & novus induitur, dum ſcilicet is qui baptizatur depoſitâ vetuſtate peccati in novam tranſit creaturam. Jam quod addit, *Spiritûs ſancti*, tam ad regenerationem, quàm ad renovationem referri debet; utraque enim eſt Spiritûs ſancti, tanquam cauſæ efficientis, ùt *Joan.* 3. ℣. 5.; q. d. novos iterùm fecit, ait *Chryſ.*

℣. 6. Quem effudit in nos abundè per Jeſum Chriſtum Salvatorem noſtrum:

Abundè, græcè, opulenter, ditiſſimè, ut ſenſus ſit, Deum non tenuiter aut parcè, ſed liberaliter & copiosè contuliſſe in nos dona Spiritûs ſancti. Quòd ſi de corpore Eccleſiæ intelligatur, apertè verum eſt: nam in Eccleſiam abundè effuſa eſt gratia Spiritûs ſancti. Sin autem referas ad ſingulos regeneratos, minùs apparet verum; cùm ſint multi, in quos tenui-

ter admodùm ſtillare gratia Dei videatur. Attamen ſi conſideretur excellentia charitatis quæ inter dona Spiritûs ſancti primatum tenet (per eam enim amici & Filii Dei atque hæredes regni conſtituimur) non videbitur Deus parcè effudiſſe Spiritum ſanctum in eum, cui tantum illius donum impertitus fuerit. Liquet etiam ex hâc parte, juſtificationem noſtram non conſiſtere in ſola remiſſione peccatorum, ùt volunt hæretici: ſed etiam ac præcipuè in donis Spiritûs ſancti ſuper nos effuſis; cujuſmodi ſunt fides, ſpes & charitas: nam remiſſio peccatorum non aptè dicitur effundi, ùt notat *Eſtius*; ſed Spiritus ſanctus, & ejus dona, ùt *Iſaïæ* 44. ℣. 3., *Ezech.* 39. ℣. 29., *Joël.* 2. ℣. 28., quem locum *Petrus* citat *Act.* 2. ℣. 17.; ſimili modo loquitur *Paulus ad Rom.* 5. ℣. 5. *Per Jeſum Chriſtum*, hæc verba tam *in Epiſtolis Pauli* quàm in orationibus Eccleſiæ cauſam promerentem ſignificant, ut ſit ſenſus: Chriſtum ùt hominem paſſione ſuâ nobis promeruiſſe affluentiam donorum Spiritûs ſancti, quibus renovamur. Ob eam cauſam vocat *Salvatorem noſtrum*, quia nimirùm univerſa ſalus noſtra ab initio fidei uſque ad gloriæ conſummationem ex illius eſt merito. Niſi cum aliis hoc ad *Chriſtum ùt Deum* referamus, ut ad ſignificandam æqualitatem perſonarum idem nunc de filio dicatur quod anteà de Patre; ex *Eſtio*.

℣. 7. *Ut juſtificati gratiâ ipſius, hæredes ſimus ſecundùm ſpem vitæ æternæ.*

Non noſtro merito, ſed gratuito ejus beneficio omne meritum noſtrum præveniente, *ita ùt gratis* ab eo *juſtificati* per ipſam juſtitiam nobis donatam inſtitueremur *hæredes vitæ*, idque cum ſpe certiſſima ipſius hæreditatis conſequendæ, *Rom.* 8. ℣. 24. Non ſecundùm carnalem hæreditatem vitæ temporalis, ait *Hier.*

Doctè, inquit *Eſtius*, Cajetanus annotat utrumque ab Apoſt. dici, & quòd gratiâ Dei & quòd hæreditario jure vitam æternam adipiſcamur.

℣. 8. *Fidelis ſermo eſt : & de his volo te confirmare : ut curent bonis operibus præeſſe qui credunt Deo. Hæc ſunt bona & utilia hominibus.*

Hæc quæ jam dixi de beneficio gratuitæ juſtificationis & ſalvationis noſtræ, certa ſunt & fide digniſſima. Tota quidem *Pauli* doctrina erat hujuſmodi ſeu *fidelis ſermo*; ſed hâc notulâ admonet quid ùt tale præcipuè velit inculcari auditoribus : undè & ſequitur. *Et de his volo te confirmare* ſcilicet auditores & diſcipulos tuos; *ut curent bonis operibus præeſſe qui credunt Deo.* Non tantùm, inquit, hæc doctrinâ præſtat integritatem fidei; verùm etiam eò conducit, ut qui in Deum, tanquam ſalutis authorem crediderunt, curam habeant bonorum operum, ac ſolliciti ſint, ut ea non ſolùm exerceant, ſed etiam omni ſtudio promoveant, tanquam operum exactores & præfecti. Si enim per gratiam Dei regenerati, renovati & juſtificati ſumus; utìque deinceps ambulandum nobis eſt in novitate vitæ & operibus juſtitiæ ut promiſſam ſalutem aſſequamur, *Rom.* 6.; vel ut ſtudeant præcellere, ſive præ aliis eminere bonis operibus; ſicuti decet bonorum operum profeſſores : ſed hunc ſenſum Græca non admittunt. *Hæc* quæ dicta ſunt de juſtificatione & bonis operibus, *ſunt bona & utilia hominibus*, non illa quæ ſequuntur, ùt notat *Hier.*

℣. 9. *Stultas autem quæſtiones, & genealogias, & contentiones, & pugnas legis devita. Sunt enim inutiles, & vanæ.*

Stultas quæſtion s vocat, quæ carent rationabili causâ quærendi, quæque nihil adferunt

ædificationis. Quales ùt plurimùm erant Judaïcæ quæſtiones, utpotè de rebus frivolis, interdùm ridiculis, nonnullis etiam planè incertis, ac nullâ authoritate traditis: quaſnam & quales *genealogias* reprehendat, diximus, 1. *Tim.* 1. *Contentiones*, quòd eæ ſoleant eſſe comites ſtultarum & inutilium quæſtionum: *pugnas legales* vocat eas verborum concertationes quas occaſione Legis Moſaïcæ Judæi inter ſe movebant, de cæremoniarum in ea præſcriptarum obſervatione & modo. *Sunt enim inutiles & vanæ:* hoc refertur ad ſtultas quæſtiones, genealogias, contentiones & pugnas legales; ex *Chryſ.*

℣. 10. *Hæreticum hominem poſt unam & ſecundam correptionem devita:*

Dicere poterat *Titus*, mones me, ut fugiam contentioſas diſputationes, quid igitur agam de eo qui contendere non ceſſat adverſùs veritatem ſatis ſibi declaratam? Reſpondet Apoſtolus admonendum eſſe ſemel & iterùm: quòd ſi nec ſic quidem acquieſcat ſanæ doctrinæ, repellendum eſſe nec ampliùs audiendum. At dicit, 1. *Tim.* 1. Si quando det illis Deus pœnitentiam, quomodo ergò hìc fugere eos jubet? Ibi de his loquitur de quibus eſt ſpes emendæ: hìc autem de illis qui incurabili morbo laborant, ait *Oecum. poſt Chryſ.* Quæres quomodo hæc cohærent cum iis quæ Chriſtus *Matth.* 18. dicit de fraterna correptione. ℞. Certior reſponſio eſt, ait *Eſtius*, ordinem correptionis à Chriſto inſtitutum non eſſe univerſalem: atque adeò non pertinere ad peccatores manifeſtos, de quibus hìc agit Apoſtolus. Quod conforme eſt *Janſenio* qui *in comm. Matth.* c. 18. ℣. 19. dicit. Hic eſt ergo ordo correptionis ſecretorum peccatorum & quidem fraternæ &c.

℣. 11. *Sciens quia ſubverſus eſt, qui ejuſmodi eſt, & delinquit, cùm ſit proprio judicio condemnatus.*

Reddit rationem, non tam cur fugiendus ſit poſt unam alteramque correptionem hæreticus, quàm cur Epiſcopo deinceps ab eo corripiendo ceſſandum; *ſciens quia ſubverſus*, ſeu *everſus eſt* ex græco, videlicet diſſipato fidei fundamento, ut ſpes nulla ſuperſit admonitionibus; & *delinquit*, græcè, *peccat*, *cùm ſit proprio judicio condemnatus*: quæ verba variè exponuntur. Vel peccat contra conſcientiam, ùt qui ſciens & volens veritatem oppugnet: vel peccat in eo, quòd à ceteris omnibus diſſidens *proprium* ſequatur *judicium*, ex *Hier.*; vel peccat non quomodocumque, ſed ita ut *proprio* ſe *judicio condemnet*, dum præveniens quodammodò judicium Epiſcopi quo condemnandus eſſet, & à fidelium ſocietate ſeparandus; ipſe ſemetipſum ab ea palàm ſeparat pertinaciter ab ejus doctrina diſſentiens, in quo diſtinguitur ab aliis excommunicatis qui ſolent inviti projici extra Ecclesiam, at hæreticus ſemetipſum ſegregat, ut ait *Judas Apoſtolus* ℣. 19. Non diſſimile eſt quod Dominus dicit *Joan.* 3. *Qui non credit, jam judicatus eſt.*

℣. 12. *Cùm miſero ad te Artemam, aut Tychicum, feſtina ad me venire Nicopolim: ibi enim ſtatui hyemare.*

Hìc notanda providentia Apoſtoli: Titi præſentiâ opus habet ad promovendum aliis in locis Evangelium, non priùs tamen eum vult ad ſe venire, quàm in ejus locum ſubmiſerit *Artemam aut Tychicum*, ne Cretenſes Epiſcopali curâ deſtituerentur; tale quid *in ſecunda Ep. ad Tim.* vidimus: undè Epiſcopi publici boni causâ poſſunt abeſſe ad tempus ab Eccleſiis.

Artemas diſcipulus fuit *Pauli* idoneus qui Eccleſiam regeret, de *Tychico* frequens alibi mentio. *Nicopolis* ea civitas eſt quæ ob victoriam Augusti, quòd ibi Antonium & Cleopatram superaverit, nomen accepit; ex *Hier. Ibi enim ſtatui hyemare*, id eſt, hyemem tranſigere, quia res Evangelii poſcebat, ex *Eſtio.*

℣. 13. *Zenam legiſperitum, & Apollo ſolicitè præmitte, ut nihil illis deſit.*

Solicitè præmitte, græcè, *ſtudiosè deducito* ſeu *proſequere* officio hoſpitalitatis. Commendat Tito *Zenam & Apollo*, ut per Cretam iter facturis viaticum ſubminiſtrari curet ne quid *iis deſit*; de *Apollo* dictum eſt, *Ep. ad Cor. Zena* fuit legis doctor, ex *Hier.*

℣. 14. *Diſcant autem & noſtri bonis operibus præeſſe ad uſus neceſſarios: ut non ſint infructuoſi.*

Diſcant, inquit, te hortante *noſtri*, id eſt, Chriſtiani qui apud te ſunt, *bonis operibus præeſſe* atque intendere ubicumque neceſſitas poſtulat, ſive in doctrina ſive in rebus neceſſariis. *Ut non ſint infructuoſi*, ſcilicet *noſtri*; ſiquidem cupit magis illis prodeſſe qui dant quàm qui accipiunt, hæc *Oecum.*

℣. 15. *Salutant te qui mecum ſunt omnes: ſaluta eos, qui nos amant in fide. Gratia Dei cum omnibus vobis. Amen.*

More ſuo ſalutationibus epiſtolam claudit: *qui mecum ſunt*, id eſt, familiares & adjutores mei: *qui nos amant*, aut eos dicit qui ipſum diligunt, aut univerſaliter fideles; *in fide*, id eſt, fidei cauſâ, ſeu per fidem; ex *Oecum. & Hier.*

IN

EPISTOLAM B. PAULI APOSTOLI

Ad Philemonem.

ARGUMENTUM.

PHilemon vir probus & clarus erat apud Coloſſenſes, Phrygius genere, hoſpitalis, & fovendis fratribus expoſitus. Hujus ſervus Oneſimus, clam ſublatis pecuniis eum reliquerat Romam profectus, ubi cùm à Paulo converſus ac baptizatus eſſet cum hac deprecatoria furti, & commendatitia Epiſtola ad eundem à Paulo remittitur.

℣. 1. Paulus vinctus Chriſti Jeſu, & Timotheus frater: Philemoni dilecto, & adjutori noſtro,

MEntione ſuorum vinculorum *Philemonem* ad miſericordiam flectit, ne ei dolorem ſuper dolorem addat, ſi Oneſimo veniam deneget: q. d. per hæc vincula quæ pro Chriſto patior, te obſecro. Socium deprecationis aſſumit *Timotheum. Coöperarium* ſuum vocat *Philemonem*, quòd rebus & opere quo poterat Evangelium Chriſti promoveret. Si *Dilectus* eſt, gratificabitur, ſi collega, dabit ſervum ad miniſterium prædicationis, ait *Oecum.*

℣. 2. Et Appiæ ſorori chariſſimæ, & Archippo commilitoni noſtro, & Eccleſiæ, quæ in domo tua eſt.

Appia fortè Philemonis uxor erat, & *Archippus* amicus quem *commilitonem* vocat, quia erat in Eccleſiæ Coloſſenſis miniſterio, ſive ùt Presbyter, ſive ùt Diaconus. Totam domum exhortatur etiam ſervos, totam Eccleſiam ſeu cœtum fidelium in quo alii regunt, alii reguntur, etiamſi unius tantùm ſint domûs aut familiæ, ùt *Rom. ult.* ℣. 5., 1. *Cor. ult.* ℣. 19. & *Col.* 4. ℣. 15. ex *Chryſ.*

℣. 3. Gratia vobis, & pax à Deo Patre noſtro, & Domino Jeſu Chriſto.

Solemnis eſt *Pauli* ſalutatio. *Gratia* eſt, quia

nullo merito, nulloque opere ſalvamur : *Pax*, quia reconciliati Deo per Chriſtum ſumus, ait *Anſel.* q. d. conſidera quantas tibi donaverit Deus, quomodo gratis ſalvus effectus ſis, inquit *Chryſ.*

℣. 4. *Gratias ago Deo meo, ſemper memoriam tui faciens in orationibus meis,*

Multipliciter laudat Philemonem, ut poſtmodùm faciliùs eum flectat ad concedendum quod rogat: *gratias*, inquit, *ago*, &c. q. d. ô Philemon, ignoſcere debes Oneſimo, quia es egregiæ charitatis & fidei, undè *gratias ago Deo meo*; quomodo enim tam charitativus vir charitatem ſuam non extendet uſque ad ſervum benè correptum? Aut quomodo tam fidelis non indulgebit ei qui eandem fidem jam habet? ita *Anſel. Semper* ad utrumvis refertur; meliùs tamen ad ſequentia ut ſenſus ſit, ego *Paulus* qui *ſemper tui* mentionem *facio in orationibus meis*, id eſt, qui nunquam oro, quin tui memoriam, & tuam ſalutem Deo commendans eidem Deo meo gratias ago & cum gaudio exoro, ait *Hier.*

℣. 5. *Audiens charitatem tuam, & fidem, quam habes in Domino Jeſu, & in omnes ſanctos:*

Cùm audiam multa de charitate tua & fide gratias ago; *quam habes in*, græcè, *ad Dominum Jeſum*, & *in omnes ſanctos*, id eſt, quam adhibes ſanctis fratribus Chriſtum annuntiantibus: vel *quam habes* communem cum omnibus ſanctis, id eſt, fidelibus; vel meliùs fidem habes ad Dominum Jeſum; charitatem autem ad omnes ſanctos, id eſt, Chriſtianos ipſis operibus exerces: ut *Col.* 1. ℣. 4., ita *Theod.*

℣. 6. *Ut communicatio fidei tuæ evidens fiat in agnitione omnis operis boni, quod eſt in vobis in Chriſto Jeſu.*

Evidens, græcè, *efficax*: Fides autem efficax & evidens eſt ſi habeat opera, ex *Chryſ.* Apoſtolus videtur hoc verſu ſubjungere quid in orationibus ſuis à Deo petat: ut ſenſus ſit; pro ut fides tua quam laudavi, efficaciter ſeſe communicet ac magis & magis manifeſtet per bona opera: fides enim ex operibus oſtenditur: juxtà *Jacobum* c. 2. ℣. 18. *Eſtius* alium ſenſum aſtruit: quaſi hoc ſit quod dicit Apoſtolus. Audio fidem tuam in Chriſtum & charitatem in omnes ſanctos; adeò ſanè ut illa tua in Sanctos beneficentia ex fide profecta omnibus *evidens fiat agnoſcentibus* & prædicantibus opera tua bona quæ plurima facis. *Quod* ſcilicet *bonum* ſeu opera bona ſunt *in vobis*, id eſt, in Eccleſia veſtra domeſtica quæ in hoc bono te adjuvat, *in Chriſto Jeſu* ſeu ex gratia *Chriſti Jeſu*. Quæ duo adjungit ne *Philemon* tantâ ſui laude extollatur. Græcè legitur, *in Chriſtum Jeſum* quod etiam poteſt habere hunc ſenſum, ergà ſeu *ad Chriſtum Jeſum.*

℣. 7. *Gaudium enim magnum habui, & conſolationem in charitate tua: quia viſcera ſanctorum requieverunt per te, frater.*

Senſus eſt: Philemonem ſuam charitatem in eo declaraſſe quòd ſanctos, id eſt, fideles inopiâ, aut miſeriâ corporali preſſos miſericorditer recreaſſet; propter hæc, inquit, meritò mihi diligendus es ut *frater*, qui tam ingentem animo lætitiam atque in vinculis & afflictionibus conſolationem attuliſti; membra enim noſtra illi ſunt; ait *Chryſ.*

℣. 8. *Propter quod multam fiduciam habens in Chriſto Jeſu imperandi tibi quod ad rem pertinet :*

Quamvis multâ poſſim erga te uti per Chriſtum fiduciâ; ſeu libertate quâ etiam tibi imperem id quod æquum eſt.

℣. 9. *Propter charitatem magis obſecro, cùm ſis talis, ut Paulus ſenex, nunc autem & vinctus Jeſu Chriſti :*

Quamvis, inquit, imperare poſſim, charitas tamen quâ te ùt fratrem amo, facit, ut malim rogare; ſignificat ſe cum eo agere non ùt Apoſtolum cum diſcipulo, ſed ùt fratrem cum fratre; *cùm ſis talis, ùt Paulus ſenex.* Non impero ùt minori, ſed rogo ut æqualem atque coævum, cùm & ipſe ſis *ſenex* ſicut ego. Neque enim decet ſenem ſeni imperare, ſed junioribus; verùm huic ſenſui obſtat græca lectio, quæ habet, *cùm ſim talis :* igitur quod græca volunt cum *Hieron.* ſequamur, ait *Eſtius*, & ſenſus eſt : obſecro ego talis, nimirùm *Paulus* Chriſti Apoſtolus, idemque *ſenex*, quem parùm alioqui deceat rogare. Habent hæc ſingula pondus ſuum ad movendum Philemonis animum : dignitas, & ætas, nempè ſexaginta annorum, & *vinctum* eſſe *Jeſu Chriſti*, ex *Chryſ.*

℣. 10. *Obſecro te pro meo filio, quem genui in vinculis, Oneſimo,*

Poſtulationem exponit mirabili charitatis affectu, dum eum quem commendat hominem ſervum, fugitivum ac furti reum *filium ſuum* vocat, q. d. non jam ſervo tuo, ſed filio meo parces ac veniam dabis Non abjicies me precantem pro meo ipſius filio, quem in carcere conſtitutus in fide inſtitui, & Chriſtianum feci, ùt 1. *Cor.* 4. ℣. 15.; *Gal.* 4. ℣. 19.; ex *Chryſ.*

℣. 11.

℣. 11. *Qui tibi aliquando inutilis fuit, ınc autem & mihi & tibi utilis,*

Alludit ad nomen *Oneſimi*, quod utilem ſigficat, q. d. ſervus tuus Oneſimus antehàc rùm nomini reſpondit: *inutilis tibi fuit*, & mnoſus fugâ & furto; *nunc autem* poſtquam ſipuit, & Chriſto nomen dedit, verè eſt Onenus, id eſt, *utilis tibi*, quia talis nunc eſt, utilitatem ab eo meritò expectes tanquam à hriſtiano, & proindè liberaliter ſerrituro, '*mihi* utilis per obſequium quod in carcere dento præſtitit. *Eſtius* dicit, hanc ad nomen alſionem in veteribus non inveniri, & ideò illâ niſsâ textum ferè eodem modo explicat.

℣. 12. *Quem remiſi tibi. Tu autem ilım, ùt mea viſcera ſuſcipe:*

Quamvis, inquit, mihi ſit utilis ac penè neeſſarius; *remiſi* tamen, id eſt, nunc cum ad te)ominum ſuum remitto cum hac epiſtola comıendatitia. Pro *ùt* legendum eſt *id eſt*, hoc mo.o: *tu autem illum*, *id eſt*, *mea viſcera ſuſcipe*: :a græcè & *Hieron.* & vetuſta & probatiſſima xemplaria latina; ut ſenſus ſit, *tu eum*, hoc :ſt, meipſum *ſuſcipe*, jam enim illum per :haritatem in mea viſcera recepi, ut unus meum factus ſit, ut proindè & tibi tanquam alcr ego pari charitate ſuſcipiendus ſit. Mira eſt n iis verbis efficacia ad placandum Philemoıem, non enim poterat in *Pauli* viſcera ſævire, aut durius aliquid committere, q. d. non modò veniam, ſed honorem quoque promeretur, ait *Chryſ.*

℣. 13. *Quem ego volueram mecum detinere, ut pro te mihi miniſtraret in vinculis Evangelii:*

Maluiſſem, eum apud me retinere, *ut mihi*

miniſtraret in vinculis quæ patior *Evangelii* cauſâ, tuaſque vices ſuppleret : neque enim dubito, quin ipſe ſi Romæ eſſes, hoc officium mihi libenter eſſes impenſurus : hoc ait, ut magis ejus utilitas commendetur, ex *Hier.*

℣. 14. *Sinè conſilio autem tuo nihil volui facere, utì ne velut ex neceſſitate bonum tuum eſſet, ſed voluntarium.*

Sed te inconſulto, ac præter voluntatem tuam *nihil* hujus rei *facere volui*, ſcilicet ut ſervum tuum apud me retinerem mihi miniſtraturum, nolui hac in re deſiderio ac neceſſitati meæ obſequi, quamvis ex neceſſitate poſſem. Iterum hic innuit ſe jure potuiſſe ob ſuam, imò Eccleſiæ neceſſitatem, Oneſimum retinere, ſed noluiſſe : quia videbat non expedire, ut hâc ſuâ poteſtate uteretur ; ne de jure Philemonis aliquid videretur detrahere cum nonnulla fortaſſis illius offenſa. Sed hâc causâ diſſimulatâ aliam ſubjungit magis ſpectantem ad laudem Philemonis, nempè, ne ſi id facerem, tametſi tu factum meum boni conſuleres, aut etiam probares, tamen minùs laudis haberet opus tuum bonum, *velut à neceſſitate* profectum magis quàm à voluntate. Nunc autem illum tibi remitto, ut quidquid de eo boni ſtatueris, id non aliter quàm ſpontè ac liberâ voluntate abs te factum judicari poſſit. Sed quæres, quodnam illius *bonum* erat futurum voluntarium. ℟. Veriſimiliter Paulus expectavit, ut Oneſimus aut ſibi donaretur, aut ſimpliciter manumitteretur, ex *Eſtio.*

℣. 15. *Forſitan enim ideò diſceſſit ad horam à te, ut æternùm illum reciperes :*

Quoniam Oneſimus pravâ mente fugerat, ipſe rem in dubium revocat, tanquam diceret ; *forſitan* diſpenſatione quâdam fugit, fauſto no-

mine fugam appellavit ſeceſſionem, ne factâ fugæ mentione dominum irritaret. Deindè coarctato etiam tempore cohibet iram: aut *ad horam*, id eſt, ad annum. Vides quàm ad multa utilis fuerit fuga? pro hora enim fugæ habet ipſum perpetuò (unica enim hora eſt fugæ tempus, ſi ad ſeculum conferas) & pro ſervo inutili utilem fratrem recepiſti, ita *O:cum.*

℣. 16 *Jam non ùt ſervum, ſed pro ſervo chariſſimum fratrem, maximè mihi; quantò autem magìs tibi & in carne, & in Domino?*

Habiturus eum deinceps *non ùt ſervum*, ſed ſervo majorem, id eſt, ſervili conditione ſuperiorem, nempè *fratrem chariſſimum mihi, multò magìs tibi.* Quod ait *in carne*, tribus modis exponi poteſt. 1° quia Oneſimus perindè ac Philemon natione Gentilis eſſet, & hoc nomine frater ſecundùm carnem: 2° quia membrum ejuſdem familiæ, cui & carnaliter & ſecundùm fidem debet obſequium; 3 *Hier.* & Græci fratrem *in carne* intelligunt, quòd jam à priore nequitia correptus haberi dignus poſſit, cui negotia *in carne* ſeu mundana, & *in domino* ſeu ſpiritualia miniſteria committantur: quæ explicatio videtur præferenda: ex *Eſtio.*

℣. 17. *Si ergò habes me ſocium, ſuſcipe illum ſicut me:*

Si me amas, id mihi præſta; vel per amicitiam noſtram te oro ut illum ſuſcipias, *ſicut me*, id eſt, tanquam alterum me, non quòd eum velit tanto cum honore ſuſcipi, quanto ipſe à Philemone ſuſciperetur; ſed ut ſignificet, eam rem tam ſibi gratam fore, acſi in ipſius perſonam collatum eſſet beneficium: aut certè rogat, ut in Oneſimo recipiendo conſideret, non qualis ille fuerit, ſed qualis jam ſit, nempè filius &

frater Pauli, & quodammodò ipſe Paulus; ex *Eſtio.*

℣. 18 *Si autem aliquid nocuit tibi, aut debet: hoc mihi imputa.*

Hinc colligitur Oneſimum aliquid Domino ſurripuiſſe priuſquam fugeret: undè dicere poterat Philemon; paratus ſum eum recipere tuâ causâ in gratiam, ſed ita tamen, ut quod abſtulit, reſtituat. Hanc objectionem removet *Paulus* dicens, ſi quid damni dedit, quod tibi ſarciri velis, aut ſi omninò quippiam debet, *id mihi imputa*, id eſt, damnum omne ac debitum ejus in me recipio, & ſi repetendum eſt, à me repete, me pro illo ſponſorem accipe, à me debitum exige, ait *Chryſ.*

℣. 19 *Ego Paulus ſcripſi meâ manu: ego reddam, ut non dicam tibi, quod & teipſum mihi debes:*

Ut de damno ſecurus ſis, accipe Chirographum meum, has litteras *meâ manu* ſcriptas, quibus me fidejuſſorem interpono: non liquet an totam Epiſtolam ſuâ manu ſcripſerit *Paulus*, an verò hoc ſolum, *Ego Paulus ſcripſi meâ manu.* Quòd ſi totam ſcripſit, fuit ea res Philemoni procul dubio grata, nec minùs honorifica. *Ego reddam*, quo ſignificat ſe non quomodocumque ſpondere, ſed abſolutè ſuam ipſius perſonam pro debito ſolvendo obſtringere: *ut non dicam &c.* Quibus inſinuat etiamſi non reddat, Philemonem viciſſim ſibi multò ampliùs debitorem eſſe, ut qui ſeipſum *Paulo* debeat, id eſt, ſalutem ſuam, quia *Pauli* prædicatione factus fuerat Chriſtianus, ex *Eſtio.*

℣. 20. *Ita frater. Ego te fruar in Domino: refice viſcera mea in Domino.*

Ita frater, pro quo *Hieron.*, *eia mi frater* id

mihi præſta ut *ego te fruar*. Alii verò quibus Syrus interpres annuit, propriam ſignificationem adverbii græci retinent, ut ſit affirmantis; quod latinè dicitur, *certè*, *etiam:* ac ſenſus ſit. Certè *frater* te rogo ſuſcipe eum; hoc enim ſic ſupplet *Chryſ. Fruar* græcè eſt optativi modi, & ſenſus eſt: ita mihi contingat te frui, id eſt, ex tua præſentia, tuoque colloquio ac præclaris operibus capere voluptatem: alii ſic explicant; ita tecum condelecter in futura beatitudine. Verùm alii preſſiùs conſiderantes græci verbi ſignificationem putant ita rectè verti poſſe: hunc fructum abs te conſequar: id eſt, Sine, quæſo, ut hoc abs te beneficium impetrem, ſcilicet Oneſimi reconciliationem. Addit *in Domino*, quia fructus & delectatio vana eſt, niſi in Deum referatur, & quia per Chriſtum expectatur. *Refice viſcera mea*, id eſt, meipſum pro Oneſimo ſolicitum & anxium recrea, refocilla in his vinculis; id autem facies ſi Oneſimum in gratiam receperis; vel Oneſimum tanquam viſcera mea, id eſt, alterum me à metu concepto recrea, veniam dando & in gratiam recipiendo, ita *Hier. In Domino* refertur vel ad *viſcera*, ut ſenſus ſit; quem ego ùt *mea viſcera in Domino* ſeu Chriſtiano amore complector: vel ad verbum *refice*. q. d. hanc ei gratiam præſta per dominum ſeu per Chriſtum, ex *Chryſ.*

℣. 21. *Confidens in obedientia tua ſcripſi tibi: ſciens quoniam & ſuper id quod dico, facies.*

Obedientia tua mihi probè cognita facit, ut planè confidam me impetraturum id, quod his litteris flagito: quoniam etſi præciperem, obedires. Tantam, inquit, novi tuam erga me obedientiam, ut non dubitem, quin plus etiam quàm peto, ſis præſtiturus, ex *Chryſ.*

℣. 22. *Simul autem & para mihi hoſpitium: nam ſpero per orationes veſtras donari me vobis.*

Non ſolùm propter Oneſimum, verùm etiam propterea, inquit, ſcripſi, ut præpares *mihi hoſpitium.* Magna quidem eſt orationum potentia; multa verò etiam *Pauli* modeſtia qui preces illorum cupiebat & ipſis indigere ſe, oſtendebat, ait *Oecum.*

℣. 23. *Salutat te Epaphras concaptivus meus in Chriſto Jeſu,*

Sicut initio Epiſtolæ Timotheum adhibuit comprecatorem, ita nunc in fine multorum addit conſalutationes, ut intelligat Philemon tacitè ſaltem, atque ipsâ ſalutatione rogari pro Oneſimo. *Epaphram* primùm nominat, quòd is Coloſſenſium eſſet Apoſtolus, & perindè ùt *Paulus* in vinculis teneretur. *In Chriſto*, id eſt, propter Chriſtum, ex *Chryſ.*

℣. 24. *Marcus, Ariſtarchus, Demas, & Lucas, adjutores mei.*

Adjutores, græcè, *coöperatores mei*, ſcilicet in Evangelio, ùt in *Epiſtola ad Col.*, quæ ſimul cum hac miſſa fuit; quos ſic vocat, ut ei ad id ſtimulos addat, ita *Chryſ.*

℣. 25. *Gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti cum ſpiritu veſtro. Amen.*

Precatur *gratiam* Philemoni & ceteris ad quos ſcribit: quo nomine omne bonum comprehendit, ex *Eſtio.*

IN

EPISTOLAM B. PAULI APOSTOLI

Ad Hebræos.

ARGUMENTUM.

*H Anc ab urbe Roma ſcribit Hebræis, qui ex circumciſione crediderant, quâ Chriſtum declarat veniſſe & umbram Legis ceſſaſſe; docet uæ Chriſti dignitas & quod officium: onſolatur Hebræos & ad perſeverantiam fidei in Chriſtum hortatur, utpotè ropter fidem Chriſti variè afflictos ab nfidelibus & adverſariis Judæis. De nduſtria autem nomen ſuum omittit, uòd ob circumciſionem quam enervaret, dioſus illis eſſet, tum etiam quòd illis eglectis ad Gentes tranſiſſet. Quare nutile eſt eorum argumentum qui ob acitum nomen negant, hanc eſſe Epiſtolam Pauli; quam Hebraicè ſcriptam Lucas Græcè doctiſſimus vertiſſe fertur, it in hiſt. Eccleſ. lib.6. cap.*11. *aſſerit Euſeb. Canonicam eſſe dicunt Concilium Laodicenum, Romanum, Trid. ſeſſ.* 4.

CAPUT I.

Chriſtum verum Deum & hominem, Angelis digniorem eſſe.

℣. 1. *Multifariàm, multiſque modis olim Deus loquens patribus in Prophetis:*

UT conſultò nomen prætermiſit, ſic nec ſalutationem aſcribere debuit. Primùm *hoc capite* divinitatem Chriſti ſtatuit, oſtendens eum eſſe filium Dei, & per hoc Angelis longè ſuperiorem: indè probaturus quantò lex Chriſti præſtet legi Moſaïcæ, tametſi per Angelos miniſtratæ. Quod ait, *multifariàm*, indicat non omnia nec eadem omnibus prophetis revelata eſſe: ſed alia aliis inſpirata, ut *Iſaïæ* partus Virginis & Paſſio Chriſti; *Danieli* tempus adventûs ejus: *Ionæ* ſepultura ejus. Quod addit, *multis modis*, ſignificat varia fuiſſe viſionum genera, modos ac formas, quibus illuminati Prophetæ ventura prædicerent velut per ſomnia, per extaſes, per ænigmata, per figuras, per allocutiones, per apparitiones ſenſibiles, atque corporeas, ex *Hier.*

℣. 2. *Noviſſimè, diebus iſtis locutus eſt nobis in Filio, quem conſtituit hæredem univerſorum, per quem fecit & ſecula.*

Noviſſimè, diebus iſtis idem ſignificat quod alibi legimus, *noviſſimis diebus, temporibus,*

noviſſimâ horâ &c. per quæ ſignificatur tempus, poſt quod jam non aliud quàm mundi finis & adventus judicis expectandus eſt : & ſenſus eſt, hoc noviſſimo tempore locutus eſt nobis *per filium* ſuum Jeſum Chriſtum, non utique alium quàm naturalem : nam per adoptionem filii fuerant etiam Prophetæ & omnes juſti. *Nobis*, id eſt, Hebræis, Iſraëlitis. In his autem notanda eſt antitheſis, ut oſtendat quantùm præcellat novum inſtitutum veteri : lex enim vetus per prophetas annuntiata eſt; lex nova per Chriſtum Dei filium & Dominum Prophetarum. Per illos multifariàm locutus eſt Deus, per filium autem tanquam per ſuum ipſius verbum, ſimpliciter & planè. Deniquè patribus vetera tradita ſunt : nobis nova ſervata. Quò majorem Chriſti reverentiam excitet, eum præcipuis encomiis exornat, primùm dicit eum à Patre *conſtitutum hæredem univerſorum*, id eſt, factum eſſe omnium dominum, ùt *Pſal.* 2. ℣. 8., *Matt.* c. 11. ℣. 27. & *c. ult.* ℣. 18., *Joan.* c. 13. ℣. 3. & c. 17. ℣. 2. *Item* 1. *Cor.* 15. ℣. 26., *Ephes.* 1. ℣. 22. & *hujus Ep. cap.* 2. ℣. 8. Quamvis Dei Filius unà cum Patre ſit omnium Dominus ab æterno, quatenùs ſcilicet ab æterno poteſtatem à Patre accepit dominativam reſpectu totius creaturæ : non tamen de eo dominio agitur hoc loco, ùt nec in aliis locis prædictis; ſed de dominio quodam quod ei competit ſecundùm naturam aſſumptam. Appoſitè dicit, *hæredem*, quia de Filio loquitur; *univerſorum :* regnum enim ac Dominium Chriſti imprimìs ſubjectos habet omnes electos, homines & angelos; deindè adverſarias poteſtates, atque omnes reprobos : ac poſtremò reliquum omnem creaturam quatenùs ea regno Chriſti quocumque modo ſubſervire idonea eſt. Undè *Chryſ. hæredem univerſorum* inter-

pretatur totius mundi Dominum. Similiter & S. *Thom.* univerſalem hanc Chriſti hæreditatem eſſe dicit, dominationem quam accepit in totam creaturam. Ita exponitur vocabulum *Omnia.* 1 *Cor.* 15. & *Ephes.* 1. ſuprà citatis. Conſtitutus autem eſt poſt paſſionem & reſurrectionem quando per Apoſtolos ſibi congregare cœpit Eccleſiam ex omnibus Gentibus: vel tunc quando *Verbum caro factum eſt*; quod magis probamus inquit *Eſtius*; ſicut enim ille homo ab initio ſuæ conceptionis fuit Chriſtus, Propheta, Sacerdos; ita Rex & Dominus: tametſi regni ac dominii ſui poſſeſſionem, ùt poſteà meruit, ita paulatim ac progreſſu temporis accepit; pleniſſimè accepturus in ſecundo ſuo adventu, quando perfectè ei ſubjicientur omnes inimici, ùt probatur *Act.* 2. ℣. 36., *Iſaiæ* 9. ℣. 6. & *Luc.* 2. ℣. 11. Non ſolùm, inquit, conſtituit hæredem omnium, verùmetiam (quod multò majus eſt) *per ipſum fecit* ſeu condidit *& ſecula*: ùt c. 11. ℣. 3. *Secula* vocat ea quæ 2. *Tim.* 1. & *Tit.* 1. dixit *tempora ſecularia*, id eſt, longas & continuas temporum revolutiones: ſed in his comprehendi vult atque intelligi res ipſas, quæcumque tempore menſurantur, id eſt, mundum & quidquid in eo continetur, ùt *Joan.* 1. ℣. 3. & 10. Quod dicitur autem Deus *per Filium* feciſſe ſecula, non tam inſinuatur communis virtus & operatio Patris & Filii (ſic enim & *Filius* dici poteſt *per Patrem* feciſſe mundum, quod uſus Scripturæ non admittit) ſed ſignificatur magis, Patrem, ùt artificem per inſtrumentum, operari *per Filium* qui eſt æternum ejus verbum & veluti idea exemplaris in qua rationes ſunt omnium agendorum: ita *Eſtius* ex *Auguſtino*.

℣. 3. *Qui cùm ſit ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ ejus, portanſque omnia verbo virtutis ſuæ, purgationem peccatorum faciens, ſedet ad dexteram majeſtatis in excelſis :*

Hiſce expreſſionibus metaphoricis *Paulus* Chriſti qualitates divinas oſtendit : ſciendum autem eſt in hujuſmodi metaphoris ad res divinas applicandis, omne id quod imperfectionis eſt, removeri debere. Undè ex eo quòd ſplendor aut radius non exæquet lucem à qua diffunditur, non rectè collegit Arianus Filium eſſe Patre minorem : non enim niſi ad ſignificandum quidquid ibi perfectionis invenitur, aſſumpta eſt metaphora. Itaque Patres rectè ex eo quòd Filius dicitur *ſplendor gloriæ Patris*, oſtendunt eum à Patre procedere ſinè mutatione, paſſione, fluxu, defectu, & quidem ab æterno : ſol enim emittens radium nullam patitur mutationem, non fluxum, non defectum luminis ; neque radium à ſe emanantem tempore antecedit : imò ſi ſol eſſet æternus, radium haberet ſibi coæternum. Potiſſimùm tamen videtur Apoſtolus ſignificare proceſſionem Filio propriam, quâ nimirùm à Patre gignitur ùt verbum à mente : hoc eſt enim in natura intellectuali, ſplendorem à claritate, & lumen à lumine procedere. Altera methapora eſt quâ Filius dicitur *figura*, græcè, character, id eſt, expreſſa repræſentatio non eſſentiæ, ſed perſonæ Patris ; nam eſſentia utrique eadem eſt : perſonæ enim ſunt ſecundùm eſſentiam ſimiles, ex *Caj.* Aliis verò magis placet eſſentiam, quam οὐσίαν Græci vocant, hoc nomine ſignificari : nam hypoſtaſis, ad perſonam ſignificandam nondùm cùm hæc ſcriberet Apoſtolus, erat uſu recepta, vel ipſo *Hieronymo* teſte *Ep. ad Damaſc.*

Sic Filius eſt *figura* & expreſſa imago *ſubſtantiæ* Patris, quia ſic Patrem repræſentat, ut eſſentia ſeu natura Patris in ipſo perfectiſſimè reluceat; undè non eſt conſequens aliam eſſe eſſentiam Patris, aliam Filii; repræſentat enim Filius eſſentiam Patris prout in Patre eſt, non prout in ſeipſo; licèt eadem ſit eſſentia Patris & Filii. Sic ergo Filius Dei, non quidem ſui ipſius *eſt imago*, ſed *ſubſtantia Patris*: in quantum ejus ſubſtantiam (quæ eadem in ipſo eſt) æternâ generatione ab illo impreſſam, perfectiſſimè refert. Alii interpretantur ſplendorem gloriæ Patris, & figuram ſubſtantiæ ejus, quia gloria & ſubſtantia Patris per ſeipſum inviſibilis per Filium velut radium paternæ claritatis & imaginem ſubſtantiæ ejus, conſpicienda nobis præbetur: quod præter mentem Apoſtoli eſſe videtur qui de æterna filii natura diſſerit. *Portanſque omnia*: contextus exigebat, ut verteretur, *portetque*, id eſt, Dei Filius per quem facta ſunt ſecula, idem *omnia* quæ facta ſunt, ſuſtinet & conſervat *verbo virtutis ſuæ* & imperio ſuæ poteſtatis, id eſt, omnipotenti ſuâ voluntate; quod ni faceret, omnia relaberentur in nihilum. Alii *verbo virtutis ejus* referunt ad Patrem hoc ſenſu; Filius per quem Pater omnia fecit, eadem omnia ſuſtinet, continet, conſervat, & regit imperio ac virtute Patris ſui, ſed ita, ut ea virtus intelligatur etiam communis Filio. Hic ſenſus nequaquam eſt alienus (ait *Eſtius*) ſed prior expoſitio magis recepta eſt. *Purgationem peccatorum faciens*: hìc jam à divina Chriſti natura ad humanam redit ſimul hâc parte complectens ſummam totius Epiſtolæ Chriſtus enim, ùt homo, paſſione ſuâ remiſſionem & abolitionem omnium peccatorum noſtrorum promeruit, ac pro iis pleniſſimè ſatisfecit, offerendo ſemetipſum Deo Patri pro

bis in ſacrificium : in Græco enim adjungi-
r *per ſemetipſum*, q. d. *non per ſanguinem*
rcorum, ùt *cap.* 9.; *ſed per proprium ſangui-*
m peccata noſtra purgavit. Dicuntur autem
ırgari peccata phraſi ſcripturæ quando ho-
ines à peccatis purgantur, ùt *Iſa.* 1. ℣. 18.
Pſ. 17. ℣. 29. Et poſtquam, inquit, purga-
onem fecit peccatorum noſtrorum, aſcendit
cœlum, ibique *ſedet ad dexteram majeſtatis*;
Chryſ. ùt *cap.* 8. ℣. 1.; ex quo etiam intelligi-
us, *in excelſis* idem eſſe quod *in cœlis* : ſen-
autem Apoſtolus Chriſtum conſediſſe at-
ıe etiamnum ſedere ad dexteram majeſtatis,
u magnitudinis *in excelſis*, id eſt, ad dexte-
m Dei in eo loco ubi magnitudinem ſuam &
oriam Deus oſtendit, hoc eſt, *in cœlo*, ùt *cap.*
, 10. & 12. & *Marc.* 16. Eſt autem in voca-
ılo, *Sedet*, hoc loco metaphora quâ ſignificatur
el judiciaria poteſtas; nam Chriſtus jam con-
itutus à Deo Patre judex omnium ſecundùm
ripturas, etſi nondùm judicat, ſed uti ſym-
olum nos docet, *inde venturus eſt judicare*
vivos & mortuos : vel illa metaphorica ſeſſio
uietem fœlicitatis & regni quod adeptus eſt,
oſſeſſionem deſignat, ùt *Marc.* 10. ℣. 37. Con-
at enim ſeſſionem attribui Chriſto ùt homini:
ndè per hoc quòd dicitur, *ſedere ad dexteram*
Dei, propriè non ſignificatur eum eſſe Deo
'atri æqualem; ſic enim & Pater ad dexte-
am Filii ſederet, & Spiritus ſanctus ad dex-
eram utriuſque; imò ſic Filius ab æterno ſede-
et ad dexteram Patris. Nec ſignificatur aſſump-
io naturæ humanæ in hypoſtaſim divinam,
d enim factum eſt quando incarnatus eſt
Chriſtus: ſed *ad dexteram Dei ſedere* dicitur,
uia ſecundùm naturam aſſumptam quietus jam
oſſidet ſummam illam dignitatem & gloriam
egni, quam habet proximus à Deo, ùt *Act.* 7.

℣. 55.; & *dextera* pro ſummo honore & dignitate habetur, ex *Gaig.*; quod & ex ſcriptura comprobatur, ùt *Gen.* 48. ℣. 13., *Matth.* 25. ℣. 33., *Marc.* 10., ℣. 37., *Pſal.* 44. ℣. 10., & 3. *Reg.* 2. ℣. 19.; quia thronus regius ubicumque ſit, digniſſimus locus cenſetur, & extra comparationem cum aliis eſt; ita *Eſtius ex Ribera.*

℣. 4. *Tantò melior Angelis effectus, quantò differentius præ illis nomen hæreditavit.*

Tantò melior, græcè, *præſtantior factus Angelis;* ſi enim ſedet Chriſtus ad dexteram; igitur & Angelis prælatus eſt: quem enim rex ad dexteram ſuam collocat, aliis omnibus anteponit. Hujus collectionis vim *infrà* ℣. 13. explicat. Eſt & aliud argumentum in hoc loco ductum à nomine Filii Dei. q. d. Filius Dei eſt, ergò multò major Angelis. Dicitur autem hoc *nomen* Filii Dei *hæreditaſſe*, quia illud velut proprium ac jure debitum obtinet atque poſſidet: nam per incarnationem Verbi factus eſt homo Dei Filius, & hoc *nomen hæreditavit*: Angelus autem ſervi tantùm nomen habet ùt inſinuat *infrà* ℣. 14. Ex hoc loco aliqui anſam ceperunt minuendæ authoritatis hujus Epiſtolæ, quaſi hic verſus Arianis faveret; ſed prorsùs erroneè. Nam pari ratione Evangelio *Joannis* detraheretur authoritas, cùm in eo legimus à Joanne Baptiſta tertiò repetitum: *Antè me factus eſt*. Senſus igitur verborum *Joannis* eſt quem Græci & Latini communiter reddunt: *Antè me factus eſt*, id eſt, mihi prælatus eſt, quamvis poſt me venerit; ita & hoc loco *major Angelis factus*, id eſt, tanquam major & excellentior præ Angelis honoratus: vel *major Angelis* declaratus, ex *Chryſ. & Theoph.* Juxtà quem ſenſum Apoſtolus reſpicit ad glo-

rificationem Chriſti, quam ſuâ paſſione promeruit, quâ nimirùm ùt verus Dei Filius ubique fuit prædicatus & agnitus, ùt *Phil.* 2. ℣. 9. Vel *melior Angelis effectus*, in quantum perſonaliter effectus eſt Filius Dei, Deus & Dominus atque creator Cœlorum; ex *Thom.* & *Cajet.* Hæreditavit verò nomen illud vel per unionem ùt *Cajetanus*: vel ùt *S. Thomas* exponit per naturam atque ab æterno, propterea quòd hæreditas naturalem originem conſequatur; *Eſtius* in hoc commentario aliquid offenſionis contineri putat ex eo quòd propriè Homo non ſit factus Deus aut Dei Filius, ſed Deus aut Dei Filius factus ſit Homo juxtà illud, *Verbum caro factum eſt*. Quæ ipſius *B. Thomæ* doctrina eſt. 3. *p. q.* 16. *a* 7. Quare prior ſenſus retinendus eſt: maximè quòd textui magis conveniat; ut ſignificetur tunc Chriſtum Angelis majorem effectum, id eſt, ſuprà Angelos in hominum æſtimatione & fide excreviſſe, poſtquam cæpit ſedere ad dexteram Dei: quo etiam ſenſu Joannes Baptiſta dixit: *illum oportet creſcere, me autem minui, Joan.* 1. Ad idem tempus aptiſſimè refertur hæreditatio nominis: nam poſſeſſionem nominis Filii Dei, velut jure debiti, tunc ſibi vindicavit Chriſtus, quando eo nomine cœpit apud homines palàm & paſſim agnoſci; ex *Eſtio* poſt *Theophil.*

℣. 5. *Cui enim dixit aliquando Angelorum: Filius meus es tu, ego hodiè genui te? Et rursùm: Ego ero illi in patrem, & ipſe erit mihi in filium?*

Non probat Apoſtolus, Chriſtum hæreditaſſe, id eſt, apud homines conſecutum hoc nomen; id enim ſatis docebat experientia prædicati & crediti Evangelii: ſed probare vult illud nomen ei verè competere, & quidem præ

Angelis, quòd à Deo Patre nullus Angelorum vocetur filius, ex *Chryſ. hom.* 22. *in Gen.* 6. Quòd ſi *filii Dei* dicuntur *Job.* c. 1., 2. & 38. & Pſ. 88. Nullus tamen Angelorum tam excellentis eſt naturæ aut dignitatis cui dictum aliquando legatur à Deo: *Tu es filius meus*; nimirùm ſingulariter ac peculiariter; quo modo hoc à patre dici ſolet filio quem de ſe genuit, maximè ſi ſit unigenitus. *Ego hodie genui te*, ad æternam filii Dei generationem pertinere plerique exiſtimant, ùt *Aug.* Nam æternitas optimè denotatur adverbio *hodiè*, quo præſens dies ſignificatur, quia æternitas unus dies eſt, idemque totus ſemper præſens, in quo non eſt aliud ſicut in noſtro tempore. Secundùm hunc intellectum, Deus Pater non tantùm ſignificat, ſe Filium genuiſſe ab æterno, ſed ſe eum gignere immutabiliter in tota æternitate: & tamen utitur verbo præteriti *genui*, ut quamvis præſentem, tamen perfectam intelligas generationem quâ filius ſemper & gignitur & genitus eſt, quemadmodùm lumen in aëre perfectum eſt & tamen ſemper à Sole procedit. Senſum hunc poſtulare videtur particula præcedens: *Filius meus es tu.* Alii de temporali Chriſti generatione intelligunt, quâ ex Virgine natus eſt, ùt *Athan.*, *Fulgent.*, *Theod.*, *Eutym.*; ſecundùm quos *hodie* ſignificat tempus vitæ præſentis, ùt c. 3. ℣. 15. & c. 4. ℣. 7. exponitur in illo verſiculo, *Hodiè ſi vocem ejus audieritis*; gignere autem ſecundùm hunc ſenſum eſt producere quocumque modo; non enim Deus Chriſtum, ùt hominem de ſua ſubſtantia genuit: eſt tamen generatione factum eſt, ut ille homo eſſet Dei Filius naturalis. Alii contendunt intelligi oportere de Reſurrectione Chriſti ex mortuis, quia ad eam comprobandam idem Apoſtolus *Act.* 13 ℣. 33. citat dictum verſiculum ex *Pſ.* 2.

Reſurrectio etiam *regeneratio* vocatur *Matth.* 19. ℣. 28.; & propter reſurrectionem Chriſtus appellatur *Primogenitus mortuorum. Col.* 1. & *Apoc.* 1., ex *Hil.*, *Orig.* & *Chryſ.* Sunt qui hanc particulam ita exponunt, *hodiè genui te*, id eſt, nunc poſtquam ad dexteram meam collocatus es, filium meum te eſſe mundo manifeſtavi, ſcilicet per Evangelii propagationem; ita *Janſ. in Pſal.* 2. Id verò quoniam in Chriſto cœpit impleri poſt ejus reſurrectionem ac multò magìs poſt aſcenſionem in cœlum; indè eſt quòd juxtà hunc ſenſum, toto eo tempore Pater eum genuiſſe dici poſſit, initio facto ab ipſa reſurrectione, per quam corpore glorificatus cœpit etiam paulatim mundo inclareſcere, ac velut in poſſeſſionem nominis quo Filius Dei vocatur, induci: ut reſurrectio quidem reſpondeat morti quam paſſus fuerat: exaltatio autem & celebritas nominis compenſet ignominiam crucis; ut *Rom.* 1. ℣. 4., ubi Chriſtus juxtà Græcorum expoſitionem dicitur eſſe declaratus Filius Dei in virtute per reſurrectionem ex mortuis. Quæ quidem omnia ſatìs oſtendunt, poſtremum hunc ſenſum, qui tamen à tertio non eſt omninò diverſus, haud longè rejiciendum eſſe: ita *Eſtius*. *Et rurſum*, id eſt, de quo Angelorum legitur aliquando Deus pater dixiſſe; *Ego ero ei pater, & ille erit mihi filius*; leguntur hæc verba dicta ad Davidem. 2. *Reg.* 7. Quidam ita referunt ad Chriſtum, ut ad Salomonem nullo modo pertinere credant, ùt *Rupertus l.* 2. *in lib. Reg. c.* 30. Contrarium aſſerunt *Thom.*, *Lyr. Cajet.* Nam de Salomone dicitur, ipſe ædificabit domum nomini meo: 1. *Paral.* 22. & 28.; & Salomón ipſe promiſſiones has ad ſe ſpectare non ſemel affirmat. 3. *Reg.* 5. & 8., 2. *Par.* 6. & *Pſal.* 131.; ut videatur nullo modo in Chriſti perſonam competere; cùm quidem 2. *Reg.* 2. 7. dicatur, *qui*

ſi iniquè aliquid geſſerit &c. Et hæc verba, *ego ero illi in Patrem*, David Salomoni diſertè attribuit in 1. *Paral. utroque cap. citato.* Ultimam igitur ſententiam veriſſimam eſſe, ex ipſa Scriptura liquidò conſtat. Si quis objiciat, ſi litterali ſenſu hæc competant in Salomonem, quid illa hìc faciunt ad ſcopum Apoſtoli? ℟. Grandia hæc & magnifica numquam de Salomone dicerentur, niſi in eo velut typo quodam & imagine Chriſtus fuiſſet præſignatus. Notat *Eſtius*, quòd ferè, ubicumque in Scripturis quid dicitur ſecundùm hiſtoriam, quod litteræ modum excedit, ac fidem humanam ſuperare videtur, hujuſmodi ſermone nos invitari ad inveſtigandum ſenſum aliquem reconditum, veluti de Chriſto ac regno ejus aut regni ejus adverſariis. Verba itaque hìc à *Paulo* allegata litteraliter de Salomone intelligenda ſunt; myſticè verò de Chriſto Domino, cui tamen non omnes iſtius hiſtoriæ & verborum partes aptandæ ſunt: ex *Eucherio & Ribera.* Plura hìc in *Eſtio* habentur, quæ conſule.

℣. 6. Et cùm iterùm introducit primogenitum in orbem terræ, dicit: & adorent eum omnes Angeli Dei.

Græca & Syriaca verſio ſic habet. *Rurſum autem quando inducit primogenitum in mundum:* Deus Pater primogenitum ſuum introduxit in orbem terræ primùm, quando verbum carnem factum fecit *habitare in nobis*, *Joan.* c. 1. & *infrà* c. 10. ℣. 5. Rursùs autem ſeu ſecundò introduxit, vel tunc quando poſt ejus aſcenſionem in Cœlos & miſſionem Spiritûs ſancti per Apoſtolorum prædicationem effecit, ut mundus eum fide reciperet & Dominum ſuum agnoſceret; vel quando eum in conſummatione ſeculi de cœlo adducet, ut mundum

judicet, & omnibus ſibi ſubjectis, plenam ac perfectam totius regni ſui poſſeſſionem accipiat, fiatque illud quod canit *Pſalmus* 96. hìc citatus, *Dominus regnavit*. *Nunc enim* (ùt dicitur *cap. ſeq.*) *necdum vidimus omnia ſubjecta ei*. Poſterior hic ſenſus *Eſtio* probabilior apparet, ſecundùm quem magìs apparet vis verbi *introducere*, quod apud juris peritos ſignificat mittere in poſſeſſionem. Deniquè ſenſum hunc confirmat quod dicitur *cap. ſeq.* ℣. 5. *Primogenitum* vocat, quia apud Hebræos primogeniti erant hæredes & omnium rerum Domini, & quia verè *primogenitus ſit inter multos fratres*, *Rom*. 8. ℣. 29., qui quamvis ſolâ ſint adoptione filii Dei, *non tamen confunditur eos fratres vocare*, *cap. ſeq*. Horum autem comparatione eſt primogenitus, utpotè quos omnes & ætate præcedit quia æternus, & dignitate quia naturalis, *Rom*. 8. *Cum* igitur *iterum introducit* &c, tunc *dicit*: *& adorent eum omnes Angeli Dei*. *Eum* ſcilicet in humanitate exiſtentem, nam ut *eum* in divinitate adorarent, non indigebant admonitione. Ex eo autem quòd Homo unitus Deo adoretur ab Angelis, patet quòd Angelis multò melior ſit. *Hieronymus* vertit, *Adorate eum omnes dii*. Nam cùm homines potentiâ & dignitate excellentes appellentur dii, ùt *Pſal*. 81. ℣. 1. *&* 6., non mirùm ſi & Angeli interdùm idem nomen participent, ùt *Pſal*. 96. ℣. 9. *nimis exaltatus es ſuper omnes Deos*. Quæſtio quinam ibi Deorum nomine intelligantur: Quidam intelligunt falſos Deos, ùt Solem, Lunam, aut etiam dæmones: alii judices & principes; alii Angelos. Probabile ſanè eſt, eo nomine comprehendi tam Angelos quàm homines quotquot ſuprà alios potentiâ aut dignitate eminent: vult enim *Pſalmiſta*, nullam eſſe tam ſublimem potentiam

quæ non incurvare ſe debeat ac ſubmittere Domini regnantis imperio. Quin veriſimile eſt, *Paulum* etiam malos Angelos comprehendere quos principatus & poteſtates appellat ſcriptura de quorum Principe agit *Job.* 41. ℣. 24., eoſque Chriſto perfectè ſubjiciendos, eum adoraturos & in eum trementes credituros multæ ſcripturæ docent: ùt *Jac.* 2. ℣. 19., *Rom.* 14. ℣. 11.; 1. *Cor.* 15. ℣. 24. & 25., *Phil.* 2. ℣. 10. & *Apoc.* 5. ℣. 13. Ex his deniquè probabilius fit, Apoſtolum hìc loqui de eo quod futurum eſt in ſecundo Chriſti adventu ſicut *ſuprà* monuimus. Tunc enim Chriſtum univerſalem omnium hominum & Angelorum judicem ac Dominum, in regni ſui pleniſſimam poſſeſſionem inducendum à Patre, boni quidem Angeli gaudentes & venerabundi, dæmones autem dolentes atque inviti potentiam ejus ac divinitatem, regnique magnitudinem agnoſcentes, adorabunt eâ nimirùm adoratione & cultu, qui ſoli Deo debetur, ex *Eſtio.*

℣. 7. *Et ad Angelos quidem dicit: qui facit Angelos ſuos ſpiritus, & miniſtros ſuos flammam ignis.*

Ad Angelos, id eſt, *de Angelis dicit* Deus vel Scriptura. Sic *ad* pro *de* ſæpiùs in ſcriptura legitur: ùt *infrà* c. 4. ℣. 13., *Rom.* 10. ℣. 21., *Lucæ* c. 18. ℣. 9., c. 19. ℣. 9., c. 20. ℣. 19. & *Marci* 12. ℣. 12. *Qui facit Angelos ſuos ſpiritùs, & miniſtros ſuos flammam ignis*: ex *Pſal.* 103. De horum autem verborum ſenſu non levis eſt controverſia. Quidam enim inter quos *Janſenius*, ordine conſtructionis inverſo ſic exponunt. *Qui ſpiritus*, id eſt, ventos, *facit nuncios ſuos*; hoc eſt, utitur iis tanquam nunciis, ita ut iram ipſius denuncient hominibus, quoties terris ac mari vehementiùs incumbunt

& tempeſtates excitant. Item, *qui flammam ignis*, ſive *ignem urentem*, hoc eſt, fulgura flammantia *miniſtros ſuos facit*; dum videlicet iis velut miniſtris utitur, quotieſcumque voluerit, ad ultionem de impiis ſumendam: quomodo legimus Pentapolim cœleſti igne conſumptam. Hic ſenſus quidem optimè congruit cum iis quæ in eodem Pſalmo præcedunt de lumine, cælo, aquis &c.; ſed vix apparet quomodo inſtituto Apoſtoli inſerviat: *Gaignæus* putat nihil aliud *Paulum* velle, niſi quòd Angelis filii Dei nomen non tribuatur ùt Chriſto; ſed nuntiorum tantùm & ſervorum. Alii propterea locum Pſalmi juxtà citationem Apoſtolicam de iis, qui propriè ſecundùm Scripturam Angeli dicuntur, interpretantur; ut ſenſus ſit; qui pro nunciis, curſoribus & miniſtris utitur ſpiritualibus & immaterialibus ſubſtantiis; ſic ut diſcrimen ſit inter Chriſtum & Angelos, quòd ille ſit Dei Filius, hi miniſtri; quod ℣. 14. clarè exprimit: & c. 3. idem diſcrimen ponit inter Chriſtum & Moyſem: ita *Aug. in Pſal. & Greg. hom. 3. ſuper Evang.* Alii proprietati textûs græci inhærentes hunc ſenſum eſſe volunt; qui Angelos ſuos facit ſicut ventos, & miniſtros ſuos ſicut ignem; & ſcopo Apoſtoli congruere volunt, quòd dicatur *facit*: ex quo docent ſequi, Angelos eſſe creaturas, & per hoc à filio Dei qui non factus aut creatus ſed genitus eſt, manifeſtè diſtingui; ex *Theod.* & *Eurym.* Inter hos ſenſus ille qui ex *Greg. & Aug.* allatus eſt, à *Paulo* intentus videtur: ex *Eſtio.*

8. ***Ad Filium autem: Thronus tuus Deus in ſeculum ſeculi: virga æquitatis, virga regni tui.***

Ad, hoc eſt, *de filio* dicit ſcriptura, *Pſal.* 44. *Thronus tuus* &c. quibus authoritatibus com-

ſeculi, Hebraicè, *in æternum & ultr*
phraſi ſignificatur æternitas intermina
abſoluta. *Virga æquitatis*, græcè, *virga*
dinis, id eſt, juſtitiæ. Et Græca hunc o
volunt: *virga regni tui eſt virga æquit*
eſt, ſceptrum tuum regale ſceptrum eſt j
q. d. Tu regnum tuum ſummâ juſtitiâ c
tate adminiſtrabis: Ita *Euſeb.*, *Cyril.*,

℣. 9. *Dilexiſti juſtitiam, &*
iniquitatem: propterea unxit te
Deus tuus oleo exultationis præ
ticipibus tuis.

Partes ſeu officia juſti Principis ſunt
tem eſſe juſtitiæ, & odio proſequi inju
Quæſtio eſt de qua Chriſti unctione P
ab Apoſtolo hic citatus loquatur:
quidem eſt, ſpiritualem non corpora
telligi, cùm Chriſtus non niſi inviſib
Patre unctus ſit: ſed dubitatur, quando
modo unctus. Sunt qui putant hic agi
tia Spiritûs ſancti, quæ copioſiſſimè e
in Chriſtum, quando natura ejus huma
juncta eſt cum divina: nam in illius

quique de ejus plenitudine omnes accipiunt. Attamen huic ſenſui obſtare videtur conjunctio *propterea*: ſi enim *propterea* unctus eſt, quia *dilexit juſtitiam*; non ergo in ipſa conceptione unctus eſt. Pro qua difficultate ſolvenda vox *propterea* duplici modo explicatur: ſemel hoc ſenſu; ad hoc unxit te Deus oleo gratiæ ſuæ, ut diligeres juſtitiam & odio haberes iniquitatem, ita *Aug.& Th.*; vel 2° *Dilexiſti juſtitiam eo quòd unxerit te Deus*, ut *Iſa.* 61. ℣. 1. Alii proprietatem vocis, *propterea*, retinentes unctionem intelligunt quam Chriſtus ſuis meritis ſibi comparavit. Ea eſt unctio ad gloriam: quando ſcilicet poſt paſſionem immortalitate donatus & ad dexteram Patris collocatus, regni poſſeſſionem & gloriæ conſummationem accepit: ſicut enim David non ſemel, ſed tertiò legitur unctus in regem: ita & Chriſtus plurimùm quidem unctus eſt in ſua conceptione: *natus eſt enim Chriſtus Dominus. Luc.*2. idemque *natus eſt rex Judæorum*, *Matth.* 2. Iterùm autem unctus eſt quodammodò quando ſuper eum baptizatum vox Patris audita eſt: *Hic eſt filius meus dilectus*; quando & Spiritus Sanctus ſuper eum in ſpecie columbæ deſcendit: unctus tertiò, quando per Reſurrectionem atque in cœlos aſcenſionem exaltatus à Patre, rex cœli & terræ declaratus eſt. Juxta hanc ſententiam ſenſus eſt; quoniam dilexiſti juſtitiam & odiſti iniquitatem, ideò te Deus unxit eâ unctione quâ jam ſtolâ gloriæ & immortalitatis indutus ac regio diademate coronatus, in regni poſſeſſionem venires. Congruit hic locus cum *Phil.*2. ubi poſt deſcriptam Chriſti humilitatem & obedientiam ſubjungitur: *Propter quod & Deus exaltavit illum*: ita *Janſenius in paraph. & annot. Pſ.* 44. Quoniam autem oleum quo Reges & Sacerdotes ungebantur, mirum in modum recrea-

bat eos in quos effundebatur: idcircò vocabatur *oleum exultationis*, id eſt, unguentum lætificans & exhilarans. Quamquam oleum per ſe vim habet exhilarandi juxtà illud *Pſalm.* 103. *Ut exhilaret faciem in oleo.* Id verò ſpiritualiter multò magis præſtat unctio gratiæ Spiritûs ſancti, ſive illa quam in ſua conceptione Chriſtus accepit ſive illa quâ in gloriam introductus & regni ſui poſſeſſor factus eſt. *Præ participibus*, id eſt, conſortibus *tuis*: qui autem hi ſint, clariùs intelligetur ex *cap.* 2. & 3. Jam breviter ex his collige antitheſim quam inter Angelos & Chriſtum notat Apoſtolus. Angelos, inquit, Scriptura nuntios & miniſtros Dei vocat, Chriſtum verò quod ad unam ejus naturam attinet, Deum appellat; quod ad alteram, regni æternitatem ei attribuit & ſupra omnes participes eum extollit: quâ parte rursùs tacitè anteponitur Moyſi qui unus erat ex participibus, ex *Eſtio*.

℣. 10. *Et: Tu in principio Domine terram fundaſti: & opera manuum tuarum ſunt cæli.*

Leguntur hi verſus *Pſal.* 101.; in quo plura de reſtauratione terrenæ Jeruſalem dicuntur, quæ myſticè referenda ſunt ad ædificationem ſpiritualis & æternæ Jeruſalem, hoc eſt, Eccleſiæ quæ Chriſti civitas ac regnum eſt: & ideò *Paulus* hos verſus ad probandam Chriſti excellentiam allegat, eamdem demonſtrans ex ipſius opificio qui cœlos & terram creaverit: & hoc ad divinitatem refertur. Cùm enim antè dixiſſet, *quando introduxit eum in orbem terrarum*, fortè ex illis verbis quiſpiam exiſtimare potuiſſet, illum tunc primùm cœpiſſe, cùm aſſumptâ carne in orbem terrarum introductus eſt; ideò poſt habita de humanitate Chriſti verba, nunc rursùs ad divinitatem redit oſtendens

lens eum terram feciſſe & cælos. Explicat autem Apoſt. hoc teſtimonio id, quod ſuprà ℣. 2. de Chriſto dixerat, *per quem fecit & ſecula:* ne quis ſuſpicetur ſic per Chriſtum omnia à Deo facta, quaſi per miniſtrum: ubi contrà ſic omnia per ipſum facta ſunt, ut ipſe non minùs verè ac propriè ea fecerit; ùt Chriſtus teſtatur *Joan.* 5. ℣. 19. Senſùs verò hujus verſûs eſt; *Tu Domine terram fundaſti*, id eſt, firmam, ſtabilem atque immobilem: *in principio*, hoc eſt, omnium primò; ante eam enim nihil factum erat. Hoc enim ſenſu ſcriptum eſt: *in principio creavit Deus cælum & terram*: ita *Eſtius*.

℣. 11. *Ipſi peribunt, tu autem permanebis, & omnes ùt veſtimentum veteraſcent:*

Ipſi peribunt, non quòd Cælorum ſit deſitura natura, ſed quòd in aliam immutandi ſpeciem meliorem ſeu innovandi ſint, ita *Gaign.* Meminit autem corruptibilitatis rerum creatarum, ut ex earum collatione Dei creatoris æternitatem magis illuſtret: cælos autem nominat velut partem creaturæ præcipuam. Alibì terra adjungitur ùt *Matth.* 24. ℣. 35. Sed quomodo verum eſt cælos &c. perituros eſſe? ℟. Hoc intelligimus ex 2. *Epiſt. Petri* c. 3. ℣. 10., 12. & 13.; & *Apocal.* c. 21. ℣. 1. Ex quibus locis oſtenditur cælos & terram, quâ parte conflagrabunt igne, perituros eſſe: quâ parte autem ab igne non conſumentur, in melius eſſe mutandos; quæ mutatio ſecundùm Scripturas renovatio mundi vocatur. Conflagratio quidem ſolum attinget cælum aëreum. At renovatio etiam cælis ſtelliferis ac toti mundo communis erit, ùt patet *Apoc* 21. ℣. 1., *Iſaïæ* c. 65. ℣. 17., & c. 66. ℣. 22., & *Rom.* 8. ℣. 21. *Tu autem permanebis*, græcè, *permanes*, at

Hebraïcè. *Et tu ſtabis*, id eſt, nunquam muteris. *Et omnes ùt veſtimentum veteraſcent:* cujus ſenſus eſt, ſicut veſtis aſſiduo uſu teritur & veteraſcit, ut proindè renovari debeat; ita cæli omnes, velut uſu longi tempori attriti & ad vetuſtatem perducti, interitum ſubibunt, hoc eſt, eam mutationem quâ renovandi ſint in alium ac meliorem ſtatum: ex *Eſtio*.

℣. 12. *Et velut amictum mutabis eos, & mutabuntur : tu autem idem ipſe es, & anni tui non deficient.*

Prima pars hujus verſûs variè exponitur. Aliqui ſic explicant: Quemadmodùm *amictus* ſeu pallium deponitur & complicatur, ut cùm opus eſt, iterùm ſumatur, ita tu cælos qui ſunt velut pallium extenſi, quaſi complicabis, ut reformati iterùm extendantur. Alii hoc modo: ſicut veſtis detrita ſolet inverti ut nova appareat, ita tu cælos invertes, id eſt, renovabis. Pro *Mutabis* nonnulli codices græci habent *involves*, & exponunt juxtà quod dicitur *Apoc.* 6. *Et cælum receſſit ſicut liber involutus*, hoc modo; ſicut in libro convoluto (nam membranis volubilibus pro libris utebantur Hebræi) nihil poteſt legi priuſquam evolvatur: ita cæli facies, in qua ſunt aſtra velut literæ nobis enarrantes gloriam Dei, penitùs obducatur, ut nihil appareat donec renovatione ſuâ explicetur. *Eſtius* autem, quia non deſunt græci codices qui legunt *mutabis*, quomodo non hìc ſolùm, ſed & in *Pſal.* 101. vulgatus interpres vertit, verbum illud retinendum judicat, præcipuè quia meliùs correſpondet ei quod ſequitur, *& mutabuntur*: & videtur hic ſenſus eſſe; Sicut amiculum vetus facilè novo commutari ſolet, ita tu cælos ſummâ facilitate mutabis ac renovabis; ſtatim enim ùt volueris, fiet. *Tu autem*

idem ipſe es, id eſt, idem ſemper & immutabilis, *& anni tui non deficient*. Id eſt, æternitas tua ſtabilis eſt & immutabilis: anni noſtri quotidiè deficiunt nec ſtant omninò, ſed anni tui non deficient, ſemper ſtant. Hoc totum teſtimonium ex *Pſ.* 101. ſumptum eò ſpectat ut demonſtretur quantò Chriſtus ſit Angelis eminentior; ùt qui creator ſit omnium, idemque æternus & immutabilis, cùm cetera omnia (in quibus etiam Angeli) mutationi ſint obnoxia. Quibus manifeſtè divinitas Chriſti aſſeritur; cùm Deo ſoli proprium ſit, ſemper eſſe & non mutari: juxtà *Malach.* 3. *Ego Dominus, & non mutor.* Ita *Eſtius.*

℣. 13. *Ad quem autem Angelorum dixit aliquando: ſede à dextris meis, quoadusque ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum?*

Alio *Davidis* ex *Pſal.* 109. teſtimonio Chriſtum Angelis præſtantiorem oſtendit, quòd illi dictum ſit à Patre, *ſede à dextris meis*, id eſt, habita & quieſce in plenitudine meæ majeſtatis. Is enim ſedet *à dextris Dei* ùt *alibi* & etiam *hoc cap.* dictum eſt; qui Deo proximus aſſidens, elevatus ſupra omnem creaturam, quietam felicitatis ac regni cum Deo poſſeſſionem obtinet, quod ſoli Chriſto competit. Donec omnes *inimicos tuos*, tam dæmones quàm homines reprobos, qui in ſorte dæmonum ſunt, ita tibi ſubjecero, ut ſint quaſi *ſcabellum pedibus tuis* calcandum. Id complebitur in die extremi judicii quando evacuabitur omnis principatus & poteſtas, & virtus adverſaria, ùt 1. *Cor.* 15. Dicit Apoſt. *Quoadusque* vel donec, non ut inſinuet, Chriſtum poſtquam inimicos ſuos ſibi habebit ſubjectos non ampliùs ſeſſurum à dextris Dei; contrarium enim affirmat *infrà* c. 10.

℣. 12. Sed affirmat Chriſtum eò uſque ſeſſurum, ſimul indicans, inimicorum ſubjectionem certiſſimè ſuo tempore futuram: ita *Eſtius* ex *Hier. contra Helvid.*

℣. 14. *Nonne omnes ſunt adminiſtratorii ſpiritus, in miniſterium miſſi propter eos, qui hereditatem capient ſalutis?*

Docet Apoſt. Angelos non filios Dei, ſed hominum etiam tantùm miniſtros: eorum ſcilicet *qui hereditatem* cæleſtem ſunt percepturi. Non jubentur ergo *ſedere* ùt Chriſtus, ſed *miniſtrare*, undè tantò illo ſunt inferiores; ita *Gaig.* Verumtamen ex *hoc verſu* non eſt conſequens, ſolis electis hominibus Angelos à Deo cuſtodes adhiberi, ſiquidem & ea quæ circa reprobos tam cuſtodiendos quàm puniendos aguntur àb Angelis, omnia ad electorum ſalutem & gloriam ordinantur. Quæſtio eſt an ex *hoc loco* ſequatur, omnes ſinè exceptione Angelos mitti aliquando in miniſterium: hoc enim multi nominatim *S. Thomas* & ejus ſequaces negant: & ad hunc *B. Pauli* locum varias adhibent reſponſiones. Una eſt; omnes quidem mitti, ſed alios exteriori miſſione, alios interiore quâ nimirùm ad hoc ordinentur ut accepta à Deo mandata viâ illuminationis ad eos tranſmittant, à quibus ſunt executioni mandanda. Secunda eſt *Cajetani* dicentis, Angelos inferiores immediatè, ſuperiores mediatè mitti: mediata autem juxtà ipſum miſſio coïncidit cum interiore jam dicta. Refelluntur autem hæ reſponſiones quòd nec mediata nec interior ſit propriè dicta miſſio, ùt probat *Eſtius*. Tertia eſt, non omnes Angelos, ſed tantùm ex omni Angelorum genere quoſdam mitti: quæ refellitur, quia *Paulus* quoties Chriſtum confert cum Angelis, iiſque majorem probat, omnes

omninò. Angelos intelligit, ùt ex ſolis iis quæ *hoc cap.* leguntur, evidens eſt. Fateamur ergo, ait *Eſtius*, Apoſtoli verba diſertè ſonare, omnes Angelos propriè *mitti* ſeu ùt græca ſonant, *emitti* ſive *emandari*. Quod docent nos ſcripturæ ſcilicet ipſum Angelorum principem Archangelum Michaëlem, aliosque ex Cherubim & Seraphim, qui ſupremi ſunt ordines, aliquando miſſos fuiſſe: ùt *Gen.* 3. & *Iſaïæ*. 6.

CAPUT II.

Retinendam eſſe Chriſti doctrinam confirmat.

℣. 1. *Propterea abundantiùs oportet obſervare nos ea, quæ audivimus, ne fortè pereffluamus.*

APplicat ea quæ dixit *ſuperiore capite* ad exhortationem, q. d. Cùm ergò per proprium filium locutus ſit nobis Deus, tantò *abundantiùs*, id eſt, præſtantiùs ac majori obſervatione *obſervare nos oportet quæ* ab eo *audivimus*; quantò præſtantior eſt Evangelici verbi adminiſter Chriſtus, quàm vel Prophetæ vel Angeli legis adminiſtratores. *Ne fortè pereffluamus*, græcè, *Ne quando præterfluamus*, *Aug. defluamus* legit *lib.* 3. *de Trin.* c. 11., *Chryſ. pereamus*: Græca ſcholia ne à recto ac via ſalutis excidamus: vel ne more prætereuntis aquæ dilabamur ac prorsùm pereamus. Vel ne audita nobis excidant è memoria: & ne ſimus inſtar dolii pertuſi, aut rimoſi quod liquorem infuſum non retinet. Vel alluſit ad metaphoram perfluentis chartæ quæ receptos characteres minùs retinet ſed diffunditur, ita ut evaneſcant; quod contingit minùs attentis animis qui

ſuſceptam doctrinam non retinent, ſed ſtatim in ventos abire ſinunt & prætérfluere. Tacitè innuit myſterium excæcationis Judæorum infidelium, de quo *Rom.* 11. q. d. Ne & vos involvat communis abjectio Gentis veſtræ; ſeſe autem conjungit modeſtiæ causâ. Sed & ex *hoc loco* ſatis colligitur, *Clementem* Romanum non eſſe authorem hujus Epiſtolæ, ùt quidam ſuſpicati ſunt; ex *Eſtio.*

℣. 2. Si enim qui per Angelos dictus eſt ſermo, factus eſt firmus, & omnis prævaricatio & inobedientia accepit juſtam mercedis retributionem:

Sermonem per Angelos dictum nonnulli intelligunt quodcumque Dei mandatum, reſponſum, alloquium per Angelos hominibus datum. Verùm juxta ſcopum Apoſtoli, aliaque Scripturæ loca ùt *Gal.* 3. ℣. 19. & *Act.* 7. ℣. 53., manifeſtum videtur hic agi de ſermone Legis datæ in monte Sinaï. Et quidem ipſe Apoſt. hæc de Lege Moſaïca exponit *infrà* c. 10. ℣. 28. Dicit igitur *ſi ſermo* legis Angelorum miniſterio datæ *factus eſt firmus*, id eſt, pondus ac firmitatem obtinuit, ita ut nullus eam impunè contempſerit: vel factus eſt *firmus* ſeu verax & ſtabilis permanſit. *Et omnis prævaricatio & inobedientia* ſeverè punita fuit, prout prævaricatores demeriti fuerant: quorum exempla aliquot 1. *Cor.* 10. commemorantur ex *Libris Exodi c.* 19. & 20., & *Numer.* 15. & 25. His conforme eſt quod dicit *infrà* c. 10. ℣. 28. & 29. *Juſtam* ergo *retributionem* vocat Lege decretam, quâ ſcilicet rigori Legis ſatisfit. Sic & alibi *mercedem* in malo poſuit Apoſt. *Rom.* 1. ℣. 27.

℣. 3. *Quomodo nos effugiemus ſi tantam neglexerimus ſalutem? Quæ cùm initium accepiſſet enarrari per Dominum, ab eis, qui audierunt, in nos confirmata eſt,*

In nomine *Salutis* metonymia eſt, quâ ex effectu cauſa ſignificatur: intelligitur enim doctrina Evangelica quæ nobis ſalutis cauſa eſt. Et argumentatur à minori. Si juſtas dederunt pœnas qui legem per Angelos adminiſtratam transgreſſi ſunt; *quomodo nos* juſtam Dei ultionem *effugere* poterimus; ſi doctrinam ſalutiferam à Chriſto Dei filio nobis traditam rejecerimus? Lex vetus erat à Deo per miniſtros, Lex nova à Deo per Deum, Chriſtum Dei filium lata & data eſt. *Quæ* ſalus, quæ ſalutifera doctrina *tùm* primùm cœperit *enarrari*, id eſt, ſermone proferri ac publicari *per* ipſum *Dominum* noſtrum Chriſtum in terris agentem. *Ab iis qui audierunt* ex ore ipſius, ſcilicet à Diſcipulis Chriſti *in nos confirmata eſt*: id eſt, ea doctrina, inquit, non incerto rumore ad nos allata eſt, ſed à teſtibus oculatis ipſius Chriſti diſcipulis qui eum hæc docentem audierunt, accepta fidem & firmitatem apud nos obtinuit. Quia hìc dicitur, *in nos*, aliqui inter quos *Cajet.*, putant demonſtrari *Paulum* non eſſe authorem hujus Epiſtolæ: quia *Paulus ad Gal.* dicit, ceteros Apoſtolos nihil ſibi contuliſſe. Cui argumento multiplex Reſponſio. 1° *Paulum* ab iis qui Dominum audierunt, non accepiſſe doctrinam ipſam, ſed doctrinæ quam tradebat, confirmationem, ut teſtatur *Gal.* 2. ℣. 2. & 9. 2° *Paulum* non doctrinæ ſed ſalutis confirmationem ab iis accepiſſe: quia nimirùm ſacramenta ab aliis accepit; nam ab Anania diſcipulo baptizatus eſt, *Act.* 9. 3°. Non agi hìc de confirmatione per

doctrinam ſed per miracula; quia ſequitur, *Conteſtante Deo ſignis* &c. 4° Authorem non dicere ſe confirmari, ſed ſalutem, id eſt, doctrinam ipſam ſalutarem. Sequitur enim: *conteſtante Deo* &c. ſic Ribera. 5° Authorem uti pronomine *Nos*, non quòd ſuam ipſius perſonam velit comprehenſam; ſed eo more quo ſolent qui docent vel exhortantur, loqui in prima perſona numeri pluralis. Ita paulò antè dixit, *Ne fortè effluamus*, & iterùm; *Quomodo nos effugiemus ſi tantam neglexerimus ſalutem?* Hæc poſtrema reſponſio, ait *Eſtius*, quæ multis placet, nobis non diſplicet; imò vera omninò mihi videtur.

℣. 4. *Conteſtante Deo ſignis & portentis, & variis virtutibus, & Spiritûs ſancti diſtributionibus ſecundùm ſuam voluntatem.*

Innuit Apoſtolus, quemadmodùm ſermo per Angelos dictus, terribilibus quibuſdam ſignis in monte oſtenſis, fuit confirmatus; ita Chriſti doctrinam multis ac variis miraculis prædicationem ejus comitantibus confirmatam fuiſſe: ut ſic conſtet non mentiri eos qui quæ à Chriſto audierunt aliis prædicant. Cùm Deus ipſe veritatem atteſtetur per ſigna & prodigia variaſque virtutes quas per eos operatur. *Et Spiritûs Sancti diſtributionibus*: & per dona ac Spiritûs Sancti ſuperventionem fiunt illa quæ ſunt divini teſtimonii: *diſtributiones* vocat eo quòd Spiritus Sanctus ita partitur, ut non uni omnia, ſed aliis alia largiatur & ad menſuram cujuſque; & juxta ipſius *voluntatem*, paracleti videlicet, ùt 1. *Cor.* 12. ℣. 16 ex *Oecum.*

℣. 5. *Non enim Angelis ſubjecit Deus orbem terræ futurum, de quo loquimur.*

Hunc locum Græci referunt ad præcedens caput; proſequitur enim excellentiam Chriſti ſupra Angelos, de quo cùm dixiſſet, *cùm introduxit in orbem terræ*, & allegaſſet illud *initio Domine terram fundaſti*; ſubdit. *Non enim Angelis ſubjecit orbem terræ futurum.* Quæritur quis hìc intelligatur *orbis terræ futurus*? *Chryſ.* & *Theoph.* de orbe præſenti ſermonem eſſe contendunt, quem *futurum* dici interpretantur reſpectu æternitatis filii Dei: quo ſenſu omne creatum futurum eſt. Hunc commentarium *Ribera* reſtringit ut intelligatur de hominibus ac ceteris quæ in terra ſunt; de hominibus quidem in vitam æternam adducendis, de ceteris verò quatenùs hominum ſaluti inſerviunt. Sed inter alia huic commentario obſtat, quòd Scriptura etiam Angelis ùt moderatoribus & principibus orbem terræ præſentem ſubjectum eſſe, affirmet; ùt *Dan.* 10. *& alibi.* Alii igitur intelligere malunt Eccleſiam qualis futura eſt poſt hoc ſeculum in gloria cæleſti: vel potiùs in genere ſtatum mundi futurum poſt reſurrectionem, id eſt, cælum novum & terram novam & quidquid in eis erit. Qui ſenſus conſonat Scripturæ quæ ſpem noſtram ad bona futura poſt hanc vitam protendere nos docet: ùt 1. *Cor.* 15. ℣. 46. & *hâc Epiſt.* c. 13. ℣. 14. &c. 11. ℣. Pari ratione *Iſaïæ* 9. *Pater futuri ſeculi* dictus eſt. Nec repugnat vocabulum *Terræ*; nam de terra & orbe terræ ſpiritualiter ac myſticè Scripturam loqui, non inſolitum eſt: ita *Eſtius* poſt *Lyran.* & *Cajet.*

℣. 6. Teſtatus eſt autem in quodam loco quis, dicens: quid eſt homo quòd memor es ejus, aut filius hominis quoniam viſitas eum?

Davidis teſtimonio *Pſal.* 8. probat orbem terrarum Chriſto, non Angelis ſubjectum. *Quid eſt homo*, id eſt, quàm vilis & abjecta res eſt; *quòd memor es ejus*: id eſt, quòd ejus meminiſſe dignaris? *aut Filius hominis*, per quem intelligitur quivis abjectus homo; atque ita ſe Chriſtus ubique vocat humilitatis gratiâ, non oſtentans quam communem habebat cum Patre æqualitatem, ſed hominem tantùm & ex abjectiſſimis unum ſe faciens; ſic Ezechiel ne magnitudine revelationum extollatur, *Filius hominis* appellatur, id eſt, vilis & abjectus Hebräicâ phraſi. Sunt qui totum *Pſal.* 8. ſecundùm litteram de Chriſto intelligunt: meliùs tamen videtur hiſtoricè & litteraliter intelligendus de ipſo homine generatim conſiderato: ut hic ſit ſenſus. Domine Deus, *quid eſt homo*, terrenum animal, quod tu tantus, tamque immenſi operis artifex, illius rationem & curam habeas? *Quid*, inquam, eſt *Filius hominis*, id eſt, homo ex homine natus, mortalis ex mortali, miſer ex miſero, quòd eum beneficentiæ tuæ donis quæ multa & magna in eum contuliſti, dignatus es inviſere? Hunc ſenſum probatum vide *in Janſ. n. in annot. Pſalmi citati*. Ubi etiam doctè explicatùm invenies, quemadmodùm myſtico vel appropriato ſenſu, totus Pſalmus de Chriſto & regno atque dominio ejus poſſit exponi: & certum eſt, verſus ex Pſalmo illo hic citatos, ad mentem Apoſtoli de Chriſto accipiendos eſſe, ſive quatenùs humanam naturam geſtans, quæ non meretur tantam viſitationem & exaltationem qualem Chri-

ſtus præcipuè poſt reſurrectionem palàm à Patre obtinuit; ſive quatenùs ignominiâ paſſionis & mortis fœdatus & abjectus conſideretur. Ceterùm *Homo* & *Filius hominis* hic idem ſignificant, ita ut repetitio ſit, qualis *in Pſalmis* frequens occurrit, inculcandi & amplificandi vim habens : ita *Eſtius*. Hos ſenſus latiùs explicat *Ribera*.

℣. 7. *Minuiſti eum paulò minùs ab Angelis: gloriâ & honore coronaſti eum: & conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum.*

Paulò minùs, græcè, βραχύ, quod latinè ſonat, *breve quid*; & referri poteſt vel ad magnitudinem ſeu dignitatem, vel ad tempus; ſicut & vox hebræa quæ in Pſalmo legitur. Si ad dignitatem; hic eſt ſenſus : feciſti eum paulò inferiorem Angelis, videlicet quoad humanam naturam quâ eum induiſti. Meliùs tamen, ut *Eſtius* probat, refertur ad tempus hoc ſenſu : ad breve tempus, ſcilicet durante corporis ejus mortalitate, paſſione ac triduò ſepulturæ, minuiſti eum ab Angelis : ſed tempus illud reſurrectione finitum eſt poſtquam *Gloriâ & honore* coronatus eſt. Locum hunc adduxit *Paulus*, ut inquit *Photius*, non ut Chriſtum ſimpliciter minorem oſtendat eſſe Angelis quem proculdubiò ſuperiorem facit, ſed quaſi volens diluere quod ſibi ex hoc loco objici poſſet, Chriſtum minorem eſſe Angelis, qui non planè minor, ſed paulò minor, breviſſimâ ſcilicet ac triduanâ morte, de qua *Iſaias* 53. ℣. 2. & *ſeq.* item *Pſ.* 21. ℣. 7. & *ſeq.* Et hæc illi temporaria imminutio ceſſit ad gloriam, ita *Guig.* Pro *Angelis*, hebraicè eſt dictio *Elohim*, quæ quamquam Deum magis ſignificat (undè vertunt quidam, minuiſti eum parùm à *Deo*) tamen aliquando Angelis tribuitur :

ùt *Pſal.* 96. ℣. 7. Id *hoc loco* magis ſecuti ſunt ſeptuaginta, quos ſecutus eſt *Paulus*. Si tamen cum *Hier.* legatur *à Deo*; hyperbole quædam eſt, acſi dicat Pſalmiſta, parvum quendam Deum hominem feciſti, ita exigente negotio procurandæ noſtræ ſalutis. Quo peracto ſtatim per reſurrectionem immortalitate donatus, & ad ſupremum honoris & gloriæ faſtigium ex eo jam tempore evehi cœpit & præfici operibus à Deo factis: id enim phraſis ipſa ſignificat, ut *Pſal.* 2. ℣. 6. & *Matth.* 24. ℣. 47. & *alibi*: vide *Rib.* & *Euthym.*

℣. 8. *Omnia ſubjeciſti ſub pedibus ejus: In eo enim quòd omnia ei ſubjecit, nihil dimiſit non ſubjectum ei. Nunc autem necdum videmus omnia ſubjecta ei.*

Quod ait, *ſub pedibus ejus*, perfectam ſignificat ſubjectionem Chriſto ùt homini: quæ licèt nondùm peracta eſt, futura tamen eſt etiam in iis quæ nondùm perfectè ſubjecta ſunt. Et ſubjiciendo ei *omnia*, *nihil omiſit ei non ſubjectum*, intellige præter eum qui ſubjecit ei omnia, ſcilicet Deum, ùt 1. *Cor.* 15. Hoc autem dicit propter Angelos, ut ipſos Chriſto homini ſubditos oſtendat, ait *Gaig. Necdum* tamen, inquit, *omnia ſubjecta ſunt ei*; quod non repugnat ei quod ante dixit, *omnia ſubjeciſti ſub pedibus ejus*; nam de futuro Chriſti poſt reſurrectionem generali imperio loquebatur, propter rei certitudinem quod futurum erat, præterito enuntians. Sunt qui illud *omnia* de omnibus electis tantùm intelligunt, quia nondùm ſunt omnes ſubjecti; necdum enim omnes Chriſtum agnoſcunt, quem in judicio ſunt agnituri. Sed meliùs generaliter intelligitur quòd nunc omnia non ſint ſubjecta, quia & dæmones ſeducendo electos, & perverſi bonos

nunc Chriſto repugnant; poſt judicium omnia erunt ei ſubjecta; quia boni parebunt in amore, mali in tremore. Nam alia eſt amicorum, alia inimicorum ſubjectio: alia quoque earum rerum quæ neque ſentiunt, neque intelligunt, ut 1. *Cor.* 15. vide *Chryſoſtom.* & *Theophilactum.*

℣. 9. *Eum autem, qui modico quàm Angeli minoratus eſt, videmus Jeſum propter paſſionem mortis, gloriâ & honore coronatum: ut gratiâ Dei, pro omnibus guſtaret mortem.*

Eum, id eſt, Jeſum autem paululùm ab Angelis imminutum, *videmus propter paſſionem*, id eſt, per paſſionem mortis *gloriâ & honore coronatum*, q. d. jam nobis aſpicientibus impletur illud; *gloriâ & honore coronaſti eum*; quamvis paulò antè ignominioſiſſimè fuerit habitus. Quare non eſt quòd dubitemus, quin etiam hoc poſterius, *omnia ſubjeciſti ſub pedibus ejus*, ſuo tempore complendum ſit: præſertim cùm idipſum videamus bonâ parte etiam nunc impleri per fidem Gentium. Juxtà *Pſal.* 46. ℣. 4; ſicuti & illud *conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum.* Nam poteſtas & præfectura totius creaturæ data quidem fuit Chriſto homini quando verbum caro factum eſt; executio verò ejus poteſtatis fit paulatim, ac tandem implenda eſt in adventu ipſius noviſſimo. Porrò ſciendum eſt, *Aug. l.* 3. *cont. Max. c.* 25. partem illam, *propter paſſionem*, conſtruere cum verbo *minoratus eſt*; ut ſignificetur, Chriſtum *propter paſſionem* minoratum, poſteà gloriâ & honore coronatum. Sed hæc conſtructio violentior eſt: tametſi putamus his Apoſtoli verbis non obſcurè inſinuari, quod *Auguſt.* vult; Chriſtum per hoc ab Angelis minora-

tum quòd paſſionem mortis ſubierit; ſic tamen ut eum nunc videamus *per* vel *propter paſſionem mortis gloriâ & honore coronatum*, id eſt, in crucem ſublevatum & exaltatum; conformiter ad illuſtrem illum locum *Phil.* 2. ℣. 8. & 9. Ita græci, *Gaig.* & *Eſtius*. Jam ex his Scripturis perſpicuum eſt, Chriſtum ſuâ paſſione non nobis tantùm promeruiſſe bona ſalutaria ſed & ſibi ipſi gloriam & honorem. *Ut*, ſeu potiùs quâ paſſione, *gratiâ Dei pro omnibus* ſcilicet redimendis *guſtaret mortem*, hoc eſt, mortem pateretur ſed non diuturnam: hoc enim importat verbum *guſtas*. Quod autem *gloriam & honorem* non reſurgentis Chriſti dotes & glorioſam in cælum aſſumptionem, ſed ignominioſam mortem interpretor, id facio cùm Græcis qui gloriam & honorem crucem interpretantur. Neque enim tam glorioſum, tantæque majeſtatis fuit Deum cælos, terram & hominem, ac ſupernas illas condidiſſe Angelorum virtutes, quàm quòd noſtrâ gratiâ cruci dignatus eſt affigi. Benè autem ait, *ut gratiâ Dei*, id eſt, ob gratuitam in nos benevolentiam *guſtaret mortem*, non noſtris meritis. Hic autem velut correctione quâdam utitur *Paulus*, cùm enim dixiſſet ex *Pſal.* 8, Chriſtum Angelis paulò minorem effectum, oſtendit illam imminutionem uſque adeò propriè imminutionem dici non debere, ut illi acceſſio etiam honoris & gloriæ fieret. Pro eo verò quod hoc loco Græci & Latini habent, *ut gratiâ Dei pro omnibus guſtaret mortem*, *Beatus Fulgentius ad Trazimundum regem*, *ep.* 3. legit, *ut ſinè Deo*, ſeorſim à Deo, excepto Deo, *guſtaret mortem*; atque ex hoc loco probat *Fulgentius* deitatem paſſionis expertem fuiſſe: vel *pro omnibus abſque Deo*, id eſt, ſolo Deo excepto, qui nullo remedio opus habe-

bat, Chriſtum mortuum eſſe etiam pro Angelis, quatenùs ſcilicet ex hominum redemptione, gaudium illis acceſſit, ita *Theod.* Lectio tamen, quam hodie Græci & Latini codices conſtanter habent, præferenda eſt. *Pro omnibus*, intellige quantùm ad ſufficientiam, mortuum eſſe Chriſtum; ex *Anſel.* & *Th.*; vel *pro omnibus* prædeſtinatis ad vitam quibus ſolis efficaciter illud pretium applicatur; vel *pro omnibus* Gentibus toto mundo diſperſis, eo quòd ex omnibus aliqui morte Dominicâ ſint liberandi. *Apo.* 5. ℣. 9., 2. *Cor.* 5. ℣. 15., 1. *Tim.* 2. ℣. 6. & 1. *Joan.* 2. ℣. 2. *Guſtavit* quia in morte non permanſit, ſed paulò poſt reſurrexit, ita Græci; vel mortem guſtare aut videre non aliud eſt quàm mori, ùt *Mat.* 16. ℣. 28. & *Jo.* 8. ℣. 51. ex *Theoph.* & *Oecum.*

℣. 10. *Decebat enim eum, propter quem omnia, & per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem ſalutis eorum per paſſionem conſummare.*

Pro *conſummare* quidam legunt *conſummari*: & totum textum referunt ad Chriſtum: ut ſenſus ſit, *decebat* Chriſtum, *propter quem & per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, authorem ſalutis eorum conſummari*, id eſt, perfectum fieri. Verùm huic interpretationi obſtare videtur, quòd hæc verba *per quem omnia* non rectè quadrent in Chriſtum hominem. Quòd enim *Joan.* 1. & *alibi* legimus *omnia per ipſum facta eſſe*; dictum eſt de Chriſto ùt Verbo ac Filio Dei. Feſellit autem illos interpretes, ait *Eſtius*, quòd putent legendum eſſe *conſummari* quaſi de Chriſto dicatur: ubi tamen non ſolùm Græci & Syri codices, ſed etiam optima quæque exemplaria Latina, ſuf-

fragante item editione Clementinâ, probant lectionem noſtram *conſummare*, quod ad Deum referri oportet. Eſt igitur periphraſis Dei: *propter quem omnia & per quem omnia.* Deus enim ùt finis eſt omnium, ita & omnium effector & opifex eſt. Senſus autem totius ſententiæ eſt: Deus qui rerum omnium finis & author eſt, judicavit hoc quàm maximè decere, ut quoniam multos filios per multarum adverſitatum tolerantiam ad gloriam adduxerat, ſimiliter quoque authorem æternæ ſalutis illorum, id eſt, Chriſtum filium ſuum naturalem per afflictiones ipſamque crucem conſummaret, hoc eſt, ad conſummatam gloriam adduceret. q. d. Voluit Deus Pater Chriſtum filium ſuum inhibere eandem legem & conditionem quâ ſolet ceteros filios ad gloriam adducere, nimirùm *per paſſiones* & afflictiones. Difficultas una ſupereſt quòd non appareat, quos ante Chriſti paſſionem filios Deus adduxerit in gloriam, aditu regni cæleſtis nondùm patefacto. Aliqui explicant, ut *Adduxerat* ſignificet adducere decreverat per prædeſtinationem ad gloriam cæleſtem: verùm hoc modo non multos, ſed omnes in gloriam adduxerat. Ideò *Eſtius* explicat *adduxerat ad gloriam* temporalem, id eſt, glorioſos ac celebres in hoc ſeculo reddiderat, quando nondùm prædicata erat mortalibus gloria cæleſtis: ſic glorioſos fecit Abraham, Joſeph, Job, Moyſen, Davidem. Interim hic locus oſtendit, etiam illos qui ante Chriſti paſſionem juſti fuerunt, rectè appellari ſecundùm adoptionem filios Dei. Ceterùm nonnulli malunt *conſecrare* quàm *conſummare*: tam ob ſignificationem vocis græcæ, quàm quia ſequitur, *Qui enim ſanctificat.* Sed hi non ſatis obſervarunt, quâ ſignificatione ſcriptor hujus Epiſtolæ verbum illud græcum uſurpet *Cap.* 5., 7., 10., 11. & 12.

℣. 11. *Qui enim ſanctificat, & qui ſanctificantur, ex uno omnes. Propter quam cauſam non confunditur fratres eos vocare, dicens :*

Probat decuiſſe Deum, ut filium ſuum per paſſiones conſummaret. Eſt autem probatio talis. Chriſtus à Deo conſtitutus eſt Pontifex, qui oblato ſacrificio *ſanctificaret*, id eſt, à peccatis emundaret ac Deo reconciliaret genus humanum ; atqui Sacerdos *ſanctificans* & populus *qui ſanctificatur*, *ex uno* ſunt, id eſt, ex eadem natura humana ; ſive *ex uno* primo parente. Nam ex eodem populo ſolent aſſumi ſacerdotes. Igitur & Chriſtus humanam carnem aſſumere debuit, eamque miſeriis & paſſionibus obnoxiam qualem ceteri habent homines. Vel *qui ſanctificat* Chriſtus intelligitur, *& ex uno* ſcilicet Deo, qui unus pater eſt omnium, ita *Chryſ.*; ſed prior explicatio melior eſt. Quòd autem cum Chriſto, licèt aliâ ratione, Deum Patrem habeamus, nam ille naturâ, nos creatione & gratiâ ; & adoptione ſive quòd eodem parente Adamo orti eandem Chriſtus & nos naturam habeamus : ideò *non confunditur*, id eſt, erubeſcit nos *vocare fratres* ùt *Rom.* 8. ℣. 29.; idque ex *Pſalmis* probat ℣. 12. *& ſeq.* Porrò quamvis omnes homines in natura participent cum Chriſto, non tamen omnes dignatur nomine fratrum, ſed eos ſolùm, quos ùt fratres & cohæredes diligit, id eſt, ſanctificatos & electos ſuos, qui per gratiam ſunt filii Dei, ex *Riber.* & *Eſtio.*

℣. 12. *Nuntiabo nomen tuum fratribus meis : in medio Eccleſiæ laudabo te.*

Habetur hoc teſtimonium *in Pſ.* 21. ℣. 23. quem totum in Chriſti perſona ſcriptum eſſe, nemini

Chriſtiano dubium eſſe poteſt. Sed quæritur, quando ea ſint impleta. Nonnulli referunt ad tempus Chriſti adhuc agentis in terris ante ſuam paſſionem. Tunc enim fratres ſuos legitur vocaſſe, eos qui facerent voluntatem patris ſui, *Mat.* 12. Tunc & iiſdem Patris ſui nomen annuntiavit; ut teſtatur *Joan.* 17. ℣. 6. Meliùs tamen dicitur, hæc verba impleta eſſe atque impleri poſt ejus Reſurrectionem. Sunt enim *in Pſalmo* verba Chriſti in paſſione conſtituti. Deumque Patrem orantis ac promittentis quid facturus ſit, poſtquam è malis illis liberatus fuerit. At ea liberatio tunc facta eſt, quando eum à morte ad beatam & glorioſam immortalitatem Pater reſuſcitavit; & ex eo tempore ſuos diſcipulos multò expreſſiùs honoravit nomine fratrum, ut *Mat.* 28. ℣. 10. & *Joan.* 20. ℣. 17. Tunc igitur ac deinceps *nomen* Patris ſui *nuntiavit*, ſeu narravit *fratribus ſuis*, primùm per ſeipſum quando per dies 40. poſt Reſurrectionem ſuis Apoſtolis apparens & loquens de regno Dei, pleniorem ſui Patris ac totius Trinitatis notitiam iis inſtillavit: deindè per eoſdem Apoſtolos ac legatos ſuos qui ejus juſſu fidem Trinitatis ac divinam ejus ergà genus humanum bonitatem prædicaverunt; undè ſubdit: *In medio Eccleſiæ laudabo te*: hoc compleri potiſſimùm cœpit ab eo tempore, quo fundatæ ſunt Eccleſiæ Chriſti fidelium; quanquam & Chriſtus per ſe id fecit ante paſſionem unà cum diſcipulis ſuis *Hymno dicto*, *Mat.* 26. ℣. 30.

℣. 13. *Et iterùm: ego ero fidens in eum. Et iterùm: ecce ego, & pueri mei, quos dedit mihi Deus.*

Et iterùm dicit *Pſal.* 17., vel *Iſaïæ* 12. Sed meliùs *Iſaïæ*. c. 8. ℣. 17. Quid autem probat ex hac Scriptura Apoſtolus? ℟. Sunt qui putant

probare Chriſtum Deum eſſe: q. d. Ne audientes ipſum eſſe fratrem ac patrem, exiſtimetis unum quempiam eſſe è vulgò, Deus eſt, inquit in quem ſcriptum eſt oportere fidere. Sed hæc probatio nec intentionis eſt Apoſtoli, nec valeret, ideò meliùs dicitur idem hìc probari quod teſtimonio præcedenti, nempè Chriſtum & hos *ex uno* eſſe, id eſt, ejuſdem humanæ naturæ; valet autem conſequentia, quia Dei non eſt fidere in Deo, quare oportet ut in Chriſto alia quædam ſit natura, ſecundùm quam dicat, *ego ero fidens in eum*; at ea alia non eſt, quàm humana. Naturam igitur humanam Chriſtus aſſumpſit miſeriis & paſſionibus obnoxiam. Quod autem confiſus fuerit in Deo, etiam impii Judæi intellexerunt, ex *Pſal.* 12. ℣. 9. ut narrant Evangeliſtæ. *Et iterùm: Ecce ego & pueri mei* &c. Hoc teſtimonium ex eodem loco deſumptum eſt. *Pueri* apud Hebræos dicuntur qui ætate pueri ſunt, vel filii vel ſervi. Hic & apud prophetam *pueri* intelliguntur nati ſeu filii. Sicut ergò paulò antè colligit Apoſtolus, Chriſtum eſſe nobiſcum ejuſdem naturæ, quia *fratres* nos vocat: ita & hic, quia *filios* non carnales ſed ſpirituales, quaſi ex ſe genitos, *Joan.* 17. ℣. 6. Chriſtus dicens, *ecce ego & pueri mei*, ſe ſimul & pueros ſuos velut conſortes offert Deo ad prædicandum ejus nomen: ergò ſignificat ſe cum filiis ejuſdem eſſe naturæ, ita *Eſtius*.

℣. 14. *Quia ergò pueri communicaverunt carni & ſanguini, & ipſe ſimiliter participavit eiſdem: ut per mortem deſtrueret eum, qui habebat mortis imperium, id eſt, diabolum:*

Explicat probationem; Chriſtus habet filios ſibi datos à Deo; atqui filii ejus participes ſunt

carnis & ſanguinis, id eſt, homines ſunt mortales ac miſeri: igitur *& ipſe carnis & ſanguinis particeps* factus eſt, id eſt, humanam aſſumpſit naturam morti ac miſeriis obnoxiam. Tale quid ſignificari nomine *carnis & ſanguinis* alibi patet, ut 1. *Cor.* 15., *Gal.* 1. & *Eph.* 6. Ut mortem ſubiret, *& per mortem aboleret*, evacuaret, id eſt, poteſtate exueret diabolum, *qui mortis imperium in nos obtinebat* per peccatum, quod primo parenti ſuggeſſit. Non quidem aliquo jure ſuo, ſed Dei permiſſione, cujus juſtitia ſic voluit hominem tranſgreſſorem puniri. Intueris quantum bonum operata ſit mors Chriſti, ait *Chryſ.*

℣. 15. *Et liberaret eos, qui timore mortis per totam vitam obnoxii erant ſervituti.*

Eos qui non habentes ſpem remiſſionis peccatorum, nimiùm horrebant mortem, atque *in eo timore per totam vitam obnoxii erant ſervituti*, id eſt, inſtar ſervorum erant, quibus jugis incumbit timor dominorum: ut ergò nos & ab hac ſervitute & ab hoc timore mortis Chriſtus liberaret, humanitatem noſtram aſſumpſit, in qua per mortem diabolum & ejus imperium enervaret; ita *Gaig.* De electis eſt ſermo qui ſoli Chriſto dati ſunt à Patre. Hos enim omnes imperio mortis ſubtractos in libertatem Chriſtus aſſeruit, non ut eam non patiamur mortem, ſed ut in ea non maneamus, 1. *Joan.* 3. ℣. 14.; & hæc eſt conſolatio fidelium adversùs metum mortis. Vel meliùs & conformiùs *ad ſequentia*, nos liberavit *à timore mortis* quam lex minatur; dum per fidem proponit bona cæleſtia & charitatem quâ pareatur legi ex amore juſtitiæ; ſtemus ergò fratres irridentes mortem, ita *Chryſ.*

℣. 16. *Nuſquam enim Angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahæ apprehendit.*

Probat quòd corpus & animam aſſumpſerit, quia *nuſquam Angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahæ*, id eſt, Abrahæ filios. Quidam interpretantur *apprehendere* pro labantes Angelos reducere; quod non fecit: benè autem periclitantem hominem reduxit & *apprehendit*. Et benè ait *apprehendit*, utpotè reluctantem & fugientem, ùt notat *Gaig.* poſt *Chryſ.* Vel *nuſquam Angelos apprehendit*, id eſt, in nulla Scripturâ legitur de Angelica natura à Chriſto aſſumpta vel aſſumenda: at de humana ſcriptum eſt, *in ſemini tuo benedicentur omnes Gentes*; ita Latini. Vel meliùs oſtendit liberationem à timore mortis ad Angelos non pertinere, quippè qui ſunt immortales, ſed ad ſolos homines, quos *apprehendit*, ex *Chryſ.* Ut ſenſus ſit, Chriſtus enim non Angelos ſed nos homines è poteſtate Diaboli mortis imperium habentis eripiens, velut injectâ manu *apprehendit* ac ſibi vindicat & in libertatem aſſerit; ita *Eſtius*.

℣. 17. *Undè debuit per omnia fratribus ſimilari, ut miſericors fieret, & fidelis pontifex ad Deum, ut repropitiaret delicta populi.*

Concludit ratiocinium hoc modo: Chriſtus apprehendit & in libertatem vindicat ſemen Abrahæ, atque in genere omnes electos; quod quidem facit, eos ſanctificando velut Pontifex. At verò *qui ſanctificat & qui ſanctificantur, ex uno omnes*, id eſt, ejuſdem naturæ ſunt & conditionis: *debuit ergo Chriſtus fratribus ſuis*, id eſt, electis qui cum ipſo futuri ſunt ejuſdem regni cohæredes, ita *per omnia ſimilis reddi*,

ut quemadmodùm illi participaverunt carni & ſanguini, ipſe quoque participaret eiſdem, exceptis tamen peccato, iiſque omnibus quæ ad peccatum inducunt, vel ex eo ſequuntur: unde & c. 4. ℣. 15. in ſimili ferè ſententia removit peccatum, dicendo, *abſque peccato*. *Ut miſericors fieret, & fidelis Pontifex*. Pontificis enim partes ſunt condolere populo, & cauſam ejus fideliter & ex animo apud Deum agere. Non potuit autem condolere niſi naturæ ſimul & conditionis, id eſt, mortalitatis noſtræ particeps eſſet. Nomen Pontificis attributum Chriſto frequens occurrit *in hac Epiſt.*, ubi ſemper græcè eſt ἀρχιερεύς, id eſt, princeps Sacerdotum, ſummus ſacerdos: ex quo conſequens eſt, eſſe & alios Novi Teſtamenti ſacerdotes quorum Chriſtus eſt princeps: quod notari meretur contra hæreticos. Jam quod ait *ad Deum* idem eſt quod *infra* c. 5., *in iis quæ ſunt ad Deum*; quod hic explicatur verbis ſequentibus; *ut repropitiaret*, græcè, *ad expiandum peccata populi*, id eſt, univerſi cœtûs electorum, vel Seminis Abrahæ; ex *S. Thom.* 1. *p. q.* 14. *art.* 4.

℣. 18. *In eo enim, in quo paſſus eſt ipſe & tentatus, potens eſt & eis, qui tentantur, auxiliari.*

In eo, id eſt, per hoc quòd ipſimet contigit tentatum eſſe, *potens* ſeu idoneus eſt ad ſuccurrendum *iis qui tentantur*. Sunt qui *tentatum* interpretantur *ſolicitatum* ad peccandum ſive à diabolo, ſive à Judæis; vel *examinatum* ab iiſdem quis eſſet, quid ſciret, quid ageret, aut quid poſſet. Sed meliùs intelligitur de laborum, dolorum, mortis & ceterorum malorum perpeſſione quibus tentari ſolent homines & per experientiam cognoſci quales ſint. De his tentationibus agitur *Luc.* 22. ℣. 28., *Jac.* 1.

℣. 2., & *in hac Epiſt.* c. 4. ℣. 15. Sed in poſterioribus verbis *iis qui tentantur, auxiliari*, apparet intelligi tentationem peccatorum, ex eo quòd dictum ſit: *ut repropitiaret delicta populi.* Loquitur Apoſtolus de Chriſto ùt homine, qui, cùm quaſi experientiâ didicit quid ſit in tentationes ſeu afflictiones incidere, promptior & propenſior apparet ut aliis qui tentantur ſuccurrat: ſicut homines ſolent propenſiores eſſe ad opitulandum miſeris, ſi & ipſi miſerias fuerint experti.

CAPUT III.

Excellentiam Chriſti præ Moyſe oſtendit.

℣. 1. *Undè fratres ſancti, vocationis cæleſtis participes, conſiderate Apoſtolum, & pontificem confeſſionis noſtræ Jeſum:*

His quæ proximè de Chriſto Pontifice dixit, aptam & brevem ſubjungit exhortationem, quâ fidem Hebræorum in Chriſtum excitet: & ſimul viam paret ad aliam doctrinæ partem; *fratres* vocat carne, ùt *Rom.* 9. ℣. 3.; vel religione; *ſanctos*, quia etſi ſinguli fideles non ſint ſancti, ipſa tamen Eccleſia ſeu fidelium cœtus ſanctus eſt, verâ ſanctitate pollet & juſtitiâ. Dicit *cæleſtis vocationis participes*, quòd ad hæreditatem regni cæleſtis à Deo vocati ſint vocatione efficaci per fidem in Chriſtum. *Conſiderate Apoſtolum*, id eſt, perpendite quis & quantus ſit Chriſtus Jeſus & quod ejus officium; duplicem enim perſonam ſuſtinet *Apoſtoli & pontificis*: Apoſtoli quidem,

id eſt; legati à Patre miſſi ad annuntiandum ſalutem & pacem populo Judaïco, ùt *Mat.* 15. ℣. 24. & *Rom.* 15. ℣. 8. Pontificis autem, quatenùs Deum populo reddit propitium, idque ſacrificio ſui corporis in cruce oblato. At quo ſenſu vocatur *Apoſtolus & Pontifex confeſſionis noſtræ*? ℟. Quidam dicunt: quem nos Apoſtolum & Pontificem confitemur. Alii ſic: *confeſſionis noſtræ*, id eſt, fidei & doctrinæ quam nos profitemur, quæ eſt Græcorum interpretatio, eaque germanior & conformis Apoſtolo, infrà c. 4. ℣. 14. & 10. ℣. 23. 2. *Cor.* 9. ℣. 13. & 1. *Tim.* 6. ℣. 12.

℣. 2. *Qui fidelis eſt ei, qui fecit illum ſicut & Moyſes in omni domo ejus.*

Qui fidelis eſt ei, id eſt, Patri, *qui fecit*; ſeu qui ſecundùm humanitatem creavit *illum*, ita *Anſel.* vel meliùs *fecit*, id eſt, conſtituit Apoſtolum & Pontificem quod antè non erat, ùt c. 1. ℣. 4. *Act.* 2. ℣. 36. & 1. *Reg.* 12. ℣. 6. *Dominus qui fecit Moyſen & Aaron*, hoc eſt conſtituit præfectos populi. *Fidelis eſt ei*, quia quidquid Pater ei injunxit, fideliter adimplevit, *ſicut* fidelis fuerat *Moyſes in omni domo illius*, id eſt, in adminiſtratione populi Iſraëlitici. *Domus* enim in ſimili conſtructione familiam aliquam ſeu populum ſignificat. Confert Apoſt. Chriſtum cum Moyſe, ut doceat quantò Chriſtus qui tamquam filius in domo Dei fuit, Moyſe qui tantùm ùt miniſter inſervivit, major & præſtantior ſit: ex *Chryſ.*

℣. 3. *Amplioris enim gloriæ iſte præ Moyſe dignus eſt habitus, quantò ampliorem honorem habet domûs, qui fabricavit illam.*

Oſtendit excellentiam Chriſti *præ Moyſe* ex

eo

eo quòd Moyſes miniſter tantùm domûs erat; Chriſtus autem Dominus & opifex: tantò ergo, inquit, majore gloriâ *dignus eſt* Chriſtus quàm Moyſes, *quantò* majorem *honorem domûs habet qui illam fabricavit*, quàm qui in ea ſervit: vel majorem honorem habet qui domum ædificavit, quàm ipſa domus habet, ex *Theop.*

℣. 4. *Omnis namque domus fabricatur ab aliquo: qui autem omnia creavit, Deus eſt.*

q. d. Nulla domus fabricat ſe ipſam, ſed ab alio *fabricatur. Qui autem omnia fabricavit*, ſeu conſtruxit, *Deus eſt*, qui & rerum omnium author eſt & Moyſen fecit; igitur eo major eſt, ex *Chryſ. & Theod.* Nullam quidem hìc Scripturam profert Apoſt., quâ probet Chriſtum fuiſſe hujus domûs opificem in qua Moyſes verſabatur; ſed ex iis, quæ *in cap.* 1. ℣. 2., 3. & 10. dixit, intelligendum relinquit, Chriſtum verum omnium authorem eſſe: ita *Eſtius*.

℣. 5. *Et Moyſes quidem fidelis erat in tota domo ejus tamquam famulus, in teſtimonium eorum, quæ dicenda erant:*

Oſtendit ex hoc Chriſtum Moyſe majorem eſſe, quòd hic *tanquam ſervus fidelis erat*; ille verò tanquam filius naturalis & ejuſdem ſubſtantiæ. *In teſtimonium eorum quæ dicenda erant*, ſcilicet per ipſum Moyſen ad populum. Aptiùs hæc verba conjungi videntur cum his, *fidelis erat:* ut ſenſus ſit, *Moyſen ùt famulum in tota domo* Iſraëlitica fideliter verſatum fuiſſe, etiam in referendo quæcumque à Deo jubebatur illi annuntiare. Nam quòd ait, *in teſtimonium*, idem eſt, quod *ad exponendum* ſeu *annuntiandum*; ut ſubaudiatur *conſtitutus*, aut ſimile quid. *Teſtimonium* enim in S. litteris

ſæp : ſumitur pro nuda cujuſpiam affirmatione, ùt *Joan.* c. 1. ℣. 7. & c. 18. ℣. 37.; ex *Theoph.* Aliqui tamen hìc *teſtimonium* intelligunt pro eo quo aliquid probatur; hoc ſenſu : ut Moyſes *teſtis* eſſet eorum quæ Judæis dicerentur à Deo, ne judicii tempore id factum eſſe negarent : ùt Moyſes inſinuare videtur *Deut.* 32. præcipuè ℣. 46. Sed hæc expoſitio minùs congrua apparet.

℣. 6. *Chriſtus verò tamquam Filius in domo ſua : quæ domus ſumus nos, ſi fiduciam, & gloriam ſpei uſque ad finem, firmam retineamus.*

Chriſtus verò non ſicut famulus, ſed ſicut *filius*, qui jure eſt hæres & tanquam Dominus *in domo*, non aliena, ſed *ſua*, quia propria erat ejus, ſicut & Patris. q. d. Etſi uterque prælatus ſit domui Dei, & in ſua locutione *fidelis* extitit : magna tamen differentia eſt, quia Moyſes erat, ùt famulus, *Chriſtus verò*, *ùt filius in domo* Patris & hæres & Dominus. *Quæ domus ſumus nos*, quibus verbis ſignificat fideles eſſe domum Chriſti, quòd eam regat, & in ea per fidem habitet; ùt dicitur *Epheſ.* 3. ℣. 17. Hæc Chriſti Eccleſia eſt, quæ alibi Domus Patris, alibi domus Dei vocatur, ùt *Joan.* 2. ℣. 16. & 1. *Tim.* 3. ℣. 15. *Si*, inquit, *uſque ad finem firmam retineamus fiduciam*, id eſt, liberam loquendi confidentiam, *& ſpei gloriam*, ſive *gloriationem*, hoc eſt, ſi nihil trepidantes non modò conſtanter ac liberè Chriſtum prædicamus, ſed noſtram in illum confidentiam ac ſpem palam jactemus, & de ea uſque in finem gloriemur, nihil crucis hoſtes veriti, ùt *Rom.* 5. ℣. 2.; ex *Chryſ.*

℣. 7. *Quapropter ſicut dicit Spiritus ſanctus : ....*

Denuntiat eis interitum & excluſionem à requie promiſſa, ſi non in fide & obedientia Chriſti permaneant, ex *Pſal.* 94. Et hoc ita moneo, inquit, *ſicut dicit Spiritus ſanctus*, id eſt, eandem nunc habeo intentionem in veſtra correctione quam habuit *Spiritus ſanctus*, quando Pſalmum illum dixit ore Davidico. Citat autem Apoſt. ipſum Spiritum S., non Davidem, ut majori cum reverentia teſtimonium illud ſuſcipiatur, magiſque moveat : ſic Chriſtus dicit *Matth.* 22. ℣. 43. *Quomodo David in ſpiritu vocat eum Dominum?* Et meritò Spiritui S. hoc attribuitur, quia teſte *B. Petro* 2. *Epiſt.* c. 1. ℣. 21. *Spiritu S. inſpirati locuti ſunt ſancti Dei homines*; ex *Theod.*

.... *Hodiè ſi vocem ejus audieritis,*

℣. 8. *Nolite obdurare corda veſtra, ſicut in exacerbatione ſecundùm diem tentationis in deſerto,*

Pſalmus 94. refertur ad Iſraëlitas, qui erant tempore Davidis ; & eodem ſenſu ùt ſuprà dictum eſt, hìc ab Apoſt. allegatur. q. d. Sicut his verbis olim Spiritus S. per Davidem admonuit Populum Iſraëliticum, ne per infidelitatem recederet à Deo ; ſic & ego vos moneo per eadem verba, ne obduretis corda veſtra. Itaque adverbium *Hodiè* de eodem tempore Davidis exponendum eſt ; ac fortaſſe ſpectat ad certum quemdam diem. q. d. *Hodiè*, hoc die feſto. *Oecum.* intelligit, ſed minùs ſecundùm litteram, *Hodiè* pro, *ſemper* vel *quandocumque* & quamdiu appellatur *dies hodiernus*. *Si audieritis*, id eſt, auditu perceperitis *vocem* Domini ſonantem in auribus veſtris per ora Prophetarum ac Miniſtrorum ejus : *Nolite* ad-

verſùs eam *obdurare corda veſtra* reſiſtendo verbis Domini loquentis. Aliqui explicant *ſi vocem* Chriſti *audieritis*, qui ſenſus licèt pius & appoſitus, tamen non videtur litteralis in *Pſalmo. Sicut in exacerbatione*, id eſt, quando exacerbaverunt & irritaverunt Deum patres veſtri *ſecundùm* ſeu *in die tentationis*, id eſt, quo de divina potentia diffiſi tentaverunt Deum. Quæſtio eſt de qua tentatione agatur. Aliqui referunt ad eam quæ eſt *Num.* 13. & 14., quando populus voluit lapidare Joſue & Caleb. Alii, ùt *Eſtius*, ad eam quæ eſt *Exod.* 17., cui meliùs convenire videtur quòd locus in quo contigit, vocatus ſit (ùt in hebræo habetur) duplici nomine *Tentatio & Contradictio*. Tametſi ſub una tentatione ſuis nominibus expreſſa, ceteras etiam Pſalmiſtam intelligere voluiſſe, nihil prohibet, imò valdè probabile eſt : ait *Eſtius*.

℣. 9. *Ubi tentaverunt me patres veſtri: probaverunt, & viderunt opera mea*

Deum ex abrupto loquentem David inducit, quò ſermo ſit vehementior. Supplendum igitur eſt, *Ubi, inquit Dominus, tentaverunt me* &c. *Ubi* nempè in deſerto, in loco jam nominato, & aliis pluribus *tentaverunt me patres veſtri*, dicentes *Exod.* 17., *Eſtne Dominus in nobis vel non*? deindè *alibi* panem ex diffidentia petierunt, & cum hæſitatione dixerunt, *Nunquid poterit Deus parare menſam in deſerto*, & alia hujuſmodi quæ enarrantur *Pſalm.* 77. Tentare Deum eſt dicto, factove explorare ejus potentiam, ſcientiam, veritatem, providentiam, vel aliud quippiam, de quo fas non ſit dubitare. *Tentaverunt me*, inquit, quamvis *probaſſent*, id eſt, experti me fuiſſent atque *vidiſſent opera mea* admiranda, ex quibus me-

ritò debebant intelligere, me omnia poſſe & in promiſſis eſſe veracem: vel non modò *t n-taverunt*, ſed modis omnibus *probarunt* & explorarunt dicentes: *Eſtne Deus in nobis? Quis dabit nobis aquas? Nunquid & panem poterit dare?* Et tamen *viderunt opera mea* magna & mirabilia, ut poſt omnem probationem nihil haberent cauſæ, cur de meis promiſſis dubitarent, ex *Eſtio*. Adeò frequentes fuerunt hæ tentationes, ut dicat Dominus *Num*. 14. *Tentaverunt me jam per decem vices; nec obedierunt voci meæ:* quam tamen Domini querelam adhuc aliæ tentationes ſubſecutæ ſunt, ùt quæ referuntur *Num*. 17. & 20.

℣. 10. *Quadraginta annis: Propter quod infenſus fui generationi huic, & dixi: ſemper errant corde. Ipſi autem non cognoverunt vias meas,*

Propter quod quadraginta annis infenſus fui illis, quia cùm interim tot opera & miracula viderent, non credebant, ſed murmurabant; ideò offenſus ſum illis, *& dixi ſemper hi errant corde*, id eſt, propriâ deliberatione, quâ feriò peccant, nec noſſe *vias meas* volunt, quibus incedebam, de quibus *Pſal*. 24. dicitur: *Univerſæ viæ Domini miſericordia & veritas*. Miſericordia quidem quâ homines corrigere ſtudet, & veritas quâ eos, ſi in malo perſeverent, damnare diſponit: vel *vias meas*, id eſt, præcepta mea non intellexerunt per quæ venitur ad me, ita *Anſel*. ùt *Pſal*. 17. ℣. 22. & *Pſal*. 24. ℣. 4. & *Pſal*. 118. ℣. 32.

℣. 11. *Sicut juravi in ira mea: ſi introïbunt in requiem meam.*

Quibus proindè iratus *juravi*. Deus dicitur iraſci quando ea facit quæ ſolent homines ira-

ti; ùt quando minatur aut percutit. Hoc autem loco ſola adhuc erat comminatio ſeu denuntiatio pœnæ cum juramento. *Si introibunt*, id eſt, *quòd non introibunt in requiem meam*, ſcilicet in terram promiſſionis; ubi requieturi erant à continuis bellis. Vel eſt juramentum execratorium ad hunc modum ſupplendum, ex *S.Thom.* & *Eſtio.* Ne ſim Deus, aut habear mendax, ſi introibunt in requiem meam: ut *Pſal.* 88. ℣. 36. & *Pſal.* 131. ℣. 2. & *ſq.* Hoc autem juramentum à Domino ſemel & iterùm factum legitur *Num.* 14.; & impletum eſt in omnibus qui *Num.* 1. recenſentur, exceptis ſolis Joſue & Caleb: ex *Chryſ.*, *Genebrardo* & *Eſtio.*

℣. 12. *Videte fratres, ne fortè ſit in aliquo veſtrûm cor malum incredulitatis, diſcedendi à Deo vivo:*

Propoſito exemplo patrum incredulorum hortatur ne ſimiles illorum ſint, dicens, *videte ne in aliquo ſit cor malum*, id eſt, perverſa voluntas *diſcedendi* per deſperationem & infidelitatem *à Deo vivo:* ita *Gaig.*

℣. 13. *Sed adhortamini voſmetipſos per ſingulos dies, donec Hodiè cognominatur, ut non obduretur quis ex vobis fallaciâ peccati.*

Sed *adhortamini*, ſive cohortamini; vel conſolamini & ædificate vos invicem, quamdiu *hodiè cognominatur*, hoc eſt, præſens tempus & vita ſuppetit vobis, & tempus pœnitendi ſupereſt, *ut* ne quis veſtrûm à peccato ſeductus *obduret* cor ſuum adversùs Dei verbum. Hoc autem contingit, dum cor emollitur *fallaciâ* ſeu delectatione *peccati*, quod per quandam ſuavitatem illiciens & blandiens obdureſcit cor hominis adversùs præcepta Dei: ita *Gaig.* & *Chryſ.*

℣. 14. *Participes enim Chriſti effecti ſumus : ſi tamen initium ſubſtantiæ ejus uſque ad finem firmum retineamus.*

Hortatur ad perſeverantiam ; jam enim, inquit, per fidem illi conjuncti & inſiti ſumus, jam unum corpus in eo effecti ſumus, ipſe caput noſtrum ; quapropter non eſt ab eo diſcedendum : alioqui moriendum nobis erit ; cùm jam influere in membra à capite divulſa ſpiritus, qui à capite manat, non poterit. *Participes* autem ejus ſumus ſi in ipſum credere & ſperare perſeveramus, nam fides *initium eſt ſubſtantiæ* ſpiritualis, per quam ſpiritualiter ſubſiſtimus & vivimus, ſicut *Heb.* 11. Et benè *initium ſubſtantiæ* eſt, quia ſicut per animæ infuſionem primùm corporaliter & in eſſe naturæ ſubſiſtere incipimus, ita per fidei infuſionem ſubſiſtere ſpiritualiter & in eſſe gratiæ incipimus. Ita *Gaig.*, *Chryſ.* & *Theoph.*

℣. 15. *Dum dicitur : Hodiè ſi vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda veſtra, quemadmodùm in illa exacerbatione.*

Græci cum *Chryſ.* longo hyperbato hæc verba, *Dum dicitur*, ſuſpendunt uſque ad initium *cap. ſeq. Timeamus ergo :* ut ſit ſenſus, dum intelligimus dictum nobis, *hodiè ſi vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda veſtra, timeamus* ne illi præcepto contraveniamus, ne ſimiliter pereamus cum illis qui Deum irritaverunt : ex *Gaig.* Latini tamen conformiùs ad contextum hunc verſum connectunt cum verſu præcedenti, ut verba, *dum dicitur*, ſint explicatio ejus quod dictum fuit *uſque in finem :* quaſi diceret Apoſt. Hortor vos ut fidem conſtanter retineatis uſque ad finem, hoc eſt, *dum dicitur*

ſeu quamdiu dicitur nobis voce prophetica, *Hodiè ſi vocem ejus audieritis* &c. Id enim eſt, quod ſuprà dixit, *Donec hodiè cognominatur.*

℣. 16. *Quidam enim audientes exacerbaverunt : ſed non univerſi qui profecti ſunt ex Ægypto per Moyſen.*

Nam *quidam*, cùm tunc etiam audiſſent Dei promiſſiones, quemadmodùm & nos nunc audivimus, incredulitate irritaverunt ſive *exacerbaverunt* Deum : ita ut ſolum hoc, quòd audierint, nihil iis profecerit : ex quo relinquit inferendum, etiam Hebræis ad quos ſcribit, nihil profuturum, quòd audierunt prædicationem Evangelii niſi etiam credunt. *Sed non univerſi, qui profecti ſunt ex Ægypto per Moyſen*, exacerbaverunt Deum : *Joſüe* enim *& Caleb* ſemper, & præcipuè in exploranda terra promiſſa *Exod.* 17., Deo fideles extiterunt, & ideò terram illam ingredi meruerunt : etiam plures ex Levitis qui cum Moyſe egreſſi ſunt ex Ægypto, & multitudo eorum qui biennio à tempore egreſſionis annum ætatis vigeſimum nondùm expleverant, intraverunt in requiem terræ promiſſæ ; juramentum enim Domini, de quo ℣. 11. & *Num.* 14., reſpiciebat tantùm illos qui ſecundo anno egreſſionis ex Ægypto recenſiti fuerunt à viginti annis & ſuprà, in qua recenſione Levitæ non fuerunt comprehenſi. Ratio autem, quare Apoſt. mentionem faciat eorum qui terram promiſſam intrarunt, eſt, ut Hebræos animet ad permanendum in fide, non tantùm propoſitâ punitione eorum qui Deum exacerbaverunt, ùt fecit in præcedentibus ; ſed & exemplo eorum qui merito fidei & obedientiæ requiem optatam adepti ſunt : ita *Eſtius.*

℣. 17. *Quibus autem infenſus eſt quadraginta annis? Nonne illis, qui peccaverunt, quorum cadavera proſtrata ſunt in deſerto?*

Oſtendit Deum infenſum fuiſſe illis ſolis *qui peccav runt* deſperationis & murmurationis peccato, atque ob id terram promiſſionis non viderunt morientes in ſolitudine. *Peccaverunt* autem omni ferè peccatorum genere: ſed horum omnium caput & cauſa fuit infidelitas, quam ideò ſolam in ſequentibus Apoſt. nominat.

℣. 18. *Quibus autem juravit non introïre in requiem ipſius, niſi illis, qui increduli fuerunt?*

De hoc juramento ſuprà diximus; ſenſus eſt, *niſi illis ſolis* qui poſt tot & tanta divinæ potentiæ ſigna noluerunt acquieſcere, ut promiſſis Dei crederent.

℣. 19. *Et videmus, quia non potuerunt introïre propter incredulitatem.*

Complevit enim Deus comminationem juramenti ſui quâ dixit incredulos in requiem ſuam non intraturos: ſimiliter faciet omnibus incredulis, ait *Anſ l.*

CAPUT IV.

Monet ne Judæorum exemplo diffidentes excludamur à vera requie.

℣. 1. *Timeamus ergò ne fortè relictâ pollicitatione introeundi in requiem ejus, exiſtimetur aliquis ex vobis deeſſe.*

CUm, inquit, videamus ex veteri populo tam multos à requie promiſſa, ſcilicet à terra promiſſionis, fuiſſe repulſos propter incredulitatem: nobis quoque metuendum eſt atque cavendum, ne quando *derelictâ* ſeu neglectâ per infidelitatem ac diffidentiam *pollicitatione divinâ*, quâ promiſit nobis ingreſſum in requiem ſuam, aliquis noſtrûm ab ea requie, *exiſtimetur*, id eſt, inveniatur aut ſit excluſus: ex *Theoph.* Hìc per requeim non intelligitur Terra Chanaan, de qua ſecundùm litteram *Pſal.* 94. loquitur; ſed Patria cæleſtis quam terra illa myſticè ſignificavit. Hanc Deus nobis promiſit in Chriſtum verè credentibus & in ea fide perſeverantibus. De hac promiſſione ſequitur.

℣. 2. *Etenim & nobis nuntiatum eſt, quemadmodùm & illis. Sed non profuit illis ſermo auditûs, non admiſtus fidei ex iis, quæ audierunt.*

Etenim & nobis facta & annuntiata eſt bona & læta promiſſio ingrediendi in requiem

æternam, ſicut & illis in terram promiſſionis: *Sed illis non profuit ſermo auditûs* ſive auditionis, quem videlicet audierant, Deo per Moyſen promittente ſe introducturum eos in terram Chanaan. *Non admiſtus fidei ex iis quæ audierunt*: græcè & ſyriacè; *Non commixtus fidei iis qui audierunt*; nec ullo modo græca verti poſſunt *ex iis quæ audierunt*. Horum verborum varia eſt expoſitio: vel, ſed nihil eos adjuvit auditæ promiſſionis ſermo, quandoquidem admixti non eſſent, neque conſenſiſſent *his qui* per fidem audierant, ſcilicet Joſuë & Caleb qui audierant & crediderant, ex *Aug. in Pſ.* 77.; vel eo quòd non eſſent admixti & uniti per fidem his qui audierant, id eſt, crediderant videlicet Joſuë & Caleb. Sed his interpretationibus obſtat, quòd verbum *audierunt* accipiatur pro *crediderunt*; ubi in eadem ſententia vox *auditus* propriè ſumitur; & *in fine cap.* 3. *audire* etiam tribuatur *incredulis*. Quare *Eſtius* hunc ſenſum ſuggerit: ſed promiſſionis ſermo, quem audierant, nihil profuit, imò magìs obfuit, propterea quòd ipſis qui audierant, non eſſet fide admiſtus ſeu contemperatus: contemperatur autem fide, quando, qui audit, fide recipit. Si quis tamen juxta lectionem vulgatæ legere vellit, *quæ audierunt*, explicare poſſet; propterea quòd non eſſet contemperatus fidei ex iis quæ audierant: vel ex eo quòd non eſſet hujuſmodi ſermo fide ac per fidem admixtus & conjunctus iis (id eſt in iis) quæ crediderant Joſuë & Caleb; ſeu eo quòd non perindè crediderunt, ut Joſuë & Caleb; *Gaig*. Sed in hac ultima explicatione iterùm verbum *audierunt* ſumitur pro crediderunt.

℣. 3. *Ingrediemur enim in requiem, qui credidimus : quemadmodùm dixit : Sicut juravi in ira mea : ſi introïbunt in requiem meam : & quidem operibus ab inſtitutione mundi perfectis.*

Explicat Apoſtolus id quod dixerat : *Etenim & nobis nuntiatum eſt*. Hoc eſt enim Evangelium, quod nuntiatum eſt nobis, introïturos nos in requiem quotquot crediderimus divinæ promiſſioni factæ nobis in Chriſto : ſed fidem intellige, quam Scriptura prædicat, eam ſcilicet quæ conjunctam habet obedientiam ad præſtandum omnia quæ fides ipſa monſtrat agenda. Quam quicumque tenuerit uſque in finem, is proculdubio promiſſam requiem apprehendet, hoc eſt, vitam æternam. *Quemadmodum dixit* ; *Sicut juravi* &c. quibus verbis ex Pſalmo à contrariis docet ingreſſuros in requiem eos qui crediderunt : q. d. Si illi, quia diffidentes & increduli fuerunt, non ingreſſi ſunt in requiem promiſſam, ſupereſt ut nos, *qui credidimus*, *ingrediamur*, nam ſi infidelitas excluſit ; ergo fides introducit. *Et id quidem* dixit *operibus ab inſtitutione mundi perfectis*, id eſt, Deus hoc dixit *in Pſalm.* 94. etiam poſt illam requiem, quâ ipſe requievit ab opere creationis mundi ſex diebus abſoluto. Ex quo intelligendum relinquit Apoſt., de alia *in Pſal. citato* requie agi. Videtur enim Apoſt. hic velle oſtendere, quòd nobis adhuc reſtet quædam requies à Deo promiſſa & per fidem exſpectanda. Quod ut doceat, duas aut tres alias myſticas quietes adfert, quarum in Scriptura fit mentio. *Prima* eſt, quâ Deus ab opere creationis mundi requievit die ſeptimo. *Secunda* requies ſabbati inſtituta ad recolendam primam illam quietem. *Tertia* quieta poſſeſſio

terræ promiſſæ. Docet itaque *Paulus*, Deum per Davidem nobis inſinuare requiem quamdam ab illis tribus diverſam : non enim de prima intelligi poteſt David, non ſolùm quia ea eſt requies Dei, non noſtra, ſed quia jam olim initio creationis mundi præceſſit : nec de ſecunda, quia & hæc jam antiqua erat in illo populo. De tertia verò quidem eatenùs loquitur, quòd ad litteram de illa accipiendum ſit illud, *ſi introibunt in requiem meam :* ſed ita tamen ut ſubintelligatur adhuc alia requies exſpectanda per illam præfigurata. Hortatur enim Pſalmiſta ſuos contemporaneos ad obediendum voci Dei, ne excidant à requie ipſis promiſſa, ſicut patres eorum Deum exacerbantes exciderunt à requie Terræ Chanaan. Quæ requies adhuc exſpectanda alia eſſe non poteſt quàm patria cæleſtis : ſic *Eſtius*, poſt *Chryſ.* & *Oecum.*

℣. 4. *Dixit enim in quodam loco de die ſeptima ſic : & requievit Deus die ſeptimâ ab omnibus operibus ſuis.*

Dixit ſubintellige Scriptura *Gen.* 2., ubi mentio fit primæ quietis, quâ Deus ipſe requieviſſe dicitur & adhuc requieſcit : quæ quidem non eſt typus noſtræ alicujus quietis, ſed magis exemplum : myſtica tamen eſt, utpotè ſignificans illam Dei requiem, quâ requieſcet & in æternum requieſcet ac delectabitur in beatis tamquam in opere ſuo perfectiſſimo. *Requievit* & ab opere ceſſavit innuens ſe hominem, poſt cujus creationem requievit, ad requiem & beatitudinem feciſſe : ita *Anſel.*

℣. 5. *Et in iſto rursùm : Si introïbunt in requiem meam.*

Et in illo Pſalmi loco *rurſum* dicit Scriptu-

ra ex Dei perſona, *ſi introïbunt in requiem meam*; videlicet eâ comminatione ſignificans quandam adhuc quietem reſtare ſperandam iis, in quos comminatio non cadit.

℣. 6. *Quoniam ergò ſupereſt introïre quoſdam in illam, & ii, quibus prioribus annuntiatum eſt, non introïerunt propter incredulitatem:*

Supereſt, græcè, *reliquum eſt* poſt promiſſionem *quoſdam*, id eſt, egregios & electos *introïre in illam* perennem promiſſionem; *& ii, quibus prioribus annuntiatum eſt*, ut intrarent, *non introïerunt propter incredulitatem* in veram requiem, quam terra promiſſionis figurabat, ad quam non pervenerunt. Reſtat ergò, quoſdam intrare, quibus promiſſio facta eſt, quia Judæi, quibus priùs nuntiatum eſt, non introïerunt; ait *Thom.*

℣. 7. *Iterùm terminat diem quemdam, Hodiè, in David dicendo, poſt tantum temporis, ſicut ſuprà dictum eſt: Hodiè ſi vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda veſtra.*

Iterùm terminat, græcè, *definit*; & ſenſus eſt: Deus aut Scriptura ſancta *poſt tantum temporis*, quantùm fluxit à Moyſe uſque ad Davidem, hoc eſt, poſt annos ampliùs quadringentos, *iterùm ſtatuit* ac deſignat *diem quemdam* promerendæ requiëi, cùm *in Davide*, id eſt, per Davidem, aut in Pſalmo Davidis *dicit*, *Hodiè*. *Sicut ſuprà dictum eſt*: *Hodiè ſi vocem* &c. per *hodiè* ùt c. 3. ℣. 8. diximus, ſecùndùm litteram intelligitur tempus illud quo *David* hunc Pſalmum à ſe compoſitum in cœtu publico ad exhortationem Iſraëlitici

populi decantari voluit. Ceterùm à Spiritu ſancto verba pſalmi ſic temperata eſſe ut, ſive per allegoriam ſive per extenſionem, ad omnes fideles & ad omne tempus hujus vitæ poſſit adaptari: maximè, quia in iis tacitè continetur promiſſio cujuſdam requiëi ab iis exſpectandæ, qui auditâ voce Domini corda ſua non obduraverunt. Nec iſta promiſſio fruſtrà eſt; nam etſi unus non intrabit, alius intrabit, ut *Matt.* 21. *Apoc.* 3. ex *Thom.*

℣. 8. Nam ſi eis Jeſus requiem præſtitiſſet, numquam de alia loqueretur, poſthac, die.

Nam ſi ſola illa eſſet requies, nempè promiſſa terra, in quam duc̄tore Jeſu ingreſſi ſunt, nequaquam de alio per David loqueretur requietionis die; ſed propterea, inquit alterius diei meminit, dicens *hodiè*; & præceptum dedit dicens, *ne obduretis*: tanquam exiſtente tertiâ requie, in quam oporteat eos, qui obedientes ſunt, ingredi, ita *Oecum.*

℣. 9. Itaque relinquitur ſabbatiſmus populo Dei.

Relinquitur ergo populo Dei, ſeu electis tertia quædam requies quæ eſt regni cælorum; ipſam autem vocavit *ſabbatiſmum*, id eſt, feriationem & jucunditatem ſabbati: *ſabbatiſmus* quippè vocabatur apparatus & gaudium atque feſtivitas ſabbati, & ſabbatum requies interpretatur. *Sabbatiſmus* ergò non ſolùm veram & omnimodam requiem deſignat, ſed inenarrabile gaudium atque ſpiritualem divitiarum affluentiam. Qui *ſabbatiſmus* non paucis reſervatur, ſed *populo*, id eſt, magnæ multitudini, nec tamen cuilibet populo, ſed tantùm *populo Dei*, & ſi quis vult ſabbatizare, ſit de populo Dei: ita *Anſelm.*

℣. 10. *Qui enim ingreſſus eſt in requiem ejus: etiam ipſe requievit ab operibus ſuis, ſicut à ſuis Deus.*

Expoſitio eſt ſabbatiſmi, quem dixit reliquum eſſe populo Dei; ſabbatum enim inſtitutum fuit in memoriam quietis, quâ Deus requievit die ſeptimo ab omni opere quod fecerat: ad eundem modum, inquit, quiſquis *ingreſſus fuerit in requiem Dei*, id eſt, à Deo paratam populo ſuo; *etiam ipſe requieſcet à ſuis operibus*, id eſt, laborioſis actionibus hujus vitæ, ut *Apoc.* 14. ℣. 13. Sunt qui hunc locum interpretentur de Chriſto capite noſtro, quem dicunt ingreſſum in requiem Dei, id eſt, in ſinum Patris per Reſurrectionem & Aſcenſionem in cælum, atque ejus exemplo nos etiam ingreſſuros, ex *Eſtio.*

℣. 11. *Feſtinemus ergò ingredi in illam requiem: ut ne in idipſum quis incidat incredulitatis exemplum.*

Et quandoquidem tanta eſt illa requies quæ nobis promiſſa eſt; *feſtinemus*, græcè, *ſtudeamus*. Neque enim ſola ſufficit fides ad ingrediendum in ipſam, niſi etiam adſit ſtudioſa converſatio, ex *Oecum.* Ne quis noſtrûm abjectâ fiduciâ cadat & pereat, exemplo punitæ incredulitatis ſimili cum Iſraëlitis, quorum corpora proſtrata jacuerunt in deſerto. Nec ſolam dicit infidelitatem, ſed etiam murmurationes, ex *Chryſ.*

℣. 12. *Vivus eſt enim ſermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti: & pertingens uſque ad diviſionem animæ ac ſpiritûs, compagum quoque ac medullarum, & diſcretor cogitationum & intentionum cordis.*

In hujus loci expoſitione variant interpretes.

Quidam enim per *Sermonem Dei* intelligunt doctrinam evangelicam: qui intellectus Calvino placuit, qui plura ei adjunxit Scripturæ S. contraria. Difficile etiam eſt verbo prædicationis omnia accommodare quæ hìc ab Apoſt. ſermoni Dei tribuuntur, maximè ℣. 13. Alii exponunt de Filio Dei qui eſt verbum Patris, de quo *Joan.* 1. ℣. 1. & 1. *Epiſt.* c. 5. ℣. 7. & *Apoc.* 19. ℣. 13. Hunc ſenſum adſtruit, quod ℣. 13. dicitur: *ad quem nobis ſermo:* ſic *Oecum.*, *Thom.*, *Liran. Cajet.* poſt *Ambroſ. lib.* 4. *de fide* c. 3. & *lib.* 2. *in Luc.*, *Cyril. l.* 2. *in Joan.* c. 37. Huic tamen interpretationi obſtat, ait *Eſtius*, quòd ex abrupto poſt ſuperiora mentio videatur ingeri de Filio Dei, præſertim ſub nomine *Verbi* de quo nihil præceſſit. Nobis certè magis probatur, inquit idem Author, ſententia eorum, qui ſermonem Dei interpretantur, quem Deus ad homines loquitur, ſive promittendo, ſive exhortando, ſive comminando. Agit enim Apoſtolus de fide habenda verbo promiſſionis & comminationis divinæ; docetque, nos ſi Dei promiſſiones fide amplectamur, in requiem ejus ingreſſuros; ſin minùs, malè perituros: idque eorum exemplo ad quos ſermo Dei factus eſt. Confirmatur hic ſenſus ex *hoc cap.* ℣. 2., ex c. 2. ℣. 2., & ex c. 1. ℣. 1. & 2. Cùm enim ſermo Dei ſit ipſe Deus loquens, promittens, minas intentans, non mirum ſi Apoſtolus ea omnia quæ hìc dicuntur, & Deo propria videntur, adſcribat ſermoni Dei. Tale igitur eſt quod dicit Apoſt. Studeamus ingredi in illam requiem, credamus verbo Dei nobis annuntiato, ne pereamus cum incredulis. Non enim verbum Dei nunc minoris eſt virtutis, quàm olim fuit; ſed eſt *efficax*, &c. Ita *Chryſ.*, *Theod.* & *Theop.* ut *Iſaiæ* 55. ℣. 11., *Eccl.* 8. ℣. 4., *Sap.* 18. ℣. 15. & *Pſal.* 32. ℣. 6. Hic ergò *ſermo vivus eſt*

& efficax, id eſt, non eſt otioſus aut actionis expers, ùt ea quæ mortua ſunt; eſt enim quovis ancipiti gladio *penetrabilior*: primùm, quia Deus qui nobis loquitur, oculis ſuæ cognitionis omnia penetrat & ad intima quæque pervadit, multò magìs quàm gladius anceps penetrare queat, uſque ad abſcondita viſcera; tum verò, etiam ob id, quia tranſgreſſiones quantumvis occultas acerrimè puniet: uſque ad intima hominis *pertingendo*, ſeu penetrando etiam animam, etiam ſpiritum quæ ſunt partes hominis abditiſſimæ. Pertingit autem ad ea & penetrat, perfectâ cognitione, quâ novit quidquid affectionis & cognitionis in eis latet; graviter etiam ulturus, ſi quam illic hypocriſim, ſi quam radicem amaritudinis, aut infidelitatis germinantem invenerit, ùt *infrà cap.* 12. Nominat ea, quæ in noſtris corporibus intima ſunt, *compages & medullas*, ut hâc velut metaphorâ doceat nihil eſſe tam in animis noſtris occultum & abditum, quod non ſcrutetur ac penetret, non ſolùm quid quiſque *cogitet in corde ſuo*, verùm etiam, quâ *intentione* cogitet ac velit, exactiſſimè novit, diſcernit, ac judicat ſermo divinus, ex *Thom.* Per *animam* autem & *Spiritum* hìc utì & 1. *ad Theſſ.* 5. ℣. 23., intelligitur, per *animam* quidem pars animæ ſenſitiva quam cum beſtiis communem habemus; per *ſpiritum* verò pars intellectualis quâ communicamus cum ſubſtantiis ſpiritualibus.

℣. 13. *Et non eſt ulla creatura inviſibilis in conſpectu ejus: omnia autem nuda & aperta ſunt oculis ejus, ad quem nobis ſermo.*

Quid autem dico homines, inquit, nec quidem *ulla creatura* latere aut occultari

poteſt illi pervigili oculo, ſive Angelos dicas, ſive Cherubim, ſive Seraphim: vel hinc intelligi vult, hypocriſim & infidelitatem etiam in animo latentem à Deo ignorari non poſſe, non quòd hæ ſint creaturæ; ſed quia, qui creaturam omnem perfectè novit, etiam defectus ejus & vitia novit; ita *Eſtius*. *Omnia autem nuda & aperta ſunt oculis ejus*. Varia eſt explicatio vocis *aperta* ob vocem græcam: ſed omnis in eo convenit, quòd hæc verba ſignificent, omnia etiam interiora eſſe nuda & conſpicua Deo. *Ad quem nobis eſt ſermo*. Hoc græci exponunt de filio Dei *apud quem* reddituri ſumus rationem omnium actionum & cogitationum noſtrarum: ùt *Rom.* 14. ℣. 12. Alii verò (quod nobis præplacet) ex aliorum locorum collatione docent, *ad* pro *de* poſitum; ut ſenſus ſit: *De quo* Dei ſermone ſcilicet vivo & efficaci *Sermo nobis* inſtitutus eſt. Exempla autem, ubi *ad* pro *de* ponitur, citata vide *in hac Epiſt.* c. 1. ℣. 7.; ex *Eſtio*.

℣. 14. *Habentes ergò Pontificem magnum, qui penetravit cælos Jeſum Filium Dei: teneamus confeſſionem.*

Tranſit Apoſt., ſpecie adhortationis, ad differendum de Sacerdotio Chriſti; ut meritò ab his verbis ſumi poſſit novi capitis initium. Obſervandum autem quòd quemadmodùm Chriſtum ùt Apoſtolum cum Moyſe conferens, longè eo majorem jam monſtravit: ita nunc eum ùt *Pontificem* tacitè cum Aarone confert & huic multùm præfert. Dicens ergo *Pontificem magnum* innuit Aaronem talem non eſſe ſi cum Chriſto conferatur; idque probat ſequentibus. *Qui penetravit* non in Sancta Sanctorum ùt Aaron & ejus ſucceſſores, ſed in *cælos*, qui per illa Sancta Sanctorum ſignifi-

cabantur. *Jeſum Filium Dei*, quod addit, ut excellentiam ejus commendet, ſimul & fiduciam in Hebræis excitet. Quid enim Filio Dei majus? Et quid non impetret apud Deum Pontifex qui idem ſit filius Dei? *Teneamus confeſſionem* fidei ſcilicet, quam profeſſi ſumus in Baptiſmo, atque in ea firmiter perſeveremus. *Confeſſio* enim metonymicè capitur pro fide confeſſa; ùt c. 3. ℣. 1. notavimus.

℣. 15. *Non enim habemus Pontificem, qui non poſſit compati infirmitatibus noſtris: tentatum autem per omnia pro ſimilitudine abſque peccato.*

Ne tanti Pontificis majeſtas deterreat, oſtendit quàm erga nos propenſus & promptus ſit ad miſerendum: utpotè malorum expertus, ùt c.2.℣.18.; ubi probavimus, tentari hìc non eſſe ſollicitari ad peccatum, ſed affli&#x1d;ari rebus adverſis. Per *infirmitates noſtras* hoc loco intelligit eas quæ peccatum reſpiciunt, id eſt, pronitatem ad peccandum: ùt patet ex c. 5. ℣. 2. & 3. & ex c. 7. ℣. 27. & 28. *Non enim habemus Pontificem qui non poſſit* ſenſu affici *infirmitatum noſtrarum*: novit enim quòd propter multas afflictiones deficiatis & imbecilles ſitis; poteſt ergò ignoſcere: *tentatus* eſt enim & afflictus *per omnia*; hoc eſt, omne genus malorum hujus vitæ expertus eſt, ùt famem, ſitim, triſtitiam, perſecutionem, illuſionem, & tandem mortem in cruce: *pro ſimilitudine*, ſive ad ſimilitudinem noſtri, hoc eſt, omnibus modis tentatus & afflictus eſt quibus & nos homines affligi ſolemus. *Abſque peccato*, id eſt, omnia expertus eſt ſi, tamen peccatum & ejus infirmitates ſeu ſequelas excipias: vel meliùs hoc ſenſu; ita tamen ut nihil eorum quæ paſſus & quibus tentatus eſt, eum induxerit in peccatum; ita *Theoph.*

℣. 16. *Adeamus ergò cum fiducia ad thronum gratiæ : ut miſericordiam conſequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno.*

Talem igitur nacti Pontificem, *Adeamus* liberè & *cum fiducia* ad thronum Dei judicis noſtri; quem utique tali Pontifice & patrono pro nobis loquente, clementem experiemur; cujus propterea nunc *thronus gratiæ* eſt; ut *miſericordiam conſequamur*, quâ peccata remittantur & miſeriæ depellantur; & *gratiam*, omniaque ſalutaria dona *inveniamus*, quibus in hac vita adjuvemur, quando adhuc merendi opportunitas eſt. Rectè dicit *opportunum auxilium* à tempore quo datur : ſi enim nunc accedis, gratiam accipies & miſericordiam; opportunè enim accedis : ſi verò tunc, id eſt, poſt hanc vitam acceſſeris, non ita : erit enim intempeſtivus acceſſus, quia tunc non ampliùs erit *thronus gratiæ* ſed judicii : ita *Oec.* poſt *Chryſ.*

CAPUT V.

Officium Pontificis deſcribit, oſtendens Chriſtum verum Pontificem fuiſſe & pro nobis interpellantem exaudiri.

℣. 1. *Omnis namque Pontifex ex hominibus aſſumptus, pro hominibus conſtituitur in iis, quæ ſunt ad Deum, ut offerat dona, & ſacrificia pro peccatis:*

OStendit, Chriſtum eſſe Pontificem ex aliorum Pontificum collatione; ſimul aſſignans, quid ſimile habeat cum legali Pontifice & vero ac legitimo ejus officio, & quid diverſum; quò

probet, Chriſtum illo eſſe majorem. *Omnis*, inquit, in lege *Pontifex ex hominibus*, id eſt, homo & de numero hominum *aſſumptus pro hominibus conſtituitur in iis quæ ſunt ad Deum*, id eſt, in ſacrificiis & orationibus publicis, quæ pro communi ſalute hominum fiunt; *ut* ſcilicet *offerat dona & ſacrificia pro peccatis*, id eſt, ſtatuta in lege *ſacrificia* & *dona* ſeu oblationes ſpontaneas. Oblationes intelliguntur in rebus inanimatis, ùt ſunt oleum, panis, vinum: *ſacrificia* verò tantùm ſunt ex animalibus, ùt *Levit.* 3. & 4. *Pro peccatis*, ſupple, expiandis, quod tantùm ad ſacrificia non etiam ad dona referendum eſſe patet: ex *Gaig.*, ex *Eſtio.*

℣. 2. *Qui condolere poſſit iis, qui ignorant, & errant: quoniam & ipſe circumdatus eſt infirmitate:*

Oſtendit, affectum miſericordiæ in Pontifice requiri. *Qui condolere*, græcè, *mediocriter pati:* quod *Theoph.* vult idem eſſe quod *compati* ſeu *condolere.* Alii plùs ſignificatum putant, nempè medium inter contrarios affectus, q. d. Pontificem quæri, qui neque nimiùm indulgens ſit ergà peccatores, neque nimiùm ſeverus; ſed inter ſeveritatem & miſericordiam medius incedat: ita *Gaig.* Sed cùm Apoſt. nullibi Pontificem commendet à ſeveritate, magis placet, ait *Eſtius*, ut μετριοπαθεῖν dicatur., qui cum moderatiore affectu animæ movetur *Ignorantes* ſunt qui, quod faciendum eſt, neſciunt. *Errantes*, qui in actionibus ſuis à recto deviant. Nam & *ipſe infirmitatem ſuam* circumfert, ſicut ceteri homines; & eſt obnoxius & infirmitati naturæ & culpæ. Chriſtus autem ſolam habuit infirmitatem naturæ, ex *Oecum.*

℣. 3. *Et propterea debet, quemadmodum pro populo, ita etiam & pro ſemetipſo offerre pro peccatis.*

Quoniam, inquit, & ipſe peccato eſt obnoxius, *debet* commune & pro ſuis & pro populi peccatis offerre ſacrificium: quod non eò huc adfert Apoſtolus, ut Chriſto accommodet: ſed ut ex iis declaret id, quod inter notas Pontificis poſuerat; talem ex hominibus aſſumi, qui condolere poſſit iis, qui ignorant & errant. Hoc autem etiam Chriſto competere aliâ ratione oſtendit c. 4. ℣. 15. Qua ex re nobis intelligendum relinquit, quantùm Chriſtus præcellat Aarone: ſed hoc diſcrimen infrà pleniùs explicat *cap.* 7. ab illis verbis: *Talis enim decebat* &c., uſque ad finem: ita *Eſtius ex S. Thoma.*

℣. 4. *Nec quiſquam ſumit ſibi honorem, ſed qui vocatur à Deo, tamquam Aäron.*

Pontificatum vocat *honorem*, quia reddit hominem honorabilem. Eſt & hæc, inquit, legitimi Pontificis proprietas, ut illud munus ultrò ſibi non vendicet, ſed à divina pendeat vocatione: ſicut de Aarone, qui primus fuit Sacerdos Leviticus, Scriptura teſtatur ad eam dignitatem eum divinitùs vocatum eſſe, ùt patet *Exod.* 38., *Num.* 16. & 17. Et rex Ozias, cùm Pontificis officium uſurpare vellet, graviter punitus legitur, 2. *Paral.* 26. Tales ergò debent aſſumi, qui non ſe ingerunt, ùt S. Nicolaus, ex *S. Thoma.*

℣. 5. Sic & Chriſtus non ſemetipſum clarificavit ut Pontifex fieret: ſed qui locutus eſt ad eum: Filius meus es tu, ego hodiè genui te.

Sicut in lege non opportebat intrudi pontificem, ſed à Deo vocari: ita *& Chriſtus non ſemetipſum clarificavit* vel glorificavit, vel non ſe honorificavit fieri ſummum Sacerdotem, id eſt, non per gloriam pontificatum ambivit; *ſed* Pater, *qui locutus eſt ad eum* & dixit, *filius meus es tu, ego hodiè genui te*; ſubaudi, *clarificavit* & ad gloriam pontificii vocavit. Et certè non ambivit hanc gloriam, qui ſe toties in hanc functionem à Patre miſſum oſtendit, *non veni*, inquit *Joan.* 8. ℣. 42., *à meipſo, ſed ille me miſit.* Locus autem, *Ego hodiè genui te*, non facit ad probandum Chriſtum Pontificem à Deo conſtitutum: ſed quia illud poſteà probaturus eſt, præmiſit teſtimonium divinitatis Chriſti, utpotè ne eum qui filius Dei eſt, ſimilem legalibus Pontificem putarent, id eſt, hominem tantùm.

℣. 6. Quemadmodùm & in alio loco dicit: tu es ſacerdos in æternum, ſecundùm ordinem Melchiſedech.

Senſus eſt; ergò non ſibi uſurpavit ſacerdotium Chriſtus, ſed Pater, qui ad eum dixit, *filius meus es tu*, illum glorificavit & vocavit: *quemadmodum alio loco*, ſcilicet *Pſ.* 109., ſcriptum eſt, *Tu es Sacerdos in æternùm*; &c. Ecce ergò veram rationem veri Pontificis in Chriſto, quia Pontificatum non ambivit, ſed à Patre ordinatus eſt; ita *Gaig.* Cujus Sacerdotium eſt *in æternum*: & proindè morte non finietur, ùt Sacerdotium aliorum; qui neque oleo corporeo unctus ùt Aaron; neque erat ex tribu Levi, ſed major Levi atque Aaron; nec victimas macta-

mactavit, ſed panem & vinum obtulit; ùt *Melchiſedech*, *Gen.* c. 14.; ita *Theophilactus*. Cetera quæ explicationem hujus verſiculi concernunt, dicentur *infra cap.* 7.

℣. 7. *Qui in diebus carnis ſuæ, preces ſupplicationeſque ad eum qui poſſit illum ſalvum facere à morte cum clamore valido & lacrymis offerens, exauditus eſt pro ſua reverentia:*

Dixit Apoſt. ℣. 3. Pontificum eſſe *quemadmodùm pro populo, ita etiam pro ſe ipſo offerre*; quod hìc Chriſto applicat, excepto eo quod additur *pro peccatis*, quod conſtat in Chriſtum competere non poſſe: ex iis enim quæ de Pontifice Levitico dixit, illa dumtaxat Chriſto applicat quæ applicari poſſunt & Sacerdotium ejus commendant. *Qui in diebus carnis ſuæ*, id eſt, vitæ mortalis; Chriſtus enim etiam nunc carnem habet & in æternum habebit; ſed non infirmam atque paſſibilem, pro qua hìc utì ſæpè in aliis Scripturæ locis *Caro* accipitur: ùt *Pſ.* 55. ℣. 5., *Iſaiæ* c. 31. ℣. 3. & c. 40. ℣. 6. & *ſuprà* c. 2. ℣. 14. *Preces ſupplicationeſque ad eum qui poſſit illum ſalvum facere à morte*, pro quo Eraſmus vertit, *ſervare à morte:* ſed malè; Chriſtus enim numquam abſolutâ voluntate Patrem rogavit, ne moreretur; neque ſic *exauditus* eſt: ſed oravit ut celeriter eriperetur è morte & ſic *exauditus eſt*, cùm tertiâ die ad vitam immortalem glorioſus reſurrexerit. *Cum clamore valido & lacrymis offerens.* Quæſtio eſt, quo tempore Chriſtus hanc orationem fecerit? Aliqui dicunt, quòd totâ vitâ pro nobis ac pro ſua Reſurrectione, aut magis pro noſtra in ſua Patrem oraverit. *Clamor* autem *validus* juxtà illos non exaltationem vocis, ſed ingens deſiderium ſignificat.

Verùm Apoſtolus videtur ſpecialem aliquam Chriſti ùt hominis ad Deum orationem deſignare: ſive illam quâ paſſioni ſuæ proximus Patrem tertiò oravit, *ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte;* ſive aliam cujus quidem Evangeliſtæ non meminerunt, ſed quam *Paulus* particulari revelatione novit: ſive meliùs illam quâ in cruce pendens voce magnâ clamans Patrem interpellavit: *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquiſti me?* Et quando iterùm voce magnâ clamans ait, *Pater in manus tuas commendo ſpiritum meum*: de hac oratione Apoſtolum intelligunt *S. Thom., Cajet.* & *Eſtius*. *Exauditus eſt pro ſua reverentia:* in Græco non legitur *ſuâ*, ita ut ambiguum ſit de cujus *reverentia* Apoſt. loquatur. Latini ferè omnes de Chriſti reverentia interpretantur; ut ſenſus ſit: Chriſtum exauditum à Patre pro ea reverentia ac pietate, quam erga Deum habebat, quâ nimirùm dignus erat, ut ab eo exaudiretur. *Chryſ.* ejuſque ſequaces reverentiam in Deo Patre ſtatuunt reſpectu Filii: q. d. Apoſt., Filius Dei tam charus erat Patri, tamque venerabilis, ut Pater eum reveritus, nec ferens tam humilem Filii ſui precationem, ſtatim petita conceſſerit. Prior tamen intellectus præferendus videtur; tum quia vox græca reverentiam & pietatem quæ eſt hominis in Deum; tum quia durum eſt Patri adſcribere reverentiam in Filium. Orationem autem, quam poſt *S. Thomam* intelligimus, exauditam ſeu impletam fuiſſe conſtat: quoniam Pater eum à morte reſuſcitavit tertio ſtatim die. Quin etiam exaudita eſt pro toto corpore ejus, quod eſt Eccleſia: ùt dicitur *Rom.* 8. ℣. 11. Hinc liquet quàm malè *ex metu* æternæ damnationis *exauditum*, dixerint *Calvinus* & *Beza*.

℣. 8. *Et quidem cùm eſſet Filius Dei, didicit ex iis quæ paſſus eſt, obedientiam:*

Dubium eſt, quò hæc pars, *cùm eſſet filius Dei*, referatur: ſunt qui remittunt ad *preces & ſupplicationes* &c., hoc ſenſu: Etſi *Filius Dei eſſet*, non tamen aſpernatus eſt ſupplicem ſe præbere Patri etiam cum voce lacrymoſâ. Verùm communior & potior ſententia refert ad ſequentia: q. d. Apoſt. Quamvis *eſſet Filius Dei didicit ex iis, quæ paſſus eſt, obedientiam.* Sed quòmodo *didicit* qui etiam ùt homo noverat omnia, ac omni virtutum genere plenus erat? Aliqui cum *Theoph. & Oecum.* reſpondent: experientiâ didicit quanta & quàm magna virtus ſit obedientia, propter quam exauditus eſt & à morte ereptus, & propter quam exaltavit illum Deus & dedit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen. *S. Thomas* hunc ſenſum reddit, experientiâ didicit quàm grave ſit obedire, ùt qui obediverit in graviſſimis & difficillimis, videlicet uſque ad mortem crucis; ita *Anſel. Eſtius* hanc ſententiam commodiùs per metonymiam putat explicari poſſe hoc modo: quamvis *filius eſſet*, eoque ſolo nomine dignus quem Pater exaudiret, tamen ut miſericors fieret Pontifex nobis ad Deum, per ea *quæ* ex voluntate Patris *paſſus eſt*, obedientiam oſtendit & exercuit, quaſi obedientiæ diſcipulus. Quos enim ad obedientiam formamus, in rebus gravioribus experiri ſolemus. Loquitur autem ſic Apoſtolus; quia obedientiam ſuis Hebræis commendare voluit, ùt innuitur ℣. ſq. Quo autem ſenſu Chriſto obedientia tribuatur, intelligitur ex *Phil. 2. ℣. 8.*

℣. 9. *Et conſummatus, factus eſt omnibus obtemperantibus ſibi, cauſa ſalutis æternæ,*

Et conſummatus, id eſt, ùt c. 2. ℣. 10. diximus, *perfectus*; paſſio enim Chriſti perfectio illius & conſummatio fuit. *Conſummatus* ergò & ad ſummum honoris & gloriæ gradum de cruce probroſa evectus, *factus eſt omnibus obtemperantibus ſibi cauſa ſalutis æternæ*, quam in cruce operatus eſt, ita *Gaig*. Quæ quidem obtemperantia ſive obedientia conſiſtit in obſervatione mandatorum Chriſti, quorum primum eſt ut in eum credatur. Nam obedientiam etiam ad fidem referri patet ex pluribus Scripturæ locis: ùt *Act.* 6. ℣. 7., *Rom.* c. 1. ℣. 5. & c. 16. ℣. 26. Duplex autem paſſionis Chriſti fructus ſignificatur; ipſius ſcilicet conſummatio, & ſalus noſtra: quoniam & ſibi meruit & nobis. Sed ideò dicit Chriſtum *conſummatum factum eſſe cauſam ſalutis noſtræ*; quia ſalus noſtra non ſolùm à Chriſto paſſo, velut causâ meritoriâ, verùm etiam ab eodem conſummato & glorificato, velut exemplari causâ, dependebat, ùt 1. *Cor.* 15. ℣. 14. Porrò non abſolutè dicit *omnibus*, ſed *obtemperantibus ſibi*; non quòd obedientia ſit conditio quam priùs à nobis exigat Chriſtus, quàm ejus paſſio quidquam operetur in nobis, (neque enim ſalus & obedientia nobis aliundè eſt quàm ex Chriſti paſſione) ſed quia conditio eſt ad ſalutem æternam neceſſaria; ne quis ſperet ſalutem à Chriſto niſi legi ejus obediat, quoniam nec ipſe Chriſtus ad gloriam evectus eſt, niſi per obedientiæ meritum. Quæ conditio ab ipſomet Chriſto expreſſa eſt *Matt.* 19. ℣. 17.

℣. 10. *Appellatus à Deo pontifex juxta ordinem Melchiſedech.*

Appellatus ſive cognominatus verbis pſalmi ſuprà dictis. Et quia dicere Dei eſt facere, intellige ſic *appellatum à Deo Pontificem ſecundùm ordinem Melchiſedech*, ut & talem fecerit verum utique Pontificem, qui pro delictis populi hoſtiam Deo obtulit & idem ſuimet hoſtia factus eſt. Et quia de genere Levitico non erat Chriſtus, addit *ſecundùm ordinem Melchiſedech*, ait *Gaig.*

℣. 11. *De quo nobis grandis ſermo, & interpretabilis ad dicendum: quoniam imbecilles facti eſtis ad audiendum.*

Grandis, græcè, *multus ſermo*, id eſt, *de quo* multa dicenda ſunt nobis & interpretatu difficillima ob craſſum veſtrum ingenium, quia *imbecilles facti eſtis ad audiendum*, qui anteà mente integrâ fuiſtis, ſed eò per ignaviam recidiſtis: quidam hujus ignaviæ cauſam referunt in afflictiones quibus ob fidem Chriſti ſuſceptam premebantur à fratribus Judæis: alii in ipſorum negligentiam quòd parùm laboris & ſtudii collocaſſent in cognitione rerum ſacrarum: ſed meliùs quia nimiùm affixi erant Legi Moſaïcæ, quâ velut obice impediti myſteriorum Novæ Legis explicationem ægrè & tardè capiebant, nam & ob hanc cauſam Apoſt. *Rom.* 14. Judæos fideles *infirmos* vocat. Huic ſimile eſt quod Chriſtus ad diſcipulos dicit; *Joan.* 16. ℣. 12., item quod Apoſt. 1. *Cor.* c. 3. ℣. 1. dicit. Verùm cauſæ in his diverſæ ſunt: in diſcipulis Chriſti conſpicua præſentia humanitatis ejus; in Corinthiis vitia quædam graviora, quibus dediti erant: ita *Eſtius.*

℣. 12. *Etenim cùm deberetis magiſtri eſſe propter tempus: rursùm indigetis ut vos doceamini quæ ſint elementa exordii ſermonum Dei: & facti eſtis quibus lacte opus ſit, non ſolido cibo.*

Etenim cùm pro ratione temporis, quòd egiſtis in Chriſtianiſmo, *debeatis eſſe* aliorum doctores, quia dudum eſt quòd credidiſtis: *rurſum indigetis, ut doceamini elementa exordii ſermonum Dei*, id eſt, rudimenta à quibus initium ſumitur inſtituendi homines in doctrina ſacra, ùt *cap.* 6. ℣. 1.; ita *Eſtius.* Vel *elementa* dicit Chriſti humanitatem à qua rursùm initiandi erant rudiores effecti, ut indè ad divinitatem Chriſti aſcenderent. *Et facti eſtis*, id eſt, eò deveniſtis per ignaviam veſtram, ut *lacte* ſitis nutriendi more parvulorum, nec ſolidioris doctrinæ *cibum* feratis, utpotè quæ divinitatem aliaque ſublimiora fidei myſteria concernit, ita *Gaig.* & *Eſtius.*

℣. 13. *Omnis enim, qui lactis eſt particeps, expers eſt ſermonis juſtitiæ: parvulus enim eſt.*

Quicumque lacte tantùm veſcitur inhærens humanitati Chriſti & minimis operibus ejus, neque altiùs quidquam conſiderans in eo, *expers eſt ſermonis juſtitiæ*, id eſt, juſtificationis; nec benè doceri poteſt juſtificationem à Chriſto petendam, utpotè quæ illi ratione divinitatis competat: quam in eo adhuc non intelligunt qui parvuli ſunt & infantes, nec tanti myſterii capaces: ita *Gaig.* Vel *ſermo juſtitiæ* generatim eſt omnis doctrina *perfectionis*, de qua *initio cap. ſeq. Ad perfectiora*, inquit, *feramur*: ex *Eſtio.*

℣. 14. *Perfectorum autem eſt ſolidus cibus: eorum, qui pro conſuetudine exercitatos habent ſenſus ad diſcretionem boni ac mali.*

Perfectos, inquit, eos voco qui longo uſu velut habitu comparato mentem habent *exercitatam ad diſcernendum* in unaquaque re, quid bonum ſit quid malum, quid verum vel falſum, ſanane an hæretica ſit doctrina, ùt 1. *Cor.* 2. ℣. 15. Non paſſim ergò ea de re cuilibet credendum eſt; ſed iis qui *exercitatos habent ſenſus*, ex uſu Scripturarum, & ex frequenti auditione, ait *Chryſ.*

CAPUT VI.

Hortatur ad perfectam doctrinam omiſſis elementis: fieri enim non poſſe ut qui ſemel ſunt illuminati, renoventur ad pœnitentiam. Excitat ad patientiam ſpe præmii.

℣. 1. *Quapropter intermittentes inchoationis Chriſti ſermonem, ad perfectiora feramur, non rurſùm jacientes fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis, & fidei ad Deum,*

QUapropter cùm debeatis eſſe magiſtri ſecundùm tempus, ideòque à lacte ad ſolidum cibum traducendi: nos quoque ſepoſitâ doctrinâ, quâ rudes inſtituere ſolemus, ad ea progrediamur quæ conveniunt adultis atque perfectis. Vel exhortatio eſt ad profectum in doctrina Chriſti, q. d. Non ſic

increpo tarditatem veſtram, ut vos arcere velim à doctrina ſublimiore: quin potiùs hortor, ut dimiſſis doctrinæ Chriſtianæ rudimentis, ad perfectionem tendatis, quæ vos idoneos reddat altioribus myſteriis percipiendis. Si poſteriorem expoſitionem ſententiæ præcedentis ſequamur; hæc pars ad Hebræos refertur, & ſenſus eſt: *Non rurſum* inſtituendi in fundamentis Chriſtianæ religionis quæ ſunt *pœnitentia*, &c.; vel non denuò ponentes hæc fundamenta, quia dudùm ea poſuiſtis, & non ſunt iteranda. At ſecundùm priorem expoſitionem pertinebit ad Apoſtolum; hoc ſenſu: *Non rurſum* vobis tradentes doctrinam religionis Chriſtianæ fundamentalem, quæ eſt de pœnitentia, fide, &c. q. d. Hæc vobis ab initio tradita ſunt, ſed ab his ad altiora aſſurgere debetis. Prior harum expoſitionum præferenda videtur: ſic enim Apoſt. promittit quod *cap. ſeq.* præſtiturus eſt. Et huic intellectui ſequentia probè reſpondent. Ceſſat quoque difficultas, quomodo jubeat omitti rudimenta fidei, cùm eorum fideles numquam obliviſci debeant. Quod additur, *ab operibus mortuis*, explicatio eſt pœnitentiæ Chriſtianæ: per hanc enim recedimus *ab operibus mortuis*; quæ ſunt peccata, quæ tollunt Deum ab anima, cujus vita eſt per unionem charitatis, ex *S. Thoma*. Neque fundamentum *fidei ad Deum* jacientes, id eſt, neque vos tanquam tyrones in fide erudientes, qui jam dudùm inſtructi eſtis: reſpicit ad profeſſionem ſymboli, quam faciebant baptizandi, ſed ita ut priùs in eo diligenter inſtituerentur, ut ſcirent quid crederent: ſicut factum videmus ab *Aug. in variis tractatibus ad Catech.*

℣. 2. *Baptiſmatum doctrinæ, impoſitionis quoque manuum, ac reſurrectionis mortuorum, & judicii æterni.*

Plerique conformiter ad textum ſyriacum conjunctum legunt *Baptiſmatum doctrinæ*, id eſt, *doctrinæ* quæ de *Baptiſmis* traditur: in quo textu etiam *Baptiſmatis* in ſingulari numero legitur: ſic etiam *Aug. l. de fide & op. c.* 11. Codices tamen latini & græci omnes pluralem habent numerum; in cujus reddenda ratione mira eſt varietas. Multi Latinorum putant ſignificari tria baptiſmata fluminis, flaminis, & ſanguinis: quod non eſt veriſimile. *Chryſ.* putat, Apoſtolum ſic locutum non quòd verè plura ſint baptiſmata, ſed quia hæc abſurditas ſequeretur, ſi rursùs ab initio catechizandi eſſent Hebræi. Sic enim viderentur iterùm debere baptizari; quia catechiſmus eſt inſtitutio ad baptiſmum. *Theoph.* & *Oecum.* dicunt, Hebræos, quia multa erant in lege baptiſmata & frequens iteratio in lege, forte exiſtimaſſe, quòd ſimiliter novæ legis baptiſmate ſæpius eſſent abluendi, quoties ſcilicet in peccata relapſi eſſent. Sed refelluntur ejuſmodi commentarii, quia *Paulus* recenſet fundamenta doctrinæ Chriſtianæ. *Theod.* dicit, multa vocari baptiſmata, quia multi baptiſmi gratiam conſequuntur: alii dicunt, quia trina fit immerſio. *Doctrina baptiſmatum* ſeu baptiſmatis ſecundùm aliquos eſt periphraſis Catechiſmi; ſecundùm alios doctrina quæ de baptiſmo, ejuſque virtute, neceſſitate & ſignificatione traditur. Porrò ſunt alii quibus uti & mihi magis placet has dictiones *Baptiſmatum*, *Doctrinæ* ſeparatim legi, ſic ut ſint genitivi quæ reguntur à vocabulo *fundamentum*, ſicuti ceteri genitivi præcedentes & ſequentes: ita

Oecum., *Cajet.*, *Gaig.* Et quia præceſſit doctrina ſub nomine *fidei in Deum*; idcircò *doctrinam* in hac parte interpretantur Evangelicam. Mihi videtur, ait *Eſtius*, intelligi poſſe plenior explicatio Chriſtianæ Legis ac myſteriorum ejus, quæ catechumenis non committebatur, ſed jam baptizatis: undè illud, *Norunt fideles*, apud *Auguſt.* Et hunc ordinem iſtorum trium, *fidei in Deum*, *baptiſmatis*, & *doctrinæ*, inſinuat *Hieron. in Mat. ult. cap. Impoſitiones quoque manuum*, quam ſinè dubio intelligit, quæ fidelibus ſtatim à baptiſmo per Epiſcopum ſolebat adhiberi; de qua *Act.* 8. & 19., id eſt, Sacramentum Confirmationis. *Ac reſurrectionis mortuorum*, & *judicii æterni* ſcilicet extremi poſt hanc vitam, quod dicunt vocari *æternum* quia decernit præmia, pœnaſque æternas. Senſus autem totius hujus loci eſt. *Quapropter* intermittamus de his omnibus, quæ ſunt initia fidei Chriſtianæ, vobis verba facere, ne fundamentum novum jacere videamur, hæc vos elementa fidei docentes: ſed ad perfectionem feramur, de perfectioribus vos inſtituentes, ſcilicet de afflictionibus patienter ferendis, de Chriſti æterno Sacerdotio & ejus Divinitate verba facientes: ita *Photinus* & *Gaig.*

℣. 3. *Et hoc faciemus, ſi quidem permiſerit Deus.*

Hoc faciemus, id eſt, ad perfectionem feremur. *Si Deus permiſerit*: hoc eſt, ſi Deus conceſſerit: ſimilis eſt locus 1. *Cor.* 16. ℣. 7. Ratio autem quare Apoſt. dicat, *ſi Deus permiſerit* potiùs quàm *ſi conceſſerit*, eſt: quia actiones noſtræ non ita Deum habent authorem, ut non etiam à noſtra procedant voluntate, tametſi Deo ſubordinatâ; ac proindè

dum quis boni quidpiam proponit ſe facturum, incertus eſt an Deus objecturus ſit impedimentum quominùs illud exequatur; rectè dicit, ſe id facturum *ſi Deus permiſerit*, ut 1. *Cor.* 4. ℣. 19. & *Act.* 18. ℣. 21. & *Jac.* 4. ℣. 15. ex *Eſtio* & *Thom.*

℣. 4. *Impoſſibile eſt enim eos, qui ſemel ſunt illuminati, guſtaverunt etiam donum cæleſte, & participes facti ſunt Spiritûs ſancti,*

℣. 5. *Guſtaverunt nihilominùs bonum Dei verbum, virtuteſque ſæculi venturi,*

℣. 6. *Et prolapſi ſunt; rursùm renovari ad pœnitentiam, rursùm crucifigentes ſibimetipſis filium Dei, & oſtentui habentes.*

Apoſtolus in his verſibus rationem reddit, quare intermittens inchoationis Chriſti ſermonem, Deo permittente, ſeſè ad perfectiora conferre intendat; ſcilicet ne videatur velle eos iterùm inſtituere ad baptiſmum; quod omninò inutile eſſet: quia *impoſſibile eſt ſemel baptizatos & prolapſos rurſum renovari ad pœnitentiam.* Ex quibus verbis Novatiani erroneè inferebant, nullum poſt baptiſmum lapſis ſupereſſe remedium ſeu pœnitentiam. Catholici autem duplici modo difficilem hunc locum interpretantur. Aliqui poſt *Originem, Anſel.* &c. intelligunt *pœnitentiam* quæ poſt baptiſmum agitur; & *impoſſibile* per *difficile* interpretantur: quam interpretationem *Eſtius* improbat, tum quia res quæ frequenter contingit, qualis eſt pœnitentia poſt lapſum, ſimpliciter impoſſibilis non ſolet appellari; tum quia quoties vox hæc *impoſſibile* in hac Epiſt. occurrit, ve-

ram & abſolutam impoſſibilitatem ſignificat: ut c. 6. ℣. 18., c. 10. ℣. 4. & c. 11. ℣. 6. Alii *pœnitentiam* accipiunt pro ea quæ baptiſmo præmittitur; ita ut Apoſt. non neget pœnitentiam poſſibilem poſt baptiſmum, ſed ipſius baptiſmi repetitionem: quaſi breviter dicat: impoſſibile eſt ſemel baptiſatos iterùm baptiſari, & baptiſmatis gratiam, quatenùs eſt gratia regenerationis & renovationis, iterùm recuperare: ſic exponunt græci commentatores omnes, & latini plerique; inter quos *Amb. l. 2. de pœn. c. 2., Aug. in inchoata expoſ. Epiſt. ad Rom., & Damaſc. l. 4. de fid. c.* 10. Et profectò plura ſunt, quæ hunc ſenſum ſuadere videntur. 1° Nomen *pœnitentiæ* non videtur aliâ ratione hìc ſumi poſſe quàm ℣. 1., ubi certò de pœnitentia baptiſmi accipitur. 2° Particulæ *ſemel* & *rurſus* in rem eamdem cadunt; at hæc pars, *qui ſemel ſunt illuminati*, de baptiſmo haud dubiè intelligitur: ergò & hæc, *rurſum renovari ad pœnitentiam.* 3° Nomen renovationis potiùs baptiſmo congruit & ab Apoſt. *ad Tit.* 3. ℣. 5. attribuitur. 4° Cauſa, quam adfert Apoſt. cur hæc renovatio ſit impoſſibilis, quæ eſt quòd ſic *renovari* ſit *rurſum crucifigere ſibimetipſis filium Dei*, longè meliùs quadrat baptiſmo juxtà *Rom.* 6. ℣. 3. Denique ſcopus Apoſtoli, quem hìc intendit, hoc ipſum ſuadet. Huic commentario hunc ſcrupulum opponit *Eſtius*; quorsùm, inquit, Apoſt. tam ſollicitè doceret Hebræos, non poſſe ſemel baptiſatos iterùm baptiſari, cùm nulla hiſtoria teſtetur, aliquos fuiſſe tempore Apoſtolorum, qui baptiſmi Sacramentum ſemel acceptum repeterent, aut repetendum eſſe docerent? Verùm difficultatem hanc amoviſſe videntur *S. Athan. Epiſt.* 4. *ad Serap.* & poſt cum *S. Amb. l. 2. de pœnit. c.* 2. dicentes non ſinè

conſilio S. Paulum ſcribentem ad Hebræos ita loqui, ut occurreret falſæ illorum opinioni, baptiſma Chriſti ſicut legale ſæpiùs iterari poſſe. Aliam *Eſtius* pro dicto ſuo ſcrupulo penitùs eruendo ſubjicit expoſitionem valdè probabilem: ſcilicet textum Apoſtoli non tam de baptiſmi cæremonia, quàm de ejus effectu, qui eſt gratia regenerationis, non repetendo intelligendum eſſe: non enim dicitur, inquit, *impoſſibile eſt eos rurſum* baptiſari, ſed *rurſus renovari.* Nunc breviter ſingulæ partes exponendæ ſunt.

Impoſſibile eſt eos qui ſemel ſunt illuminati, ſive baptiſati; ùt *infrà c.* 10. ℣. 32.; undè & Syrus interpres utroque loco baptiſmum expreſſit. Ex quibus locis uti & ex 1. *Pet.* 2.℣.9. diſcimus, eam baptiſmi nuncupationem, quâ antiquis Eccleſiæ temporibus vocatus eſt Sacramentum illuminationis, ab ipſis Apoſtolis eſſe derivatam. *Guſtaverunt etiam donum cæleſte*, quod Græci cum *Chryſ.* interpretantur remiſſionem peccatorum: percipitur enim ſuavitas illius doni quoties eam remiſſionem conſcientiæ pax & ſerenitas cum interna Spiritûs conſolatione conſequitur. Alii intelligunt Sacramentum confirmationis, quod *Petrus* etiam *Act.* 2.℣.38. baptiſmo adjunxit. Nonnulli Sacramentum corporis & ſanguinis Domini: quod eſt verè donum cæleſte, datum nobis ad guſtandum ab eo qui dicit *Joan.* 6. *Ego ſum panis qui de Cælo deſcendi.* Meritò etiam vocatur donum cæleſte, quoniam corpus Domini eſt cæleſte, & ipſe Chriſtus *cæleſtis*, 1. *Cor.* 15. ℣. 47. *Et participes facti ſunt Spiritûs Sancti*, hoc eſt, chariſmatum Spiritûs S., quæ in baptiſmo & in confirmatione receperant: de his agit *ſuprà* c. 2. ℣. 4. & 1. *Cor.* 12.

Guſtaverunt nihilominùs, græcè, *& guſtaverunt bonum Dei verbum*; quod pleriquè doctrinam Chriſtianam intelligunt: ſed magìs propriè videtur ſumi pro illa doctrinæ parte, quæ continet bonarum rerum promiſſiones; ita *S. Thom.* qui obſervat, *verba bona* more Scripturæ ſignificare verba læta & fauſta: ùt 3. *Reg.* 14. ℣. 13., *Pſal.* 44. ℣. 1., *Jerem.* 29. ℣. 10. & *Zach.* 1. ℣. 33. *Virtuteſque* ſeu potentias *futuri ſeculi*, quæ ſunt immortalitas & gloria electis promiſſa quibus mirificè Dei virtus declaratur, & quas guſtaverunt qui eas fide, amore & magno deſiderio perceperunt: de quo guſtu *S. Aug. l.* 9. *Confeſ.* c. 10.

Et prolapſi ſunt ſcilicet poſt hæc omnia & tanta dona in Apoſtaſiam, aliave peccata: de omni enim relapſu in peccatum vera ſunt quæ hìc dicuntur, magìs propriè tamen de relapſu in Apoſtaſiam, de qua *in hac Epiſt.* ſepiùs contrà Hebræos agit Apoſt. *Rurſus renovari ad pœnitentiam*, id eſt, *per pœnitentiam*; ita *Chryſ.* Alii explicant *in pœnitentiam*, id eſt, *renovari* loco pœnitentiæ, ſic nimirùm ut vitæ renovatio ſufficiat perindè ut in baptiſmo, nec opus ſit pœnitentiam, id eſt, ſatisfactionem ſeu punitionem illam gravem ſubire quæ exigitur à relapſis. Porrò quòd pro renovari græcè legatur *renovare*, optimum habet ſenſum ſi referatur ad Doctores ſeu miniſtros Eccleſiæ, hoc modo: impoſſibile eſt nobis quibus docendi & Sacramenta adminiſtrandi munus incumbit, eos qui poſt baptiſmum lapſi ſunt, iterùm ad pœnitentiam renovare. Ratio quare renovatio poſt baptiſmum impoſſibilis ſit, redditur in his verbis: *Rurſum crucifigentes* &c. Nam qui baptiſatur, ipsâ baptiſmi cæremoniâ configuratur Chriſto crucifixo, juxtà Apoſt. *ad Rom.* 6. ℣. 3. *& ſeq.* Quare ſicut Chriſtus

ſemel mortuus non ampliùs moritur; ita baptiſmus non poteſt ampliùs repeti: quòd ſi quis tentaverit, is, quantùm in ſe eſt, *rursùm crucifigit ſibimetipſi*, id eſt, ad ſuam renovationem quam iterùm de novo ex baptiſmo ſperat; *& Oſtentui habet filium Dei* quem ludibrio & deriſioni exponit infidelium qui indè crucem Chriſti blaſphemandi, ejuſque inefficaciam arguendi, novam ſumunt occaſionem. Fundatur tota hæc interpretatio in differentia effectuum Sacramentorum Baptiſmi & Pœnitentiæ: in Baptiſmo enim ita renovatur homo, ut nihil ipſi reſtet nec culpæ nec pœnæ: totum namque debitum ibi luit Chriſtus; ubi præter gratiam nihil eſt, ùt ait *Theoph.* Poſt baptiſmum verò relapſus in grande peccatum, etiamſi reſipiſcat, exſpectare debet terribile judicium Dei, niſi ipſemet in ſe longâ caſtigatione vindicet quod peccavit: huc ſpectat quod de hac differentia docet *Conc. Trid. Seſſ.* 14. *cap.* 2.

℣. 7. *Terra enim ſæpè venientem ſuper ſe bibens imbrem, & generans herbam opportunam illis, à quibus colitur: accipit benedictionem à Deo.*

Similitudine terræ, quæ cæleſti pluviâ perfunditur, declarat ea quæ dixit; quia *terra* bona, quæ ſupernè imbri recepto herbam bonam cultoribus ſuis generat, *à Deo benedicitur*, dum præſtatur ei à Deo, ut herba, quam produxit, ad ſegetis maturitatem perveniat; ùt ait Dominus *Marc.* 4. ℣. 28.

℣. 8. *Proferens autem ſpinas ac tribulos, reproba eſt, & maledicto proxima: cujus conſummatio in combuſtionem.*

Si verò terra culta & cælitùs irrigata non gignat herbam utilem, ſed *ſpinas ac tribulos*,

reprobata eſt agricolis & *maledictioni* propinqua; ut ſi maneat in ea ſterilitate, nihil ſuperſit niſi ut eam ignis devoret. Hæc enim videtur intelligi *maledictio*, cùm ſequatur; *cujus conſummatio in combuſtionem*. Nunc videndum quò ſpectet allata ſimilitudo: in quo qui ſententiam ſuperiorem de *pœnitentia* poſt baptiſmum accipiunt; minùs laborant. Reddunt enim hanc ſimilitudinem: ſicut terra culta & cælitùs irrigata ſpinas ac tribulos proferens, deputatur incendio; ita qui baptiſatus, ac donorum cæleſtium particeps factus eſt, ſi fructum bonorum operum non ferat, ſed in gravia peccata, quale eſt præſertim apoſtaſiæ crimen, prolapſus fuerit, vix ſeu difficillimum eſt, ut renovari ac reſtitui queat; imò verò periculum magnum eſt ne cum pravis ſuis operibus tanquam malis fructibus in ignem mittatur æternum, ex *Occum* & *Lyran*. Quorum interpretatio in tantum placuit *Eſtio*, ut, teſte *Fromondo*, videatur hìc mutaſſe ſententiam ſuam quâ *priores verſus* de baptiſmo explicaverat: ſed ſinè cauſa. Nam eadem interpretatio, paucis mutatis, rectè accommodatur priori ſententiæ; Apoſtolus enim non omnimodam in omnibus hìc inſtituere voluit ſimilitudinem; ſed præcipuè per hujuſmodi comparationem Hebræos docere, maximè iis metuendum eſſe ne, ſi poſtquam *ſemel illuminati*, *guſtaverunt etiam donum cæleſte* &c. prolabantur, à Deo ob eorum ingratitudinem derelicti non niſi *ſpinas ac tribulos* proferant, atque ita in criminibus ſuis finaliter permanentes conſummentur & maledicto combuſtionis æternæ proximi fiant. Cum quo tamen optimè conſiſtit, quòd ſicut interdùm terra ſterilis magno labore, eradicatis ſpinis, ad frugem reducatur, ita pariter ingrati illi Apoſtatæ vel etiam quivis alii inve-

terati peccatores continuò in eadem crimina relapſi ex particulari Dei miſericordiâ per veram pœnitentiam in Sacramento pœnitentiæ abſolvantur ab omni culpa, & per graves, longaſque pœnalitates, quas voluntariè ſubeunt; ab omni etiam pœnæ reatu expurgati ad perfectam innocentiam renoventur.

℣. 9. *Confidimus autem de vobis dilectiſſimi meliora, & viciniora ſaluti: tametſi ita loquimur.*

His verbis conſolatur eos, q. d. hæc ad cautelam à me dicta ſunt, ne tales efficiamini quales deſcripſi, non quòd vos tales arbitrer. Nam perſuaſi mihi *de vobis meliora*, quæque ſalutem promittant potiùs quàm exitium, ex *Chryſ.*

℣. 10. *Non enim injuſtus Deus, ut obliviſcatur operis veſtri, & dilectionis, quam oſtendiſtis in nomine ipſius, qui miniſtraſtis ſanctis, & miniſtratis.*

Reddit cauſam ſuæ de illis fiduciæ, ſimulque eos in ſpem erigit. Dicitur Deus operum noſtrorum obliviſci, quando vel bona relinquit irremunerata, vel mala impunita. Eſſet autem injuſtus ſi bonorum operum obliviſceretur, non ea remunerans; non quòd illa ſuâpte naturâ talia ſint, ut eis remuneratio debeatur à Deo; ſed quia faceret contra fidem ſuæ promiſſionis, quâ conſtituit & ordinavit operibus per gratiam ipſius factis redditurum ſe præmia vitæ æternæ. Collige ex hoc loco bonorum operum merita. *Et dilectionis quam* ipſo opere *oſtendiſtis* ſeu exhibuiſtis *in* ſeu propter *nomen Dei*; *Sanctis*, id eſt, Chriſtianis quando indigentibus ſubminiſtraſtis vitæ neceſſaria ſive largiendo, ſive à largientibus accepta perſe-

rendo; etiam malis & ignotis, ait *Chryſ.* De operibus mortificatis, quæ poſteà per gratiam acceptam reviviſcunt, hoc intelligit, *S.Thom.* Alii de operibus non interruptis peccato mortali ſive ab eo fiant qui nunquam amiſit gratiam, ſive ab eo qui recuperavit amiſſam, pro quibus æternæ vitæ mercedem ſperandam docet, 1. *Cor.* 1. ùt *Ribera.* Et quidem ita generaliter accepiſſe videntur hunc locum Apoſtoli Patres *Conc. Trid. ſeſſ.* 6. *cap.* 16. Et Apoſt. reverà loqui videtur in univerſum de bonis Hebræorum operibus quæ oſtenderant in Sanctis.

℣. 11. *Cupimus autem unumquemque veſtrûm eamdem oſtentare ſollicitudinem ad expletionem ſpei uſque in finem:*

Senſus eſt; quamvis optimè de vobis ſentiam & confidam propter ea bona quæ hactenùs cum Dei gratia egiſtis; non poſſum tamen quin etiam ſubjiciam ſtimulos quibus ad perſeverantiam vos horter, ut qui vehementer cupiam *unumquemque veſtrûm* deinceps idem præſtare ſtudium bonorum operum *uſque ad finem* vitæ: ſic enim *replebitur*, id eſt, plena reddetur ſpes noſtra, ſicut & vocatio & electio, ùt 2. *Pet.* 1. ℣. 10. ex *Eſtio.*

℣. 12. *Ut non ſegnes efficiamini, verùm imitatores eorum, qui fide, & patientiâ hereditabunt promiſſiones.*

Ut non ſegnes, hoc eſt, non ſitis torpentes & igne ſancti fervoris carentes, ſed *imitatores eorum*, quibus miniſtratis, ceterorumque ſanctorum qui hæreditario jure poſſidebunt *promiſſiones*, id eſt, multiplicia dona ſempiternæ beatitudinis ſæpè promiſſa: quas obtinebunt, non nobilitate generis, ſed *fide & pa-*

tientiâ; quia & fidem ipſis promiſſionibus adhibuerunt, & patienter eas expectantes, multa interim adverſa paſſi ſunt; ex *Anſel.* Promiſſiones Patribus factæ partim erant terrenæ, partim cæleſtes ac ſpirituales: quarum illæ jamdudùm impletæ erant, iſtæ verò jam cœperant impleri per Chriſtum; perfectiùs implendæ temporibus futuris: ex *Eſtio.*

℣. 13. *Abrahæ namque promittens Deus, quoniam neminem habuit, per quem juraret, majorem, juravit per ſemetipſum,*

Exemplum adfert Abrahæ non ſolùm ut illud imitandum Hebræis proponat; ſed etiam ut oſtendat eamdem promiſſionem, quæ Abrahæ facta fuit, ad eos attinere, tamquam filios Abrahæ ſecundùm fidem; quippè qui *Pater ſit omnium credentium. Rom.* 4. Indè eſt quòd promiſſiones Abrahæ factas ita urgeat: *Abrahæ namque promittens Deus*, ſcilicet cùm hic Deo in immolatione filii ſui paruiſſet, *Gen.* 22., ne ullus ipſi & nobis ejus heredibus relinqueretur dubitandi locus, jurejurando corroboravit promiſſum. Et ſi promiſſionem hominis jusjurandum firmat ac ſtabilit, ut eo intercedente ceſſet omnis apud judicem controverſia: longè ſtabilior eſt Dei promiſſio quam juramento firmavit *per ſemetipſum* jurans, cùm alium non haberet, *per quem juraret, majorem.* Deus *ſemetipſum*, id eſt, Deum pro teſte allegavit; quod dum faciunt homines, jurant; juxta quem ſenſum jurare dicitur Deus per tropum, quando id facit, quod jurantes ſolent: ſicut iraſci & pœnitere dicitur, quando facit quæ ſolent homines irati & pœnitentes. Hinc juramentum non eſſe illicitum, probat *S. Thom.*.

℣. 14. *Dicens : niſi benedicens benedicam te, & multiplicans multiplicabo te.*

Reſpicit ad *Gen.* 22. ℣. 16. & 17. In eo autem quòd hìc dicitur, *Niſi benedicens benedicam te*, &c. Latini ferè omnes intelligunt juramentum execratorium, ſuppreſsâ tamen ipsâ execratione ùt c. 3. ℣. 11., quam ſic ſupplet *S. Thomas:* Non mihi deinceps credatur, niſi benedixero tibi. Græci verò non legunt *niſi* ſed *verè*, ſicuti in originali Scriptura *Gen.* 22. legitur. Difficultas eſt quomodo verbis ab Apoſt. citatis Deus juraverit, cùm in eis ne forma quidem juramenti appareat. Græci confugiunt ad particulam *verè*, quâ dicunt veritatem ſignificari quæ Deus eſt. Sed non jurandi ſed affirmandi ſunt adverbia *verè*, *certè*, utì & *Amen* quoties Chriſtus dixit, *Amen dico vobis*. Verius videtur juramentum eſſe in his verbis, *per me ipſum juravi*. Nam verba ſequentia rem ipſam de qua juratur, ſignificant: ut ſenſus ſit, juravit Deus per ſe ipſum dum dixit Abraham, *Benedicens benedicam te*. Conduplicant autem Hebræi vocabula quò ſermonem intendant, q. d. omninò ac certiſſimè *benedicam & multiplicabo te*, ùt 1. *Reg.* c. 25. ℣. 28. & c. 26. ℣. 25.; vel meliùs largiter & copiosè *benedicam* tibi, & vehementer *multiplicabo te*. Et quoniam *Gen.* 22. ſequitur; *Et benedicentur in ſemine tuo omnes gentes terræ:* quod ſemen Apoſt. *Gal.* 3. Chriſtum interpretatur. Idcircò hæc promiſſio non de ſolis beneficiis terrenis & poſteritate carnali debet accipi; ſed etiam de beneficiis à Deo per Chriſtum præparatis & exhibitis, non uni populo Iſraëlitico ſecundùm carnem ex Abraham genito, ſed omnibus Abrahæ fidem imitantibus, tanquam promiſſionis filiis; ſicut pleniùs *Rom.*

toto cap. 4., & c. 9. ℣. 6. & *ſeqq.* Apoſt. exponit: ex *Chryſ.* & *Anſel.* & *Eſtio.*

℣. 15. *Et ſic longanimiter ferens, adeptus eſt repromiſſionem.*

Id eſt, poſteaquam patienter expectaſſet, conſecutus eſt rem promiſſam; nam benedixit ei Deus, & ſemen ejus multiplicavit. Et in his eſt tacita exhortatio, q. d. Ita & vos exemplo patris Abrahæ, ſi patienter expectetis, nec animo deficiatis in afflictionibus, promiſſa bona conſequemini. Abraham autem *adeptus* dicitur *promiſſionem*; quia res ei promiſſa, etſi poſt mortem ejus ùt plurimùm completa fuerit, ſuis temporibus præſtita fuit & præſtatur: maximè cùm ipſe adhuc coram Deo vivat; ùt Chriſtus aſſerit *Matth.* 22. ℣. 32.

℣. 16. *Homines enim per majorem ſui jurant: & omnis controverſiæ eorum finis, ad confirmationem eſt juramentum.*

Apoſt. ab hominum conſuetudine explicat, cur Deus promiſſionem ſuam juramento confirmaverit. Sed *Homines* quidem, inquit, per eum qui major ſit jurant, quia ſe majorem habent Deum: id Deus non potuit, qui majorem non habet, ideòque per ſemetipſum juravit. *Et omnis* ferè quæ inter ipſos accidit aut intervenit *controverſia* juramento finitur, velut legitimo dirimendis litibus remedio quoties aliæ probationes deficiunt: id enim certum habetur apud eos, quod juramenti religione firmatum fuerit. Juramentum licitum, imò ad finiendas controverſias aliquando neceſſarium eſſe, hìc ſupponit Apoſt.; adeò quidem ut Deus ſuam promiſſionem juramento confirmare voluerit, ne quid ei deeſſe videre-

tur, quod promiſſis & pactis firmitatem apud homines conciliare ſolet. Undè ſequitur.

℣. 17. *In quo abundantiùs volens Deus oſtendere pollicitationis heredibus immobilitatem conſilii ſui, interpoſuit jusjurandum:*

In quo, id eſt, in quibus verbis *volens Deus oſtendere abundantiùs*, quàm per ſolam promiſſionem, *immobilitatem conſilii ſui*, id eſt, decreti ſui: quod vocatur *conſilium*, quia Deus nihil niſi conſultâ ratione ſapientiæ ſuæ faciendum decernit. *Heredibus pollicitationis*, id eſt, iis qui heredes futuri ſunt promiſſionis factæ Abrahæ: vel *in quo*, id eſt, in cujus rei conſideratione, hoc eſt, quia conſiderabat, juramento finiri omnem controverſiam, & fidei confirmationem, *interpoſuit jusjurandum*, græcè, *mediavit jurejurando Chryſ.*, *Theoph.* & *Oecum.* putant hìc ſignificari Filium Dei, verbum Patris, quo inter Deum & Abraham mediatore facta ſit hæc promiſſio juratoria. Alii exponunt, Deus inter ſe & homines medium, cui crederent, poſuit jusjurandum. Magis placet, ait *Eſtius*, aliorum tam Veterum quàm Recentiorum ſimplex intellectus, vulgatæ verſioni conſentaneus, ut non aliud ſit mediare juramento quàm jusjurandum interponere ad confirmationem promiſſionis: ùt *Syrus* dixit jurejurando ligare ſeu conſtringere. Appoſitum autem eſt huic promiſſioni jusjurandum, potiùs quàm promiſſioni terræ promiſſæ, Sacerdotii Aarònis &c.: quia benedictio poſteritatis Abrahæ, item regnum & ſacerdotium Chriſti ita promiſſa & immobiliter divino conſilio decreta ſunt, ut maneant in æternum. Quare ad declarandam hujuſmodi rerum immutabilem firmitatem, quæ aliis citatis non convenit,

appoſitum eſt in earum promiſſione juramentum. Hanc rationem inſinuat Apoſt. *cap. ſeq.* ℣. 20.; ita *Eſtius*.

℣. 18. *Ut per duas res immobiles, quibus impoſſibile eſt mentiri Deum, fortiſſimum ſolatium habeamus, qui confugimus ad tenendam propoſitam ſpem*,

Ut per duas res, promiſſionem ſcilicet & juramentum, *immobiles* ſive immutabiles; quas quare ita vocet, rationem ſubjungit: *quibus*; id eſt, *in quibus impoſſibile eſt mentiri Deum*; *fortiſſimum habeamus ſolatium*, ſi quando nonnihil differri promiſſionem videmus: *ut*, inquam, *ſolatium habeamus*, nos *qui confugimus ad ſpem propoſitam tenendam*: græcè, *ad apprehendendam ſpem* æternæ hereditatis nobis in Abrahæ promiſſione propotam, ex *Theop.*

℣. 19. *Quam ſicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam, & incedentem uſque ad interiora velaminis*,

Quam ſcilicet ſpem, *ſicut anchoram habemus*: ſpes enim hujus hæreditatis inter afflictiones & mundi hujus fluctuationes eſt *animæ* noſtræ velut *anchora*, retinens eam, ne vel in adverſitatibus ad imum deſperationis barathrum dejiciatur, neve proſperitatibus in altum ſuperbiæ evehatur. *Et incedentem uſque ad interiora velaminis*; quibus inſinuat Apoſt. quòd ſicut anchora non in aquis hæret ſed terram intrat ſub aquis latentem eique infigitur; ita anchora animæ ſpes noſtra non ſatis habet in veſtibulum perveniſſe, id eſt, non eſt contenta bonis terrenis & viſibilibus, ſed penetrat uſque ad ea quæ ſunt intra cælum, videlicet in ipſa Sancta ſanctorum, id eſt, Deum ipſum, & cæleſtia bona apprehendit, atque

in iis figitur, ùt *infrà* c. 9., ubi Apoſt. latiùs exponit quomodo Tabernaculum veteris legis typum geſſerit cæleſtis habitaculi & bonorum cæleſtium : ex *Theop.*

℣ 20. *Ubi præcurſor pro nobis introïvit Jeſus, ſecundùm ordinem Melchiſedech pontifex factus in æternum.*

Ubi, hoc eſt, in quæ velaminis interiora, ſive Sancta ſanctorum, jam velut *præcurſor pro nobis introgreſſus eſt* Dominus *Jeſus*, intellige per aſcenſionem & introitum in regnum cæleſte. *Pro nobis introivit*, ut ſcilicet aut locum nobis paret, ùt ipſe dicit *Joan.* 14. ℣. 2.; aut ut pro nobis intercedat ad Patrem; qui ſenſus à *Theop.* traditus typo propoſito pulchrè reſpondet : quoniam & Pontifex Aaronicus ingrediebatur intra velum ſemel in anno ſupplicaturus pro Populo. *Secundùm ordinem Melchiſedech Pontifex factus in æternum.* Confert autem & hæc pars ad ſpei noſtræ confirmationem : ubi enim Pontifex, ibi & populus, ait *Oecum.* Præcurſorem etenim & conſequentes in eadem ipſa via eſſe convenit, & è veſtigiò aſſequi præcedentem eos qui ſubſequuntur : inquit *Chryſ.*

INDEX CAPITUM
Primæ partis Tomi Secundi.

AD EPHESIOS.

CAP. I. *Deo gratias agit de æterna prædeſtinatione in Chriſto, de Epheſiorum fide; & manifeſtat dignitatem hominis à Chriſto aſſumpti.* Pag. 3

CAP. II. *Nos naturâ iræ filios gratiâ Chriſti per fidem ſalvari docet: & Gentes factas eſſe participes promiſſionum Dei per Chriſtum lapidem angularem.* 16

CAP. III. *Myſterium vocationis Gentium ſibi revelatum docet, ſeque ad illud predicandum à Deo delegatum, ob cujus prædicationem in carcere detentus Epheſios corroborat in fide charitate & ſcientia Dei.* 28

CAP. IV. *Hortatur ad pacem: diverſa dona ſpiritûs enumerat, veterem hominem exuere & novum induere monet.* 39

CAP. V. *Avocat à peccato, & ad bona opera hortatur; mutuam viro & uxori amicitiam exemplo Chriſti & Eccleſiæ perſuadet.* 56

CAP. VI. *Docet filios & parentes, ſervos & dominos, quomodo erga ſe reciprocè debeant ſe gerere. Armat militem Chriſti contra ſpiritus nequam. Rogat pro ſe orari.* 72

AD PHILIPPENSES.

CAP. I. *Declarat ſuum erga Philipp. affectum nihil ex ſuis vinculis Evang. deceſſiſſe, etſi verò cum Chriſto eſſe cupiat, ſe tamen permanſurum in carne ad ipſorum utilitatem: hortatur ad ferendas afflict. pro Chriſto.* 84

CAP. II. *Ad concordiam ex Chriſti exemplo, ad humilitatem & obedientiam hortatur. Timotheum promittit ſe ad eos miſſurum: Epaphroditum nunc mittit & commendat.* 99

CAP. III. *Etſi in carne gloriari poſſit, omnem tamen gloriationem excludit, ut aſſeq. juſt. quæ ex fide eſt: notat Judaïzantes.* 113

Cap. IV. *Hortatur ad ſpiritualem lætitiam & bonorum perſev., laudat eos quòd neceſſitati ſuæ ſubvenerant, & iis bene precatur.* 127

Ad Collossenses.

Cap. I. *Congratulatur Coloſſenſium fidei : orat ut ejuſdem complementum accipiant : prædicat excellentiam Chriſti ſupra omnia qui Eccleſiam Patri reconciliavit.* 140

Cap. II. *Hortatur eos ut in fide ambulent & caveant ab impoſturis pſeudoapoſtolorum, oſtendens Chriſti in cruce victoriam, & à legalibus obſervationibus, & à falſa Angelorum religione avocat.* 158

Cap. III. *Hortatur cœleſtia quærere, membra mortificare, exuere veterem hominem & novum induere, charitatem & pacem colere; & maritos, uxores, filios, parentes ſervos, & dominos ſui admonet officii.* 176

Cap. IV. *Orationi inſtare jubet etiam pro ſe, & circumſpectè inter Gentes converſari : commendat Thychicum & Oneſimum : ſalutationibus Epiſtolam claudit.* 187

In I. ad Thessalonicenses.

Cap. I. *Congratulatur eorum fidei & patientiæ.* 196

Cap. II. *Cum qua fiducia & liberalitate Evangelium prædicaverit teſtes illos facit, & ſui erga eos affectûs.* 201

Cap. III. *Oſtendit ſe conſolatum eſſe ex eorum fide & conſtantia quæ ex Timotheo ad eos miſſo reſciverat, & magno ſe eos viſendi deſiderio teneri; & illis bene precatur.* 210

Cap. IV. *Hortatur ad ſanctitatem vitæ, conſolatur eos ſuper morientibus, quos reſurrecturos docet, Reſurrectionis modum exponens.* 215

Cap. V. *Incertum eſſe diem Domini : vigilandum & bonis operibus intentum eſſe monet : commendat eos qui præſunt.* 226.

IN II. AD THESSALONICENSES.

CAP. I. *Congratulatur illorum fidei & conſtantiæ, addens eos merito patientiæ accepturos præmium, perſecutores autem pœnas* 237
CAP. II. *Deſcribit ſigna prævia adventûs Chriſti, & antichriſtum depingit cum ſuis Apoſtatis. Hortatur ut perſiſtant in traditionibus acceptis.* 244
CAP. III. *Rogat ut pro ipſo orent, ut inquietos & otiosè viventes vitent, & contumaces notent.* 257

IN I. AD TIMOTHEUM.

CAP. I. *Notat eos qui legem fabulaſque Judaïcas Evangelio miſcebant: aſſerit ſe à Chriſto vocatum. Timotheo commendat fidem & bonam conſcientiam.* 266
CAP. II. *Poſtulat preces fieri pro omnibus hominibus, mulieres tum in habitu tum in ſermone modeſtas eſſe jubet.* 284
CAP. III. *Epiſcopi, Diaconi, & Eccleſiæ miniſtræ mulieres quales eſſe debeant.* 296
CAP. IV. *Hæreſes exorituras prædicit: ad pietatem hortatur Timotheum, & ne gratiam acceptam negligat.* 307
CAP. V. *Quomodo erga omnem ætatem ſe habere debeat oſtendit: quas viduas honorare, quales ad miniſterium Eccleſiæ diligi velit, qui Presbyteri honore digni, neminem facile ordinandum.* 318
CAP. VI. *Servos etiam infidelium ſui officii admonet, cavendas pugnas verborum & avaritiam, & falſos præceptores. Timotheum ad officia pietatis hortatur.* 338

IN II. AD TIMOTHEUM.

CAP. I. *Laudat in Timotheo fidem non fictam, monet ut gratiam Dei in ſe reſuſcitet, confidenter Evangelium nunciet, notat quoſdam qui à ſe defecerant, Oneſiphori fidem commendat.* 354

CAP. II. *Monet Timotheum ut laboret in Evangelio, contentiones vitet, in magna Dei domo eſſe diverſi generis vaſa, & quæ fugere quæ ſectari debeat.* 365

CAP. III. *Falſos Doctores exorituros prænunciat à quibus cavendum Timotheum hortatur ut doctrinam ſervet, & ſacris litteris det operam.* 382

CAP. IV. *Intentum eſſe verbo & vigilantem ob futuros hæreticos hortatur, obitum ſuum prædicat & coronam ſibi repoſitam. Rogat ut ad ſe veniat.* 391

AD TITUM.

CAP. I. *Monet ut per civitates Presbyteros inſtituat, & quales ii eſſe debeant; per eos redarguì debere errorum magiſtros Judaïcis fabulis deditos.* 403

CAP. II. *Senes, anus, juniores, ſervi quomodo inſtituendi ſint docet, & ipſe Titus quomodo ſe gerere debeat.* 413

CAP. III. *Principibus parere jubet, contentioſas quæſtiones vitari & hæreticos.* 419

In Epiſt. ad Philemonem. 429

AD HEBRÆOS.

CAP. I. *Chriſtum verum Deum & hominem Angelis digniorem eſſe.* 440

CAP. II. *Retinendam eſſe Chriſti doctrinam confirmat.* 461

CAP. III. *Excellentiam Chriſti præ Moyſe oſtendit.* 479

CAP. IV. *Monet ne Judæorum exemplo diffidentes excludamur à vera requie.* 490

CAP. V. *Officium Pontificis deſcribit, oſtendens verum Pontificem fuiſſe Chriſtum, & pro nobis interpellantem exaudiri.* 501

CAP. VI. *Hortatur ad perfectam doctrinam omiſſis elementis: fieri enim non poſſe, ut qui ſemel illuminati renoventur ad pœnitentiam: excitat ad patientiam ſpe præmii.* 511